110
E.
27.

٢٧ .ا .١١٠

110
H6
37.

83
O
74

VIII. E. 20

Q. SECTANI
SATYRÆ

Numero auctæ, mendis purgatæ, & ſingulæ locupletiores.

EDITIO NOVISSIMA

ACCEDUNT

Argumenta, ac Indices Rerum, Verborum, & Nominum, necnon Commentaria ex Notis Anonimi:

Concinnante

P. ANTONIANO

LIBER SECUNDUS.



AMSTELODAMI
Apud Elſevirios. M. DCC.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

HUMANISSIMO LECTORI
TYPOGRAPHUS
S. P. D.

PROMISSI reus ſecundum Q. Sectani Tomum publicæ uſuræ trado, Amice Lector; tardiùs fortaſsè, quam mea vota, tuumque patiebatur deſiderium. In causâ fuere Notarum apparatus, & Authoris modeſtia; illæ plus temporis abſumpſerunt, hęc æditioni plurimum eſt obluctata. Vulgato ſiquidem primo Tomo adeò exarſit, ut ſublati ſibi Codicis Amicum acerrimè poſtularet, datiſque literis minarum plenis, mę quoquè ab incęptis deter-

rere conatus fuerit. Verùm ne diutius torquerem expectationē tuam, Q. Sectani iracundiam nequaquam pertimui; conſciuſque alacritatis, quâ ferri in Typographos conſuevit, meo periculo tibi placere non dubitavi. Cęterùm à plurimis Noſtratium, qui hoc anno Romam confluxerunt, accepi nonnullos adhùc ſupereſſe invidos, honeſtiſque ſtudiis inimicos, qui innocuum hunc Scriptorem non ſatis æquis oculis reſpiciunt. Prætereo Philodemum, qui per Epiſtolam maledictis, & contumeliis refertam Grævium noſtrum doctiſſimum nuper interpellavit, curaſque politioris literaturæ incremento debitas nu-

gis

gis ſuis intervertere non erubuit. Ille enim jure ſuo inſanit, ac aliquid dandum eſt gratuitæ injuriæ, quam ſibi (fortaſsè ad oſtentationem virtutis) oppingere contendit, ipſo reluctante Sectano. Quod acerbius tuli, nunciatum eſt non defuiſſe aliquos notæ in vulgus probitatis, qui jocos Q. Sectani, nullique inſenſa carmina imaginariis probris onerare, quin & in judicium trahere ineptis criminationibus ſtuduerunt. Sive odium literarum, ſive nocendi libido hæc fuerit, nil ſanè apud pacatos animos, & juſtos rerum æſtimatores obſuit, quin Authoris genius alienæ famæ aſſertor, ſoliſq; vitiis inimicus ma-

§ 3 ni-

niſeſtius quoq; apparuerit. Enim verò ſi libri frontem prætereas, aut tituli invidiam mitiges, non hæ dicendæ Satyræ, ſed lepidi potius ſermones, quibus boni ſuavi voluptate deliniuntur, mali à vitiorum contagio diſtinentur. Hoc ſcribendi genus, cum maximè ſe legentibus inſinuet, menteſque veri oblivione ſopitas excitet, ac ſalibus titillet, peculiarem in modum communi bono favet; mirorque cur tales homines ſedulò quæſitos Principis munificentia non honeſtet, augeatque fortunis. Si Auguſtos, & Mecenates iterum habere Vrbem Romam aliquandò contingat, nil dubito, quin Sectanus noſter, ad

mu-

munia Reipublicę adſcitus, generoſæ indolis exhibeat documenta, & maſculæ virtutis ſemina hiſce carminibus abſtruſa luce palam diffundat. Sed (pace veſtrá Itali) forenſi barbarie polluti, humanitatem omnem literarum exuiſtis; cultuſque olim veſter trans mare, & alpes migravit; adeò ut hæ dotes penè ludibrio ſint, Poeſiſque apud vos decora tantùm bracteola nuncupetur, & erudita ingenii laſcivia; ac ſi qui cudendis carminibus pollet, cunctos veſtros Pragmaticos, & Cautores ſcientiæ divinitate non antecelleret. Prætereà allatum quoquè fuit hujus Operis adnotationes ab aliquibus oſcitanter carpi

tanquam alienas, ambitioſas, & forte prolixiores. Abeant aures iſtæ nimium delicatæ, cęteroſque Scholiaſtes percurrant; non diſſimili ferè ritu uſos invenient. Neque ego alienum, aut longius, quam oportet, dicere auſim, quod multiplici eruditione legentium mentem fęcundat, quodque præteriri poteſt continuatà textus lectione. Nemo menſam exquiſitis cupediis lautè inſtructam damnare audet, quia ſatur; carpit quantum facit ad ſtomachum, reliqua convivis fortè famelicis abſumenda relinquit. Sæpè enim, quod uni obſoletum, atque injucundum, alteri gratum, ac peregrinum ſolet accidere. Hoc præ-

ca-

cavendum putavi, maximè quia duplici loco Notarum modum P. Antonianum ſupergreſſum invenies. Etenim cum eruditus Begerus ſchedà quadam Pighianà malè fretus Romanos Graphiarios parùm ſinceræ fidei in vulgandis antiquitatum tabulis incuſaverit, occaſione ſumptà opinionem refellit, rituſque veterum cõnubiorum latè dilucidat. Idem adorſus contrà Anglum Anonymum Eterodoxum, Euſebiumq; Romanum Catholicum, Martyrum Reliquias, & ſacroſanctos Cineres ab omni Hæreticorum morſu vindicat, quantiſque Sancta Romana Sedes nitatur argumentis in arâ, cultuque

illis decernendo appoſitè demonſtrat. Hæc omnia Operis limini præponenda duxi, ut Sectanum ſciolorum cribro, quantum per me licuit, exemptum benevolentiæ tuæ commendarem, illiuſque candorem magis, magiſq;in aperto conſtituerem. Vale, & diù te Deus ſoſpitet, atque fortunet.



ELEN-

ELENCHVS AUTHORUM,

Qui in Notis ad Sectani Satyras citantur.

Abulenſis.
Acron.
A Coſta *Ioannes*.
Achilles Alexandrinus.
Acta S. Calixti Papæ.
Acta Martyrum Lugduneo.
Ado Viennenſis.
Ælianus.
Æſchilus,
Æſchines.
Aetius.
Afranius.
Agathias.
Agatocles.
Agellius.
Aimoinus.
Albertinus.
Albumaſar.
Alcimus Avitus.
Alemannus *Nicolaus*.
Alexander ab Alexandro.
Alexander II. Pont. Max.
Alexander IV. Pont. Max.
Alcæus.
Alciatus.
Alcmeon.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Ammiratus *Scipio*.
Ammonius.
Anacreon.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Andhelmus.
Angelonus.
Anonimi hiſtoria Sinarum.
Anonimi Conformitez des Ceremonies des Chinois avec l'Idolatrie Grecque, & Romaine.
Anonimi Apologia de' Domenicani
Anthelmus.
Anthologiæ liber.
Antipater.
Antonius Auguſtinus.
Apollonius.
Appianus Alexandrinus.
Apulejus.
Aringhius.
Ariſtænetus.
Ariſtides.
Ariſtoteles *ſæpè*.
Ariſtophanes.
Arnobius.
Arrianus.
Artemidorus.
Aſconius Pedianus.
S. Athanaſius.
Athenagoras.
Athenæus *ſæpè*.
S. Auguſtinus *ſæpè*.
Avicenna.

Au-

Auſonius.
Author Vitæ Nicolai Laurentii, ideſt, *Cola di Rienzo*.
Author Panegyrici Conſtantini.
Author veteris Ethymologici.
Author Vitæ F.Petrarchæ.
Bayphius.
Balſacius.
S.Baſilius.
Baronius *Cæſar Cardinalis*.
Bartolus à Saxoferrato.
Beda.
Begerus *Laurentius*.
Bellarminus *Robertus Card.*
Bellorius *Jo:Petrus*.
Bernartius.
Beſoldus.
Bion.
Blancartus *Joſeph*.
Blanchinus *Franciſcus*.
Blondus.
Boccaccius *Joannes*.
Bonarrotus *Philippus*.
Bonfinius.
Boſius *Antonius*.
Boſius *Simeon J.C.*
Briſſeus.
Briſſonius.
Budæus.
Bulifonus *Antonius*.
Bullarium Romanum.
Bullengerus *Julius Cæſar*.
Buxtorphius.
Cæſar.
Cajetanus.
Calaber.
Calixtus Papa.
Callimachus.
Calpurnius.
Du Cangè.
Capotius *Vincentius*.
Cardanus.
Caſaubonus.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Caſtilionus *Philander*.
Catullus.
Cedrenus.
Celſus.
La Cerda *Ludovicus*.
Ceremoniale Romanum.
Ceſius *Bernardinus*.
S.Chriſoſtomus *ſæpè*.
Chronicon Malliacenſe.
Chronicon Monſei.
Chronicon Pervenſe.
Ciampinus *Joannes*.
Cicero *paſſim*.
Claudius Ptolomæus Alexan.
S.Clemens Alexandrinus.
S.Clemens I. Pont. Max.
Cluverius.
Codex Juſtinianæus.
Codex Theodoſianus.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Columbus *Ferdinandus*.
Concilium Aurelianenſe I.
Cartaginenſe IV.
Carthaginenſe VII.
Conſtantinop. ſub Menna.
Lateranenſe III. Gener.
Lateranenſe IV. Gener.
Nicenum I.Generale.
Ptolemaidis.
Ravennatenſe.

To-

Toletanum I.
Vaurenſe.
Contarenus *Vincentius*.
Cornelius Celſus.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Tacitus.
Cteſias.
Curopalata.
Curtius.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus.
S. Damaſcenus *Joannes*.
Dantes Aligherius.
Decianus.
Decretum Gratiani.
Decretalium liber.
Decretalium Sextus,
Delacampius.
Delrius.
Demetrius Phaleræus.
Demoſthenes.
Demſterus.
Didimus.
Dio Chriſoſtomus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
S. Dionyſius Alexandrinus.
S. Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Dioſcorides.
Donatus.
Douza.
Egnatius.
Empedocles.
Ennius.
Epicurus.
S. Epiphanius.
Eraſmus Roterodamus.
Eucherius.
Euchologium Græcorum.
Euripides.
Euſebius hiſtoricus.
Euſebius Romanus.
Euſthatius.
Fabius Pictor,
Fabrettus *Raphael*.
Fabritius *Georgius*.
Farinaccius.
Ferrarius *Octavius*.
Feſtus.
Firmicus Maternus.
Flaccus.
Floccus *Dominicus*.
Flodardus.
Freinshemius.
S. Fulgentius.
Galenus.
Gaza *Theodorus*.
Genebrardus.
Germanus.
Gifanius.
Glaber.
Goarius.
Grævius *Jo. Georgius*.
Gravina *Janus*.
S. Gregorius Mag. Pont. *ſæpè*.
Gregorius VII. Pont.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Niſſenus.
Gretſerus.
Gruterus *Janus*.
Guillandinus.
Hadrianides.
Haly.
Harduinus.
Harpocration.
Heliodorus.

He-

Heraldus *Deſiderius*.
Hermias.
Herodianus.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſychius.
S. Hieronymus.
Hincmarus Rhemenſis.
Hippocrates.
Homerus *paſſim*.
Honorius Pont.
Horatius *paſſim*.
Hotmanus.
Hyginus.
Janus Guillelmus.
Illuſtrius.
Innocentius III.
Interpres Ariſtopharus.
Interpres Horatii.
Interpres Pomponii Melæ.
Joannes Diaconus.
Joannes VIII. Pont.
Joannes Sarisberienſis.
Joſeph Hebræus.
Jovianus.
Jovius *Paulus*.
Iſidorus.
Iſychius.
Iſocrates.
Julianus Pomerius.
Julius Capitolinus.
Junius
Juvenalis *paſſim*.
Kircherus *Athanaſius*.
Kirchmannus.
Lactantius Firmianus.
Laertius *Diogenes*.
Lampridius.
Landinus.
Latinius.
Lazius.
S. Leo M. Pont.
Leo Oſtienſis.
Lilius.
Linderbruchius *Fridericus*.
Lipſius *Juſtus*.
Livius *paſſim*.
Lopez *Franciſcus*.
Lubinus.
Lucanus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
Lupus *Chriſtianus*.
Lutatius Planciades. V. Placidius.
Lycophron.
Macrobius *ſæpè*.
Macrus *Dominicus*.
Maffæus *Jo. Petrus*.
Malaſpinus *Ricordatus*.
Mandoſius.
Manilius.
Mariana.
Marlianus.
Martialis *paſſim*.
Martyrologium Romanum.
S. Maximus.
Maximus Tyrius.
Menander.
Menardus.
Mercurialis.
Meurſius.
Modicius *Guillelmus*.
Rab. Moſes Ægyptius.
Muretus.
Nævius.
Natalis Comes.

Ni-

Nicephorus.
Nicolaus III. Pont.
Nonius.
Nonnus.
Odo Pariſienſis.
Odilo.
Olympiodorus.
Onkelos.
Oneſicritus:
Oppianus.
Ordo Romanus.
Origenes.
Oroſius *Paulus*.
Orphæus.
Orus Apollo.
Ovidius *ſæpè*.
Pacuvius.
Pamphilus.
Pancirolus.
Parrhaſius.
Paſchalius.
Paſchaſius *Stephanus*.
Paſſeratius.
S.Paulinus Nolanus.
Paulus J.C.
Pauſanias.
Perottus *Nicolaus*.
Perſius *paſſim*.
Petrarcha *Franciſcus*.
Petronius Arbiter *ſæpè*.
Petrus Bleſenſis.
S.Petrus Damiani.
Phædrus.
Phavorinus.
Philaſtrius.
Philo Hebræus.
Philoſtratus.
Philoxenus.
Phocylides.
Photius.
Pignorius *Laurentius*.
Pindarus *ſæpè*.
Piſtorius.
Pius II. Pont.
Placidius Lactantius. V.Luctatius.
Planciades.
Planudes.
Platina.
Plato *ſæpè*.
Plautus *paſſim*.
Plinius Junior.
Plinius Senior *ſæpè*.
Plotinus.
Plutarchus.
Polidorus Virgilius.
Politianus.
Pollux:
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Porphyrius.
Poſidippus.
Proclus.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Ptolomæus.
Publius Mimus.
Publius Victor.
Quintilianus.
Radulphus.
Rainaudus.
Raphael Maffæus Volaterranus.
Ratta.
Redi *Franciſcus*.
Ribera.
Rogerius Abbas.

Roſi-

Roſinus.
Ruffinus.
Salianus.
Salmaſius.
Sapphus.
Salluſtius.
Savaro.
Dù Sauſſay.
Scala *Bartholomæus*.
Scaliger *Joſeph*.
Scaliger *Julius Cæſar*.
Scholiaſtes vetus Juvenalis.
Scholiaſtes Horatii.
Scholiaſtes Pindari.
Scholiaſtes Perſii.
Schrevelius *Cornelius*.
Scriptura Sacra Veteris, & Novi Teſtamenti.
Sedulius.
Seneca Philoſophus.
Seneca Tragicus.
Sennuccius Florentinus.
Serlius.
Servius.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus.
Silius Italicus.
Simocatta.
Simonides.
Simplicius Papa.
Siricius Papa.
Smithus *Thomas*.
Socrates Hiſtoricus.
Socrates Philoſophus.
Solerius.
Solinus *Julius*.
Sophocles.
Spartianus.
Spondanus *Henricus*.
Sponius *Jacobus*.
Statius.
Stephanus Byzantius.
Stiglianus.
Stobœus.
Strabo.
Suareſius *Joſeph Maria*.
Suidas.
Surius.
Symmachus Scriptor Ethnicus.
Sympoſius.
Tacitus *Cornelius*.
Tatius Alexandrinus.
Taubmannus.
Terentianus.
Terentius.
Tertullianus.
Thales Mileſius.
Theocritus *ſæpè*.
Theodectes.
Theodoretus.
Theognis.
Theophanes.
Theophraſtus.
Thyleſius *Antonius*.
Tholoſanus.
Thucidides.
Tibullus.
Tiraquellus.
Torrigius.
Trebellius.
Turnebus.
Tuiocxius.
A Turre *Philippus*.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Valla.
Valturius *Robertus*.

Var-

Varnefridus *Paulus*.
Varro.
Vauchopius *Georgius*.
Vegetius.
Vellejus Paterculus.
Valterus.
Villani *Joannes*.
Veſpuccius *Americus*.
Virgilius *paſſim*.
Vitruvius.
Ulpianus.
Vopiſcus.
Voſſius.
Urſinus *Fulvius*.
Xenophon.
Xiphilinus.
de Zarate *Auguſtus*.
Zoſimus Scriptor Ethnicus.



LAU-

LAUDANTUR.

Alexander VII. Pont. Max. Satyr.6. num.10.
Clemens IX. Pont. Max. Sat.8. num.223.
Alenander VIII. Pont. Max. Sat.7. num.76.
Ludovicus XIV. Galliarum Rex Sat.6. num.15.
Caſpar Card. Carpineus Sat.8. num.71.
Bandinus Card. Panciaticus Sat.7. num.76.
Franciſcus Card. Judice Sat.8. num.167.
Henricus Card. Noriſius Sat.6. num.160.
Petrus Card. Ottbobonus Sat.7. num.63., & Sat.8. num.72.
Coſmus III. Magnus Dux Etbruriæ Sat.7. num.105.
Dominicus Judice Dux Juvenazi Sat.8. num.167.
Nicolaus Judice C.A. Clericus ibid.
Marcellus Severolus Sat.6. num.6. } *Prælati.*
Leo Strozzius Sat.7. num.131., & Sat.8. num.72. }
Philippus Bonarrotus Sat.6. num.250.
Laurentius Zaccagna Sat.6. num.160.
Antonius Magliabecbus ibid.
Franciſcus Blancbinus Sat.6. num.19., & 32.
Philippus à Turre Sat.7. num.63.
Alexander Plouvierius Sat.8. num.78.
Vincentius Capotius Sat.7. num.163.
Vincentius Ciciaporcius Sat.8. num 167.
Janus Vincentius Gravina Sat.8. num.183.
Dominicus de Rubeis Sat.7. num.40.
Petrus Sanctes Bartolus ibid.
Antonius Buliſonus Sat.7. num.163.
Arcangelus Corellus Sat.7. num.86.

ELENCHUS SATYRARUM,

Quæ ſecundo Libro continentur.

1. *Gymnaſium*, 2. *Bacchi luſus*, 3. *Præcepta Poeſis.*

TESTI-

TESTIMONIA
ILLUSTRIUM VIRORUM
DE SECTANO.

CUr delubra doles, & vulſas, Roma, columnas;
Raptaque de medio Dedala ſigna foro?
Te quamvis ætas, & Vandala preſſerit ira,
Nobilitat faſtus ipſa ruina tuos.
Unum mœrebam, quod ſermo intercidit ille,
Quo latè attonitis jura dabas populis.
Jàm fruſtrà querimur. Vivas Sectane; Latinus
Non periit ſermo, Romaque priſca redit.

Joſeph Valletta N.

PUngit apis, crabroq; ſimul. Sed crabro veneno,
Ingenuo tellum melle perungit apis.
Qualis erit Satyrus? Manant ſi balſama vitæ
Quà ferit, Hiblea nomen habebit avis.

Stephanus de Bellis de Caſa Maxima.

Acri-

ACriter increpitas, vitiorum maximus ultor,
Sed queritur læſus carmine nemo tuo.
Parcere perſonis, perſtringere crimina, laus eſt,
Quam Satyri veteres vix tenuere ſatis.
Nempe ſtudes morum putres evellere fibras:
Et peragit tantùm dextera mollis opus.
Nam cui non placeant Mimi, queis ſingula fingis,
Innocui luſus, ingenuique ſalcs?
Tam ſcitè ſimulare ſenem, nec Plautus avarum,
Tam benè, nec potuit fingere Zeuſis anum.
Acre, & ridiculum, rarus qui miſceat æquè.
Temporis hac noſtri gloria, tota tua eſt,

Can. Guid. Per.

LIBER

LIBER II.

SATYRA SEXTA.

ARGUMEN. Profitetur Author nolle amplius Latinam Satyram exercere;utque facilius percipi poſſit Ethruſco idiomate ſe in poſterum ſcripturum affirmat.Interim à Philodemo mercedem poſtulat famæ, quam eius nomini peperit immortalem; ſuis quippe carminibus [ab obſcænis Ludimagiſtri ope mundatis] futuram in Scholis approbationem vaticinatur. Hac occaſione Dialogum orditur inter Petum, & Cratinum, alterum diſcipulum, alterum verò præceptorem, in quo juxtà nonnullas Peti interrogationes Cratinus aptè reſpondet, reſque dubias dilucidè explanat. Satyra hæc fortè cæteris ingenioſior, & jocorum lepore non jucunda.

POſtremum, Philodeme, precor dignare laborem,
Si vacat, & noſtras pacato lumine Muſas
Reſpice,

NOTÆ.

1. *Poſtremum &c.* Propoſuerat Sectanus vulgata hac ſexta Satyra ſuis laboribus finem imponere, Latinaque Muſa relicta ad Ethruſca carmina ſe transferre, vulgarique idiomate, vt ab omnibus intelligeretur, ſcribere. Propoſitum hoc ſtatim initio inſinuat, licet Reipublicæ litterariæ bono non ſervaverit.

1. *Laborem &c.* Laborem pro opera poſuit, quæ phraſis non inſueta Latinis Scriptoribus & Poetis, qui afferri poſſunt ad ſatietatem; dimitto tamen in re notiſſima. Tantum addo labores quoſcumque, ſive ad honeſtatem, ſive ad gloriam tendentes, tanquam iter ad nominis æternitatem recenſitos fuiſſe ab hominibus; Gloriam etenim laboris eſſe filiam ex Æſchylo citat Clem. Alex. lib.4. Strom. c.4. Unde aurea illa Virg.9. Æneid. Sententia v.641.

Sic itur ad aſtra

ipſius Apollinis voce prolata, & quidem Numinis Aſcanii virtutem ſpectantis, & admirantis. Favent Calaber lib.4. *Labor dabit gloriam*, & lib.1. *Laborem gloria comitatur*. Senec. de Provid. c.5. *Humilis, & inertis eſt tuta ſectari, per alta virtus fit*. Euripid. in Heracl. *It virtus per labores*. Symmach. tandem epiſt. 81. lib.9. *Virtus dubioribus negotiis eniteſcit, & aſpernatur declivem facilitatem, maximoque ſudore arduum laudis admititur*. Ex quibus illud nobis dicendum, & quidem non inepte puto, quod cum Sectanus de ſuo opere, ideſt de ſuis Satyris *laborem* dixit, eo reſpicere voluiſſe, ut opus, ex quo gloria ſibi reſultaverit, indicaret, ad ſenſum veterum Scriptorum.

1. *Dignare &c.* ad imitationem Virgilii l.1.Æneid.v.339., ubi de Venere.

Tunc Venus, haud equidem tali me dignor honore.

2. *Si vacat &c.* ideſt, ſi ocium habes, aut ſi tempus vacuum eſt tibi: Sic Virgil.3. Æneid. v. 377.

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et vacat annales noſtrorum audire laborum.

& Juven. Saty. 1.

Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.

Quandoque autem ponitur pro curæ eſſe, & in hoc ſenſu accipi

cipi etiam poteſt noſter Author, ac ſi dixiſſet, *ſi placet*, exemplo deducto ex Quintilian. l.1. c.5. *Et cui eſſe diſerto vacet*.

2. *Pacato &c.* Nempe tranquillo, ut habet Lucret. lib. 3. *Vultuque pacato excipere*. Et Ovid.

Accipe pacato Cæſar Germanicæ vultu
Hoc opus.

2. *Lumine &c.* Lumen pro oculo: Sane lumen eſt res aliqua, quæ de re ſplendorem diffundit; undè minimè Servii ſententia in illud 6. Æneid.

Nec fumea tædis lumina.

probanda eſt, qua lumen à luce diſtinguit, quod in lumine ſit ſplendor, ſed cum fumo: in luce ſolus ſplendor; quandoquidem ea differentia non eſt perpetua; Solem, Lunam, & cætera Cœleſtia corpora enim rectè Lumina appellamus, quæ tamen procul dubio fumi ſunt omninò expertes: ſed quicquid ſit de hoc, oculum luminis voce etiam nuncupamus, quod oculorum beneficio lumen conſpiciamus. Exempla profero: Quintil. in Procem. lib.6. *Prior alterum ex duobus eruit lumen*. Virgil. 1. Æneid. v.230. de Iove.

Conſtitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.

Et lib.2. ejuſdem v.405. de Caſſandra.

Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra.

Tandemque lib.4. v.185. de Fama:

Nec dulci declinat lumina ſomno.

Necnon Catullum in nuptiis Pelei, qui dixit:

Flagrantia lumina.

Claudit notam Arnob. noſter lib. 4., inquiens: *Si jecero in plagam occiduam lumina*.

2. *Muſas &c.* Pro carminibus ex imit. Virgil. l. 10. Æneid. verſ. 191.

Et mœſtum Muſa ſolatur amorem.

Quod & alibi expreſſit Ecl. 1. v.2.

Sylveſtrem tenui muſam meditaris avena.

Eclog. 3. v.84.

Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam.

Et Eclog. 8. v.5.

Damonis muſam dicemus, & Alpheſibœi.

Cum quo convenit Lucret. lib.4.

Fiſtula ſylveſtrem non ceſſet fundere Muſam.

Reſpice, ſcribendi non dum conſumpſimus iram;

Inque

NOTÆ.

3. *Reſpice &c.* Reſpicio favorem indigitat, propriéque eſt retro aſpicere, & oculos reflectere. Poetæ ad Deos præcipuè retulere: pluraque ſuppetunt exempla; Nam Virgilius de Dea Libertate loquens, ait:

Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit.

Ubi advertit ex Paſſeratio Germanus ſignificari hic Libertatem Deam, cognomento, *Reſpicientem*, hoc eſt felicem, & propitiam; ſic apud Cic. de Legib. *Fortuna Reſpiciens*; apud Virg. 2. Æneid. *Juppiter Aſpiciens*, apud Apollon. 2. Argonaut. Ζεὺς Ἐπόψιος *Juppiter Inſpector*; Ex qua hujus verbi proprietate dixere Calaber lib. 1. de Iove loquens: *Ilium ſemper ſuis oculis reſpicit*; Plaut. in Bacchid. *Tace modo; Deus reſpiciet nos aliquis*; & Terent. in Andr. *Me, & te imprudens, niſi quid Dii reſpiciunt, perdidi*: nec non in Phorm. *Dii nos reſpiciunt*. Ubi vides reſpicere eamdem penè vim habere, ac adjuvare, & opem ferre. Cui ſententiæ arridet Apulejus lib. 11. Aſini: *In tutelam receptus es fortunæ, ſed Videntis*, & iterum Plaut. in Captiv., apud quem cum præceſſiſſet verbum Hegionis *Reſpice*, reſpondet Hergaſilus.

Fortuna quod tibi, nec faciet, nec facit:
Hoc me jubes.

Favorem autem hunc etiam ad homines tranſlatum habes ex loco Plauti ſtatim adducto: Clarius idem author in Pœnul., ubi optans Agotaſtocles adoleſcens habere fœminam ſibi benevolentem, & ut ſe reſpiceret, audit à ſervo aſſentatore; *Reſpexit. Idem pol Venerem credo facturam tibi.* Symmach. l. 7. epiſt. 73. *Si me ſanitas optata reſpexerit.* Tanti autem hujus verbi proprietas extimata eſt, ut Latinus Interpres ea uſus fuerit, tunc cum Greco fonte illud Lucæ 61. interpretari contigit: καὶ ϛραφεὶς ὁ Κύριος, ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ &c. Vertit enim: *Et converſus Dominus reſpexit Petrum &c.*, ut ſcilicet eum ſuæ prædictionis memorem faceret, & à lapſu ad pœnitentiam provocaret; Reſpêctus enim Chriſti, ut docet S. Ambroſius, fuit cauſa ut Petrus, qui priorem Galli cantum non adverterat, hunc poſteriorem adverteret, eoque Divinæ prædictionis recordaretur, ac pœnite-

nitere, & flere inciperet: Unde S.Leo, *Reſpexit ergo*, ait, *& reſpiciendo erexit Chriſtus Petrum*. His poſitis ad evidentiam patet quantus Sectanus noſter habendus ſit, qui etiam in minimis proprietatem, nedum dictionis totæ, ſed cujuſcumque vocis ſervat; cum etenim exorare voluerit Philodemum, ut ſibi, ſuiſque Muſis eſſet favorabilis, quonam melius fieri poterat, quam apud eum inſtando, ut illas pacato lumine reſpiceret?

3. *Conſumpſimus &c.* Ideſt, nondum ceſſavit via, nec ad finem eam perduximus; in qua phraſi optimos authores ſecutus eſt Sectanus noſter, Salluſtium in Jugurth. *Conſumpta eſt oratio*, & Cic. de Orat. *Conſumpta, & exhauſta actio*, & 6. Philip. *Bella, quæ a Conſulibus geſta, & conſummata ſunt*; & tandem Plin. epiſt.256. *Quo quomodo conſummare opera, ut incoata ſunt*. Nec miretur Grammaticus, ſi confunderimus, & in eumdem traxerimus ſenſum conſummare, quod eſt ad finem perducere; & conſumere, quod eſt ad nihilum perducere, & evacuare ſecundum eoſdem; quandoquidem parum refert, an primo, an ſecundo modo intellexerit Sectanus, cum utrumque verbum in idem penè recidat, ut vidimus.

3. *Scribendi &c.* Scribere propriè eſt rei, vel operis alicujus author eſſe, & opus aliquod, quod ſcriptionem requirat, exponere, ut librum &c.; nam qui ab exemplaribus opus aliquod exſcribendum ſumunt, non propriè ſcriptores, ſed librarii, & amanuenſes dicuntur; non etenim ſcribunt, ſed deſcribunt, excribunt, & tranſcribunt. In promptu ſunt teſtimonia Ciceronis, & Plinii: quorum primus ad Cornific. *Sed proximè ſcripſi de optimo genere dicendi*; ſecundus verò lib.12. c.14. *Juba Rex iis voluminibus, quæ ſcripſit ad C.Cæſarem*. Quod porrò ad Librarios pertinet inter Servos enumerat Pignor. de Serv. pag.114., fretus teſtimonio Cic. ad Tyron., ubi ait: *Sed peto a te, ut quam celerrimè mihi Librarius mittatur, maximè quidem Græcus: Multum enim mihi eripitur operæ in excribendis hypomnematis*; fortè idem eſt, qui à Sidon. Apollin. lib.5. ep.15. & 17. Scriba, & Bibliopola nuncupatur; Quin & in hujuſmodi miniſterio erant Librariæ: De utriſque Euſebius Eccleſ. Hiſt. lib.6. c.17., qui disertè ſcripſit, Origeni ad manum fuiſſe Librarios, unà cum puellis, quæ ſcitè, & concinnè ſcriberent; Iterum ad Librarios pertinent veteres inſcriptiones apud Gruterum pag.585.

DIS. MANIBVS
BENIGNO. LIBRARIO. Q.
N. DIADVMENVS
ET. EVPHODVS
CONSERVO. BENE. MERENTI

Altera pag. ead. n.5.

TYRANNVS. ACTES. L
VERNA
SCRIBA. LIBRARIVS.
TYRANNI. ET GEMINÆ

Item pag.584. n.11.

IVCVNDVS
DOMITIÆ
BIBVLI. LIBRAR
AD. MANVM

Ad Librarias autem pertinet antiquus lapis relatus a Pignor. loc. cit., cui inſcribitur.

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II

quemadmodum & illud Iuven. Saty.6.

Periit Libraria, ponunt
Coſmetæ tunicas.

Quem locum fortè minus rectè interpretatus eſt vetus Scholiaſtes, à quo in errorem ducti Schrevelius, & alii in notis ad authorem eumdem; nec melius intellexit antiquus juris civilis Epitomator, qui pondera hìc, & libram ſubſtituerunt; ſed ulterius progrediamur ad rem noſtram.

3. *Iram &c.* Qua accenditur ad invehendum contra Philodemum, quæ in corde gignitur, in pectore alitur. Eam etenim eſſe ex fervore ſanguinis circa cor teſtatur Ariſtoteles 1. Phiſic. appellans *ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος, ἢ θερμοῦ.* videlicet,

fervo-

fervorem ſanguinis, aut calidi circa cor. Hinc benè Virgil. Æneid.1. v.54.

Talia flammato ſecum Dea corde volutans

Homerus:

Sed mihi cor turgeſcit ira.

Catull. de Nupt. Pelei.

In corde gerens Ariadna furores.

Tandemque Seneca l.1. de ira c.1. deſcribens notas iracundi: *Flagrant, & micant oculi, multus ex ore toto rubor, ex æxtuante ab imis præcordijs ſanguine.* Diximus iram in corde naſci, ali verò in pectore, & augeri; nam cor uti radicem iræ animadvertimus; quoad reliqua favet Homerus 6. Iliad., ubi loquens de hac peſte, χόλον nominat, additque.

Virorum in pectoribus augetur, veluti fumus.

Quanta autem hujuſcemodi ira in pectore Sectani exarſerit, ex verbis eiuſdem colligere licet: Nam cum poſtremam Satyram hanc contra Philodemum ſcribere profiteatur, proteſtatur ſimul ſe iram non adhuc conſumpſiſſe, licet ad aliud tempus exercendam; imò eam tam altè in animò inſediſſe, vt grauiori nixu prodire debeat in aliis Satyris non Latina, ſed vulgari lingua elucubratis, quæ ab omnibus etiam imperitis intelligi queant. Notam hanc maximæ iræ innuit Virgil. lib.1. Æneid. verſ.140.

Quos ego: Sed motos præſtat componere fluctus.
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.

Ex quibus Pœta inſinuat, Neptunum ſibi temperaſſe in æſtu iracundiæ propter decorem regium, ſed habere rationem temporis, & quod niſi ſupplicium differret, Troianis ſuccurrere non poſſet; licet pœnam maiorem poſtmodum meditetur. Ab ipſo non abeunt Homerici verſus Iliad.1.

Potentior enim Rex quando iraſcitur viro inferiori,
Quamvis enim iram, & eadem die decoxerit,
Tamen, & poſtea retinet iram; donec perfecerit
In pectoribus ſuis.

Iram ſiquidem protrahere, & ſervare maximam vindictam denotat, idque proprium videtur ſuperiorum in inferiores, vt ex locis ſtatim allatis, docente Tacito, lib. 3. Annal. Principem lentum in ſuo dolore eſſe debere.

Inque dies meſſis vitiorum uberrima creſcit ;

5. *Sed pudet auriculas numeris torquere Latinis ,*

Obſcu-

NOTÆ.

4. *Inque dies &c.* Ex Sentent ia S. Aug. l.9. de Ciuit. Dei. *In vitia multis vitijs itur,* nam; ut ait Seneca de Tranquill. anim. *Serpunt vitia, & contactu nocent, & in proximum quemque tranſiliunt.* Quoad phraſim ſecutùs videtur Virgil. l.11. Æneid.

Multa dies , variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius .

4. *Meſſis &c.* Propriè loquendo pro tempore metendi, & aliquando pro ipſa ſegete ponitur. Per translationem autem dicitur pro copia cujuſvis rei, de quo teſtis Plautus in Trinum.

Nequequicquam hic vile eſt ,
Niſi mores mali eorum , licet iam meſſem metere maximam .

4. *Creſcit &c.* Creſcere &c. idem, ac ſe erigere; hic tamen vox translatè poſita prò ſurgit, ſeu *naſcitur* ; eo modo quo arbores , cæteræque plantæ ſurgere dicuntur ; cum ſe ab humo paulatim in altnm attollunt. Virgil. Georg. 4. v. 12.

Et ſurgentes atterat herbas .

Lib.2. eiuſdem v.182.

Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem .

Et Eclog. 5. v.39.

Carduus , & ſpinis ſurgit Paliurus acutis .

Quem verſum integrum arripuit Sedul. lib.1., partem aliquam Tertul. in Genes.

Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſſis
Carduus , & ſpinis multum Paliurus acutis .

5. *Sed pudet &c.* Ideſt pudore afficior, ac verecundia Satyris hiſce Latdnis captu difficillimis Matronas amplius detinere , & inutili , nihilque profuturo ſtudio vexare Romanas puellas , quæ noſtris verſiculis maximè delectantur.

5. *Auriculas &c.* Vòx hæc quamquam diminutivi formam habeat , non tamen parvam aurem denotat , vel mollem illam particulam, quæ etiam infima , & ima auris appellatur ; & ſub nomine λόβος à Græcis agnoſcitur. Ità Cicer. ad Q. Fratrem. *Auriculas fortaſſe mordicus abſtuliſſet .* Martialis autem pro

tota

tota aure poſuiſſe videtur, cum ait: *Garris Neſtor in Auriculam;* necnon Perſius Satv.1. inquiens.

Auriculas aſini quis non habet?

Seù potius:

Auriculas aſini Mida rex habet.

Licet ibi dictum metaphoricè pro corrupto, & pravo judicio in Romanos, ſpecialiùs tamen in Claudium, & Neronem.

5. *Numeris Latinis &c.* Nempè carminibus Latinè compoſitis, & certo metro adſtrictis. Numerum, & modum plerumque confundi docent plurimi ſcriptores; Nam Virgil.cum dixit Eclog.9.

Numeros memini, ſi verba tenerem:

Videtur per *numeros* intelligere *modos*; prout & Manili.l.1. numeros ad vocem retulit.

In numerum Phœbo modulante referre.

Atque ità interpretatur Germanus locum illum Virg.Eclog.6. verſ.28.

Tum verò in numerum Faunoſque, feraſque videres Ludere.

Nam *in numerum* accipit pro *in modum.* Idemque autumat Muretus in illud Catulli de Nupt. Juliæ, & Manlii, *in modum dicite*, explicans, *concinnè*, ἐῤῥύθμως, ideſt *numeroſè.* Hos, aliosque plures imitandos ſuſcepit in ſignificatione vocis hujuſcemodi, & quidem pereleganter; attamen quemlibet eorum minus propriè loquutum fuiſſe indè reſultabit, quod *numerus* ad ſaltationem pertineat, *modus* autem ad can tilenas. Firmant hoc plurima exempla, tam ex Græcis, quam ex Latinis ſcriptoribus petita, quæ legere eſt apud Ludov. de la Cerda in Comm. ad Eclog. 6. Virg. in ver. ſuprà relat. *Tum verò &c.*, ubi ad ſatietatem adducuntur.

5. *Torquere &c.* Plures ſignificationes admittit hoc vocabulum apud Latinos, de quibus conſulantur Grammatici: accipitur à noſtro Sectano pro tormentis in quemquam ſævire, prout Cic.3. de Finibus dixit, *Equuleo torqueri*; metaphoricè tamen, innuens illam verborum juncturam, & certum vinculum cum determinata ſyllabarum quantitate, & qualitate, eſſe quaſi ſermonis torturam: Niſi malis accipere *torquere*, pro *gubernare*, ideſt quadam regula, metroque à veteribus poetis præſcripto ſermonem regere; & conſequenter dicere Sectanum pro-

Obſcuriſque jocis. Ethruſcæ cura Puellæ

Jam

NOTÆ.

proprius accedere voluiſſe Virg. lib.4. Æneid, ubi de Jove.

Cœlum, & Terras qui Numine torquet.

Vel potius, quod cum torqueo ſit, curvare, inflectere &c., propriè ad carmina transferatur, qui his numeris, ſeu modis dicuntur inflecti; nam verſus, vt placet Grammaticis, dicti ſunt à *vertendo*, quod antè quam legitimos accipiant numeros, modò hoc, modò illo modo vertantur.

6. *Obſcuriſque jocis &c.* Ideſt, qui ab omnibus intelligi nequeunt, præcipuèque ab iis, qui minimè Latinam linguam callent: nam obſcurum propriè, quod ſine lumine; unde Virg.2. Æneid. dixit.

Obſcura nocte per umbram.

ac æquivalet tenebroſæ; niſi fortè ad difficultatem referat; nam & in hoc ſenſu obſcûritatem accepit Cicer. de Finib. *Ineſt in ipſis rebus obſcuritas*; quem ſecutus videtur Sectanus noſter.

6. *Ethruſca &c.* Inter reliquas Italiæ gentes Ethruſci principatum occupant benè, concinnèque loquendi, undè eorum idiotiſmi, & dicendi formulæ, uti excellentiores, in pretio apud omnes exteros habentur. Hanc autem excellentiæ prærogativam inter ſe plurimæ ipſius Ethruriæ Civitates invicem contendunt; A judicio abſtineo; ſua cuique laus, ſuum cuique vitium eſt: Placet illud Auguſtini l.5. de Civit. Dei c.11. *Iactantiam tolle, & erunt pares omnes.* Hanc autem Ethruſcæ lingu præſtantiam inter graviſſima ſtudia, quibus detinetur maximè colit, ac promovet Marcellus Severolus digniſſimus Romanæ Curiæ Prælatus, vir numeris omnibus abſolutus, & celeberrimum in Romana Aula nomen, qui nuperrimè inſigni ſuæ Bibliothecæ privatam adjecit Authorum omnium, qui hactenus Ethruſco idiomate ſcripſerunt. Illic enim videre eſt in unum collectas plures librorum Myriades, non modo nativo lepore conſperſas, ſed omnium ſcientiarum doctrina refertas: adeò ut Tuſcus ſermo, tum ubertate ſententiarum, tum vocabulorum elegantia, & illecebra (pace dixerim Græculorum) nemini ſecundus videatur.

6. *Cura*

6. *Cura &c.* Ut tuum nomen, ò Philodeme, perennetur; Nam proprium eſt Muſarum reddere viros celebres; quemadmodum habet Virg. 7. Æneid.

> *Nec tu carminibus noſtris indictus abibis*
> *Oebale.*

Cui conſonant Horat:

> *Non ego te meis*
> *Chartis inornatum ſileri,*
> *Totve tuos patiar labores*
> *Impunè, Lolli, carpere lividas*
> *Obliviones*

Et Pindar. Ode 3. Pyth. *Neſtor, & Lydius Sarpedon habent famam apud homines ex ſonoris verſibus*; & infrà; *Virtus quæ cognoſcitur per cantus inclytos, diuturna eſt.* Cura autem pro opere accipienda eſt ad ſenſum Martial.

> *Teque piget curæ præmia ferre tuæ.*

Vel pro ſtudio, ac ſi dixiſſet; erit Philodemus ipſe ſtudium poſt hac poeſis Ethruſcæ.

6. *Puellæ &c.* Puellam Ethruſcam dicit Muſam, & in Muſa ſubintelligit Carmen, nam Muſam de carmine prædicari vidimus ſuprà hac eadem Satyra v 2. Qua autem de cauſa puellam dixerit, inde factum autumamus, quia Muſæ omnes virgines cenſebantur, & venuſtæ; Tales ſiquidem eas nobis exhibet Platonis illud epigramma relatum à Diogene Laertio in vit. hujus Philoſophi, quod ſic ſe habet.

> *Hæc Venus ad Muſas; Venerem exhorreſcite Nymphæ,*
> *Armatus vobis aut amor inſiliet.*
> *Tunc Muſæ ad Venerem. Lepida hæc tolle ioca precamur;*
> *Aliger huc ad nos advolat ille puer.*

Et quidem Euſeb. l. præp. Evang. nuncupatas eſſe Muſas affirmat à Græca voce μυέω, quæ ſignificat bonis, honeſtiſque diſciplinis inſtruere. Hinc Orphæus in hymnis benè de Muſis concinit, quod Religionem, & optimam vivendi rationem hominibus exhibuerint. Undè μυσεῖον locus Muſis, & ſtudiis conſecratus, in quo de diſciplinis honeſtis agitur, ac etiam, ut placet Philoſtrato in vita Tyanei, ubi Muſæ honeſtè colebantur, & reſponſa reddebant.

7. *Vernaque lepore &c.* De excellentia Linguæ Ethruſcæ ſuprà reliqua Italiæ idiomata eruditi omnes conveniunt, & nos

innui-

Jam poſthac Philodemus eris, vernaque lepore
Verſiculos faciam, quos docti Nævia cunni,

Et

NOTÆ.

innuimus paulò ſuperius ſub num. 6. in v. Ethruſcæ. Quod autem ad locum hunc ſpectat, addimus, mirificè linguam eamdem Ethruſcam meritò à Sectano extolli per hæc verba, *Verna lepore*; Lepor enim propriè ſonat venuſtatem, & urbanitatem ſermonis, ac dicendi ornatum, concinnitatem, & elegantiam, quibus præ cæteris Italiæ populis Ethruſci florent. Talem eſſe vim hujus vocis fatentur Cic. 7. Verr. *Lepore, ac venuſtate affluens*, & primò de Orat.; *Magnus in jocando lepos erat in homine*; tandemque 4. Acad. *Cujus primo non admodum probata ratio, quamquam floruit acumine ingenij, tum admirabili quodam lepore &c.* Leporem hunc porrò Græci vocant καλλιέπειαν, quod eſt verborum ornatus, & ſplendor teſte Heſych. à καλλιέπειν deductum, ideſt, ut habent Ariſtot. 3. Reth., Plat. in Apolog. Socratis, & explicat Budæus in Epiſt., ornatè, & eleganter dicere; ex quo factum, ut καλλιόπην una ex novem muſis diceretur, ea videlicet, quæ inter reliquas primum honoris locum obtinet ex Ovid. lib. 5. Faſtorum.

Prima ſui cœpit Calliopea chori.

Vtpote quæ ſit teſte Lucret. l. 6.

Requies hominum, Divumque voluptas.

Et tradat Virgil. in opuſc. quod

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Sed de hoc ſatis. Jam ad verbum *Verna*, quo non dubium eſt, quin Sectanus indigitare voluerit nativum, vulgaremque ſermonem. Sed quarè vernam Ethruſcam Linguam dixit? cum ſe Romanum, Romæque ortum, & educatum hac eadem Satyra proteſtetur, ut mox videbimus? At toti Italiæ eadem communis Lingua, varius, diverſuſque tantum idiotiſmorum, & elegantiæ uſus, undè benè verna lepos de Ethruſca, cujus venuſtas, & ſi ſtudio quęſita, attamen fundatur in ipſa patria, quæ cunctis eadem eſt.

8. *Quos docti &c.* Doctas mulieres, aut ſaltem eas, quæ doctæ videri volunt, improbat.

Juve-

Juvenal. Saty.6.v.184.

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt;
De Sulmonenſi mera Cecropis? omnia Græcè,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta. Quid ultra?
Concumbunt Græcè.

& denuò Saty. eadem v.447.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curvum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes;
Sed quædam ex libris & non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata ſemper lege, & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ
Verba. Solæciſmum liceat feciſſe marito.

De hac re vide Mart. lib.11.Epigr.20. Addo tantum Lucretiam ideò inter caſtiſſimas matronas recenſitam, quia, ut ait Livius ad fin.1. Lib. inventa eſt *nocte ſera dedita lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedens.*

8. *Nævia &c.* Nævias plures apud Gruterum lego; exhibeo vetera Epigrammata ex eodem; Primum relat. pag.665. num.7., iterumque repetitum pag. 1049. 3.

ÆLIÆ

SABINÆ

NEVIÆ

FORTVNA

TA. FILIÆ

DVLCISSIMÆ

alterum

Et Quartilla legat, nulloque interprete Galla.
Porticus Agrippæ malè nititur alta columnis,
Bal-

NOTÆ.

alterum pag. 810. n. 10.

IN. QVEM. INDVXI. SARCOPHAGVM. IN. QVEM.
DVM. RECEPTVM. FVERIT. CORPVS. MEVM. NVLLI.
VNQVAM. LICEAT. ACCEDERE. NEQVE. VEXARE.
OSSA. MEA. NON. FILIVS. NEQVE. NEPOTES. NEQ.
DE. AFFINITATE. VLLVS. SI. QVIS. AVTEM.
INFRINGERE. VEL. APERIRE. AVSVS. FVERIT.
IS. TVM. INFERET. POENE. NOMINE. REIP.
FOLLES. MILLE. SANE. NEVIA. PRISCA.
SI. PERMANSERIT. VSQ. IN. DIEM. FINITIONIS
SVÆ. RECIPIETVR. IBI. IVXTA. MARITVM. SVVM.

9. *Et Quartilla &c.* De Quartilla vide, quæ diximus Satyr. 2. 3. 4. & 5.

9. *Nulloque interprete &c.* Ideſt nullo adhibito, qui è Latina in vernaculam linguam vertat.

9. *Galla &c.* De hac lege Martialem in ſuis Epigrammatibus.

10. *Porticus &c.* Minime dubium eſt, quin Porticus Agrippæ ſit is, qui adhæret templo Deorum Matri, Diiſque omnibus ab eodem Agrippa ſacrato, & ſub nomine Panthei agnito. Sed de Pantheo notis ſequentibus; nunc tantum ſiſto in voce porticus, ſub qua intelligitur Locus amplus, & ſpatioſus tecto incluſus ob repentinos imbres, & umbrarum, ac deambulationis gratia ædificatus. Meminit Virgil. 3. Æneid. v. 353., loquens de Trojanis ab Heleno exceptis.

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis.

Sed cur è Chaonia, & Heleno illius regionis Rege exempla mutuo, cum Roma ſuppeditet abundantiſſima. In Urbe etenim frequentiſſimas vidit porticus antiquitas, earumque reliquias admiratur poſteritas, ex iis magnitudinem, majeſtatem,

&

& amplitudinem potius coniiciens, quam agnoſcens. Earum uſum à Græcia derivatum cenſeo, nam Vitruv. lib. 1. cap. 1: *Græci*, ait, *in quadrato ampliſſimis, & duplicibus porticibus fora conſtituunt, crebriſque porticibus, aut lapideis, aut marmoreis epyſtiliis adornant, & ſupra ambulationes in contignationibus faciunt.* Στόας illi nuncupavere, plurimæque Athenis præcipuè viſebantur; Celebriores tamen fuere, quæ στοὰ βασίλειος, hoc eſt porticus regiæ, ac in dextra Ceramici parte conſpiciebatur, in qua Rex, ut inquit Pauſanias, ſedere ſolebat, cujus Magiſtratus annuus erat; necnon duo aliæ, quas & βασιλείους στόας dixit Harpoc., quarum unam recenſet ἐλευθερίου Διός, ideſt Jovis Liberatoris è regione ſuperioris βασιλείου collocatam fuiſſe: alteram adiicit olim ἀνάκτων, *regiam*, poſteà verò ποικίλην *variam* à picturis diverſis nuncupatam; illam forſan Stoicorum congreſſibus decoratam, & poſtquam Zeno cum ſuis Diſcipulis frequentare cæpit, ibique Philoſophica dogmata proponere, & docere, ut pridem infamem cæde mille, & quadringentorum triginta Civium cohoneſtaret, tutamque ab ulterioribus inſidiis redderet, ſicut narrat Laertius in vita ejuſdem Zenonis, inquiens: *Vertens igitur ſe ad porticum variam, quæ* Πεισιάνακτιος *appellabatur, & ex varia, & multæ ſcientiæ pictura Polygnoti* ποικίλη, *orationem formabat, volens, & locum illum ſtabilem facere, nulliſque ſeditionibus ultra violabilem; Namque ad MCCCCXXX. cives ibi fuerant necati.* At ſicut numero plures, ita & ſplendore majores porticus ædificavit ſibi Roma, tunc rerum domina: nullum ſiquidem penè publicum ædificium ſine ampla porticu, ut priſca referunt monumenta; quin & innùmeras privatas legimus, de quibus non eſt hic ocium dicere. Splendidiſſima adhuc hodiè ſupereſt, quæ Panthei frontem tegit, altiſſimis, & miræ molis columnis fulta, interiorique ornatu mirè decora, licet temporis injuriis, barbarorum incurſibus, aliiſque momentis plurimum imminuto: At quantò admirabiliores illæ, quæ fora circuibant, & claudebant! Vitruvius eas *duplices* appellat, ſeu malis reſpicere altitudinem, ſeu latitudinem; hanc, quia ambulationi commodiorem, illam quia majeſtati convenientiorem, & ornatui propriorem; de qua ſatis etiam ipſe teſtatur addens, & præcipiens; *ut ſuperiores columnæ quarta parte minores, quam inferiores conſtituantur; propterea, quod oneri ferundo, quæ ſunt inferiora, firmiora debent eſſe, quam ſuperiora.*

tiora. Certè Romanum forum, quod & Vetus, utpotè à Romulo inſtitutum, Porticibus à Tarquinio Rege cinctum fuit. Nec aliter ſe habuit forum Auguſti, de quo Sueton. in Auguſt. *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriæ Ducum præſtitit, qui imperium Populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent; & ſtatuas omnium triumphali effigie, in utraque Fori ſui Porticu dedicavit*: Addo Trajanum, in quo maxima, nobiliſſimaque porticus fuit, cujus etiam hodiè aliquot viſuntur columnarum fragmenta propè ipſam coclidem iacentia; De Pompeii celeberrima Porticu, ait Ovid. lib. 1. de Artq.

Tù modo Pompeja lætus ſpatiare ſub umbra.

Fortè eadem, quæ & Iſidi ſacra, in quam mulieres conveniebant, ut innuit Juven. Saty. 6. v. 60.

Porticibus ne tibi monſtratur fœmina voto
Digna tuo?

Illud & ſubdendum eſt, apud Gruterum legi plurimas inſcriptiones, quæ porticuum hujuſcemodi mentionem faciunt, ac eorum, qui eas conſtruendas curaverant, memoriam perennant. Has legere licet pag. 24.6., pag. 65.3., pag. 172.3., pag. 23.9., pag. 69.4., pag. 174.8.

Duas tantum celebriores refero; Primam Galerii, & Gratiani foro Trajani affixam pag. 171.9.

GALERIVS. ET. GRATIANVS. PII. FELICES. AC. TRIVMPHATORES. SEMPER. AVGG. PORTICVS. ANTAS ARTASQ. COLLINI. ET. AD. ORNAMENTVM. VRBIS. ADDI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT.

Alteram Lucii Vallii Solonis pag. 66 2. ad templum Silvani.

SILVANO. SANCTO
L. VALLIVS. SOLON
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT.
DEDICAVIT. K. APRILIB.
PISONE. E. T. BOLANO. COS.

Reliquas omitto, ne longior, quam par eſt, ſim; ſimplicis enim notæ metam jam exceſſi.

10. *Agrippæ*

10. *Agrippa &c.* Ex hoc diſtinctivo dignoſcitur intelligendum eſſe hunc locum de ſolo Pantheo, quod ab Agrippa genero Auguſti ædificatum eſt, ut notant Authores, & oſtendit inſcriptio literis cubitalibus in fronte porticus ſculpta.

M. AGRIPPA. F. L. COS. TERTIVM. FECIT.

Perfecit tamen biennio poſt, & dedicavit anno Urbis 539., ut eſt in Dione; Maxima, celeberrimaque hæc moles ſæpe temporis, ſeu caſus injurias ſubiit; nam ſub Tito magno illo incendio, quo & Capitolium, tertiò arſit, ut ex Dionis compendio: Reſtituit tamen Domitianus, & ità capiendus Caſſiodorus in Conſulatu IX. *Inſigniſſima Romæ facta ſunt, Forum Trajani, Thermæ Trajani, Meta ſudans, & Pantheon.* Fulminis ictu iterum percuſſum, & flamma aſſumptum anno XIII. Trajani ex Euſebii Chronico, ab Hadriano priſtino ſplendori redditum narrat Spartianus in ejus vita: Reſtituere itidem Luc. Septimius Severus, & Marcus Aurelius Antoninus, qui in fronte operis hodièque inſculpti leguntur; en inſcriptionem, quam iidem Imperatores ponendam curavère.

IMP. CÆSAR. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. PP. PROCOS. ET. IMP. CÆS. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

Iconem hujus Templi minimè hic dandum puto, quandoquidem omnium oculis obvius; Latitudo, atque altitudo ejuſdem par eſt, pedum 144. Pauca quæ de ornatu ſuperſunt admirabilia ſunt in ipſo corpore, etiamſi penè ſpoliato, & nudo; nam artificium & ſymmetria per omnes partes maximas, & minimas in eo excellet, decor, ordo, devinctio ſingularis, ut Sebaſtianus Serlius, vir peritiſſimus, qui omnia ejus membra deſcripſit, & menſus eſt, habendum cenſuerit hoc, velut unicum exem-

plar cõſummatæ Architecturæ. Quid ſi inſpicere contigiſſet priſcis ſuis ornamentis decorum, totque pretioſiſſimis lapidibus, ſignisque redimitum quid tandem, ſi prægrandibus, æreiſque tegulis, & quidem auratis, non verò argenteis, ut putat, ſcribitque Albertinus in nova, veterique Roma, quas abſtulit Conſtantinus Heraclii filius, ut pleraque alia ornamenta Romæ reliqua, avexitque in Siciliam, tectum? Sanè nobis etiam contigiſſet id, quod evenit Conſtantio, referente Ammiano Marcellino lib. 16. *Qui Romam ingreſſus, imperii, virtutumque omnium larem, cum veniſſet ad Roſtra, perſpectiſſimum priſcæ potentiæ Forum obſtupuit, perque omne latus, quo oculi ſe contuliſſent, miraculorum denſitate perſtrictus, allocutus Nobilitatem in Curia, populumque pro tribunali, in Palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata. Deindè intra ſeptem montium culmina, per acclivitatem, planiciemque poſita Urbis membra colluſtrans, & ſuburbana; quicquid erat primum, idem in ere inter alia cuncta ſperabat; Jovis Tarpei delubra, quantum terrena divinis præcellunt; lavacra in modum provinciarum extructa; Amphitheatri molem ſolidatam lapidis Tyburtini compage; Pantheon, velut regionem teretem ſpatioſa celſitudine fornicatam &c.* At jam ad nomen, de cujus origine, cauſaque videtur dubitaſſe Dio, ſcribens; *Pantheon ſic fortaſsè dicitur, quia plures Deorum imagines in ſimulacris Veneris, & Martis complecteretur; vel ut ego cenſeo a forma illa devexæ rotunditatis, & quia Cœlum referret.* Abeo tamen à ſententia Dionis, licet eam antiquitas conſecraverit; nec me movet, quod inibi fuerint paucæ, & certæ, nec communiter Diis poſitæ, ſtatuæ, puta Martis, Veneris, & Julii Cœſaris, imò & ipſius Auguſti in Veſtibulo, quam cum ſua poſuit Agrippa, quemadmodum refert idem Dio. At cum taceat Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa factum, quod ſcribit Plinius lib. 25., ex quo præcipuus, & præſes Deus ibi fuiſſe videtur, indè, judicandum cenſeo illum ſuppoſuiſſe hoc ſimulacrum uti notiſſimum, reliqua verò uti minus nota enunciaviſſe; nam cum Pantheon omnes Deos dicat, omnes ibi cultos, effigiatoſque ſive ſimul, ſive ſeorſim autumandum eſt. Unde forſan non malè conjiciam, ſi ibi Signum præcipuum fuiſſe cultum dixero, quod Jovis Ultoris imaginem principaliter repreſentaret, minus verò principaliter plures alios Deos, ut in more eſſe, ex pluribus ſignis Pantheis licet dignoſcere; èx quibus affero elegan-

gantiſſimum æreum ex celeberrimo Muſæo J. P. Bellori eruditæ antiquitatis amantiſſimi, qui non ita pridem malo reipublicæ litterariæ è vivis receſſit.



Probat optimè hæc imago noſtram conjecturam, nam uti vides

 omnes,

omnes ferè Deos ex eorum ſymbolis indigitat, in ſemicirculo Lunam, in pharetra Cupidinem, in alis cum ipſum, cum Victoriam, in cornu-copiæ Cererem, in ſerpente intorto brachio Salutem, in pelle caprina pectori appoſita Bacchum, in gubernaculo navis Fortunam &c.; cum cæteroquin principalis repreſentatio ſit Iſidis, ut ex capitis ornamento, facieque dignoſcitur; Quod mirè convenit cum eo ſigno, quod Lucianus dicit ſe vidiſſe in Syria, Statua videlicet multiformi, quæ quidem eſſet Juno, haberet tamen aliquid Palladis, Veneris, Lunæ, Rheæ, Dianæ, Nemeſeos, & Parcarum. Quibus adde Apul.lib.11., qui invocans Iſidem, illam Cærerem, Dianam, Venerem, & Proſerpinam nuncupat; Macrob.lib.Saturn. qui probat omnes Deos ad Solem referri, tandemque veteres duas inſcriptiones, primam apud Gruter.

TE TIBI
VNA . QVÆ . ES . OMNIA
DEA . ISIS .
ARRIVS . BALBINVS . V. C.

Alteram quæ Romæ in Hortis Juſtinianeis viſitur.

DIS . DEABVS
C. IVLIVS . C. F. ARN.
AFRICANVS . BRIXEL-
LO . OPTIO . EQVIT.
COH. VIII. PR. 7. IVLI .
SIGNVM . AEREVM
PANTHEVM
D. D. V. L. L. M
DEDICATVS. X. k.
AVG. BARBARO . ET
REGVLO . COSS.

Ideſt:

Diis Deabus
Cajus Julius Caii Filius
Arnienſi tribu, cognomine Africanus

Bri-

Brixello Optio Equitum Cohortis
Octavæ Prætoriæ Centuriæ
Juli, Signum Aereum Pantheum
Dono dedit, voto libenti, libero munere,
Dedicatum Decimo Kalendas Auguſtas,
Barbaro, & Regulo Conſulibus.

Fatemur alia ſignificatione legi frequenter in antiquis monumentis Pantheon, & Panthean, ita ut dictionis ſenſus ſit *omnino Deus, omnino Dea*. Præludit huic ſententiæ Dio, ſcribens ſororem Caligulæ *Druſillam conſecratam ab eo, & ab omnibus Pantheam vocatam*. Favent veteres lapides apud Gruterum pag. 1.

PANTHEO. AVO
SACRVM
L. LICINIVS. ADAMAS
LIB. FAVST. II VIR. AVG.

Et pag. 1005.

DIVO
PANTHEO
SALVIS
ASTERIS
L. CASSIVS
INGENVVS
V. S. L. M.

Sed hæc nihil ad rem noſtram, proſequamur notas.

10. *Malè nititur alta &c.* Ideſt non ſatis ſuſtentatur amplissimis, excellentiſſimiſque columnis, quibus munitur, quin nobiliora, delicatioraque ornamenta plurimum damni temporis ab injuriis non ſenſerint, & vetuſtate corroſa perierint, vel ſaltem à veteri ſplendore abierint. Adde tres ex ipſis columnis jam collapſas totius penè porticus ruinam ſecum tuliſſe; ſed admirabile in Romanæ Urbis ornatum Alexandri VII. Pontificis Maximi ſtudium, & amor effecit, ut ex cum ſuperiori fornice, ſi non priſtino ornatui, & ſplendori, ſaltem primævæ formæ redderentur.

Balneaque, & Circos, Latii monumenta decoris

Lactu-

NOTÆ.

11. *Balneaque &c.*. Romanas Thermas *in modum provinciarum extructas* dixit Ammian. Marcell. ſuprà laudatus; *mirabilem autem magnitudinem thermarum* prædicat Caſſiodorus. Inter has Antonianæ, & Diocletianæ magis refulxerunt, quarum miram laxitatem ſic deſcribit Olympiodorus: *Erant lavacra publica ingentia, ſicut Antonianæ Thermæ dictæ in uſus lavantium, ſellas habebant mille ſexcentas è polito marmore factas: Diocletiani autem circiter bis tantum*; itaut in his ter mille, & ducentæ perſonæ potuerint ſimul lavari, in illis mille, & ſexcentæ. Quid ſi addideris reliquum thermarum corpus, videlicet cellas, ſolia, piſcinas, capaces, & longas porticus, xiſtos, nemora, ſpheriſtæria, & reliquas partes? ſanè Blondum noſtrum minimè earum amplitudinem exæquaſſe cenſebis, cum ait, aſſeruitque, *ne maxima quidem quatuor Italiæ palatia ſimul juncta, poſſe illas Diocletianas adæquare*. At de his conſule Sidonii epiſt.11. lib.1., & Hierony. Mercurial. de arte Gymnaſtica, qui plenè ſatisfacient: Ad ornatum propero, & Senecam teſtem affero dicentem, increpantem, & delineantem non balneas aliquas, ſed Principum dixeris pluſquam aulas: Audi: *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, ni parietes magnis, ac pretioſis ORBIBUS refulſerint: ni ALEXANDRINA marmora NUMIDICIS cruſtis diſtincta ſint: niſi illis undique, & in PICTURAE modum variata CIRCUMLITIO prætexatur, niſi VITRO condatur camera: niſi PARIUS, & THASIUS lapis, quondam rarum in aliquo Templo ſpectaculum, Piſcinas noſtras circumdederit: niſi aquam ARGENTEA epitonia fuderint: & adbuc plebejas fiſtulas loquor: Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum STATUARUM, quantum COLUMNARUM eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum petitarum, & impenſæ cauſa? Quantum AQUARUM per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum venimus, ut nonniſi GEMMAS calcare nolimus.* Hæc tantum de privatis dicta, quod ſi adeò cultæ, decoræ, & tanto luxu, tantaque impenſa, operaque paratæ, quid de iis, quas Principes publicabant? Has celebriores & principes enumeratas agnoſcimus duodecim fuiſſe numero, videlicet, Antonianas, & Dio-

& Diocletianas ſuprà enunciatas, necnon Agrippinas ab Agrippa juxtà Pantheon conſtructas, Alexandrinas ab Alexandro Severo ædificatas, Aurelianas, quas Aurelianus in regione Transtyberim extulit, Conſtantinianas, Domitianas, Gordianas, Neronianas, Novatianas, Severianas, & Trajanas; quibus Albertinus ſuprà recenſitus adæquat Tytianas, Decianas, Commodianas, Syrtaeas, Philippi Auguſti, & Olympiades. Ac ſive privatas, ſive publicas, regiaſque balneas inſpicias, velimus ſcias, eo earum luxum Romæ creviſſe, ut *ad infinitum pervenerint numerum*, ſi fides Plinio hæc ſcribenti lib. 36., ubi addit ſolum *Marcum Agrippam* in Ædilitate ſua *gratuita præbuiſſe balnea centum ſeptuaginta*. Ne mireris tamen, Lector, in veteri Roma tantùm balneis indulſiſſe Gentes, nam aſſiduus earum uſus, ſive is ad munditiem, ſive ad ſuperſtitionem, ſive ad delicias pertineret; lavabant enim quotidiè, & de more, cum ad cœnam ituri; undè Artemidorus rectè ait: *Balneum nihil aliud ſuo ævo fuiſſe, quam tranſitum ad cœnam*: Hinc benè notatus Commodus Imperator *ſepties, aut octies in die laviſſe*, quia totidem vicibus cibo ſe dederet. Hæc Lipſio debemus, à quo, ut plurimum, hauſimus, contraximus autem quantum fieri potuit, ut lectori parceremus; Vide eum (ſi lubido eſt) in tract. luculentiſſimo de magnit. Rom. lib. 3. cap. 8.

11. *Et Circos &c.* Plures Circos Roma vidit, Maximum ſcilicet, Flaminium, ac Neronianum; quorum primus fuit ad Palatii radices ædificatus; Secundus Campum Martium, tertius Vaticani Montis planitiem occupavit, in quo Nero ſepè Circenſes ludos egit, ac aurigam ſpectanti populo depoſita majeſtate ſe exhibuit; Inſuper quartum fuit, qui Caracallæ nuncupatus, cujus rudera adhuc remanent propè viam Appiam, loco dicto *Capo di Bove*, integriora, quam cæterorum, qui ætatis longævæ invidia vaſtati vix, ac ne vix quidem umbram ſui ipſius diligenter ſcrutantibus prebent. Attamen reliquos mitto, & ad ſolum Circum Maximū me confero, cui primus locum deſignavit L. Tarquinius, uti refert Liv. lib. 1. cap. 35. *Tunc primum Circo, qui nunc Maximus dicitur, deſignatus locus eſt; loca diviſa Patribus, Equitibuſque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent; fori appellati. Spectavere, furcis duodenas à terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes. Ludicrum fuit, equi pugileſque ex Etruria maximè acciti. Solemnes deinde annui manſere ludi,*

 magni-

magnique variè appellati ab eodem Rege. Sic ab ineunte Romana magnitudine Circus Maximus inſtitutus eſt ſub Regibus, & in eo loci cuique ordini aſſignati, ludique equorum, & pugilum decreti, gradus equitibus, & patribus conſtituti. Notat inde Raphael Volaterranus, vir non tantum doctrina, quam morum, & pietatis ſanctitate celeberrimus l. 19. Comm. Urban. pag. 691. edit. Baſileen. anni 1559. ex Sueton. in C. Cæſar., quod ipſemet Cæſar Circum ab utraque parte produxerit, & in gyrum euripum addiderit; & tandem Claudium marmoreis carceribus, (ita Sueton. in Claudio) auratiſque metis, quæ utraque & tophina, & lignea prius fuerant, excoluiſſe; propria Senatoribus conſtituiſſe loca promiſcuè ſpectare ſolitis. Quo ad ejus amplitudinem, conſtat fuiſſe trium ſtadiorum, nempe paſſuum Geometricorum 375. longitudinem, latitudinem vero unius ſtadii, videlicet 125. paſſuum: Additque Volaterran. loc. cit., ipſam longitudinem diviſam fuiſſe in partes ſeptem, quarum unam dabant anfractui, quo in dextro circi ſpatio in ſiniſtrum certantes ad ultimam migrarent metam; alias verò metas per lineam mediam ità diſpertitas, ut per longitudinem circi æquis inter ſe ſpatiis diſtarent, & caperent totius longitudinis ſeptimam ſepties, ductamque à meta ad metam veluti crepidinem altam pedes nihil minus ſex; fuiſſeque Circi lateribus gradationes, ubi ſpectatores conſiſterent. Hæc quæ ex Leone Oſtienſi profitetur accepiſſe Author non multum diſtant à ſententia Caſſiodori, qui aliqua refert; quę ille tacuit, inquiens. *In Circo alba linea currentes coercebantur, ut quadrigis progredientibus indè certamen oriretur, quod ſeptem peragitur metis numero planetarum. Ipſæ verò metæ ternas obtinent ſummitates inter has duo ſunt obeliſci, ſacra priſcorum Chaldaicis ſignis, quaſi literis, indicantes*. Sed ut melius res ipſa percipiatur, placuit ob oculos ponere Circum ipſum ex celeberrimo numiſmate Gordiani Imperatoris, quod produxit Angelonus in Hiſt. Auguſta.

Si



Si circumpoſitos gradus ad ſpectatorum vſum, ſi lineas ſeptem, ſeu partes, quæ circi longitudinem æquis ſpatiis dividant, ſi alterum ex obeliſcis excipias; habes ex hoc numiſmate ea omnia, quæ ad ejuſdem ornatum, & ſplendorem pertinuere: videlicet aggerem, ſic vocat Juven. Saty.6. v.587., ſeu euripum, uti appellat Suetonius loc. cit. Habes metas cum ovis Caſtorum ſuper impoſitis, & fortè deauratis, & Obeliſcum Ægyptium, ex duobus in medio Circi locatis, quorum majorem Soli, minorem Lunæ dicavere Romani Principes. Qui plura cupit, conſulat Panvinium de Lud. Circenſ.

11. *Latii monumenta &c.* Verba hæc ad prçcedentia expreſſam relationem habere minimè hæſitandum eſt, ſcilicet ad Pantheon, ad Thermas, & ad Circos; fatendum autem ſubobſcurè etiam indigitare reliqua magnitudinis Romanæ monumenta, quæ perierunt, ſaltem ex maxima parte, puta Capitolium, Ædem Jovis Capitolini, Amphitheatrum, Theatra, Curiam, Templum Urbis, atque Pacis, Metam ſudantem, Naumachias, & ſi qua alia, quæ ad æternæ Romæ ſplendorem ſpectavere, tantaque admiratione digna fuere, ut poſt Plin. l.3. & Ammianum Marcel. loco cit. ſub n.10 ad v. *Agrippæ*, magno ore de ea prædicarit Caſſiodorus: *Ferunt Priſci ſæculi narratores fabricarum ſeptem tantum terris attributa miracula. Epheſi Dianæ templum &c. Sed quis illa vlterius præcipua putabit, cum in vna Urbe tot ſtupenda conſpexerit? Habuerunt honores, quia* præ-

Lactucæ inſultant, betæ, lætique coronant
Cauliculi, & ſtatuas rumpit caprificus equeſtres.

At

NOTÆ.

præceſſerunt tempore: & in rudi ſæculo quidquid emerſiſſet novum, per ora hominum jure ferebatur eximium. Nunc autem poteſt eſſe veridicum, ſi UNIVERSA ROMA dicatur eſſe miraculum.

12. *Lactucæ inſultant &c.* Frequentativum ab inſilio, ideſt ſuper hæc diruta ædificia ſaliunt, atque vegetè, & ſublimes naſcuntur: Nam ut plurimum ſolo æquatis tot ſuperbis molibus, & ne quidem earum veſtigiis vix remanentibus, ſucceſſit nuda terra, indèque in hortos, in quibus olera ad uſum Urbis ſeruntur, atque coluntur, loca illa tam illuſtria converſa fuere.

12. *Lætique &c.* Ideſt virides, & altè vegetantes ex imitat. Virgil. 1. Georg. v. 325.

Sata læta.

Et 2. ejuſdem v. 48.

Infœcunda quidem, ſed læta, & fortia ſurgunt.

12. *Coronant &c.* Ideſt in gyrum diſponuntur; niſi malis à poeta id ad veteres coronas referri, quæ victoribus ludorum in circis diſpertiebantur, innuereque voluiſſe deplorabili metamorphoſi in braſſicas, & alia vilia olera translatas, quæ illa loca diruta, & vaſtata dicuntur coronare. Hæc adeo vera ſunt, ut teſte non indigeant. Adeat quis, ſi lubet, Palatini radices, Quirinalis collem, Romam denique totam perluſtret, libenterque fatebitur ſe Urbem in Urbe non invenire, & ex tot ampliſſimis priſci Imperii monumentis vix informe cadauer, vix pulverem ſupereſſe.

13. *Et Statuas rumpit &c.* Infœcundam, inutilem, pernicioſamque hanc plantam veteribus ſepulchris innaſci faſſus eſt in ſuis inſulſis Criticis Philodemus; ſtatuis tamen innaſci negavit, & in errorem afferenti Sectano imputavit; Habebit noſter lector huic objectioni Sectanum reſpondentem in Apologetico ad calcem poſtremi libri hujus operis appoſito. Nil de hoc moramur. Hoc unum addere liceat, quod Romano floreſcente Imperio, habuit Roma viginti duos equos majores marmoreos, æneos deauratos viginti quatuor, eburneos nonaginta

ta

At nos ruderibus priſcum, ſenioque juvabit
Sermonem eruere, & cineres coluiſſe ſepulchri?

Quæ

Notæ.

ta quatuor, uti ſcribit Albertinus in vet. Rom.; atqui longa ætas eos penè omnes nobis invidit, quatuorque tantum marmoreos, unicumque æneum, qui Quirinalem montem, & Capitolium nunc exornant, ſervavit. Mitto aureum Conſtantini equum, qui octavam Urbis regionem, forumque in illa Romanum decoravit; eius etenim poſtrema ſors potius tribuenda avaritiæ, quam temporis vaſtationi.

14. *At nos ruderibus &c.* Rudera propriè ſunt lapidum fruſta, & ruinarum maceries, Antiquis raudus, & raudera nuncupabantur teſte Feſto. Vitruv. lib. 7. *Verus rudus eſt, ex materia veterum pavimentorum, & dirutorum ædificiorum, quæ lapidibus, & teſtis confractis, calceque arenæ commixta conſtat.* Sed per translationem eleganter à Sectano dicta ſunt de lingua latina, quæ penè in ſuis ruinis decreſcente Romano Imperio ſepulta permanſit, & jam à pluribus ſæculis in uſu communi obſoleta, nil niſi aliqua ſui fragmenta nobis in veteribus authoribus oſtentat. Ita ut ſenſus ſit. Quid nobis proderit, eam è ſuis cineribus excitare, & excitatam colere, vel è ruinis ſuis ad priſcum decus revocare?

14. *Senioque &c.* Proſequitur author metaphoram ſeniumque pro diuturno temporis decurſu accipit ex imitatione Plinii l. 7. c. 48. *Quidam Lunæ ſenio annum terminabant, ut Aegyptii,* de integro Lunæ annuo curſu intelligens.

15. *Et cineres coluiſſe ſepulchri &c.* Item metaphoricè, quandoquidem cinis eſt pulvis, in quem materies uſta reſolvitur. Hinc dictus cinis, qui reliquus pulvis ex cremato cadavere. Ita Virg. Æneid. 6. v. 226.

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam:

Et Æneid. 11. v. 210. de Latinorũ exequiis poſt maximã cædé.

Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram,
Mœrentes altum cineres, & circumfuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Ubi

Ubi vides tertio die datam cineribus mortuorum tumulationem juxtà ritum, de quo la Cerda in hunc locum Virgil. n.8. pag.575. Adde Virgilio Propert. l.2. eleg.13.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor;
Accipiet manes parvula teſta meos.

Ovid. Metam.

Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

Cic. in Verr. *Cur hunc dolorem cineri ejus, atque oſſibus inuſſiſti?* Et tandem Plin. l.19. c.11., ubi loquitur de quodam lini genere, quod igne non aſſumitur, atque ob id *vivum* vocat: *Regum inde funebres tunicæ corporis favillam à reliquo ſeparant cinere*: At de his, aliiſque ad cineres cadaverum ſpectantibus lege Gruterum de Jure Manium, & Chirchmannum de funerib., ex quibus amplam eruditionis veteris meſſem colliges. Ad ea, quæ mea ſunt, redeo, & metaphoram agnoſco, nam re vera periit lingua Latina, & tantum cineres remanere dicuntur, ſive eæ ſint in illa ſtudio acquiſita, ſeu in libris, & operibus authorum, quæ adhuc ſupervixere, ſeu tandem in tribus linguis, Italica, Gallica, & Hiſpanica, quæ Latinæ Linguæ filiæ nuncupantur. Quonam autem tempore ea fatum ſubierit, incompertum eſt; Senſim tamen perii ſe probabile eſt, & factam paulàtim à priſca puritate degenerem, Imperio Romano labente ipſam etiam barbararum gentium incurſus ſenſiſſe, & cum ipſis in barbariem degeneraſſe, præcipuè circà decimum ſæculum, quod, ut & illi proxima, ferreum fuit, & ab ignorantia nomen deſumpſit; donec tandem in hominum ore evanuit. Diximus autem labente Imperio Latinam linguam quoque ſenſim in barbariem cecidiſſe; nam quis crederet eo florente id fieri potuiſſe? Non neſcimus enim quantum Romani Latinæ, purioriſque linguæ propagandæ ſtuduerint, dum rerum potiebantur, & in omnes mundi plagas poteſtatem protendebant; cenſentes plurimum conferre eorum gloriæ, & potentiæ, ſi ſecum uno, eodemque idiomate gentes omnes loquerentur; Id agnoſcens S Auguſtin. lib.19. c.7. de Civit. Dei ait: *Data eſt opera, ut Civitas imperioſa, non ſolum jugum, verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret.* Ex quo rectè Toloſanus infert lib.15. capit. de Republ., *quod rerum publicarum moderatores voluerunt cum glo-*

ria

Quæ levis antiqua durabit gratia linguæ,

Roma

NOTÆ.

ria patriæ etiam propriam linguam, & ſermonem victores ad alias nationes propagare. Adbibueruntque ſollicitudinem, ut non tantum victi victorum leges, & mores vivendi acciperent, ſed & ipſorum ſermonem ſequerentur. Id Romanorum exemplo probare contendit, qui tam Gallos, quam Hiſpanos latinè loqui voluerunt, abolito eorum veteri, communique idiomate. Imo & eos apud Græcos idem tentaſſe author eſt Valer. Max. l.2. c.1. ſcribens: *Magiſtratus verò priſci, quantopere ſuam, populique Romani majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam, niſi Latinè reſponſa darent: quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in Urbe tantùm noſtra, ſed etiam in Græcia, & Aſia, quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffundebatur. Nec illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla in re pallium togæ ſubjici debere arbitrabantur, indignum eſſe exiſtimantes illecebris, & ſuavitate literarum imperii pondus, & auctoritatem donari.* Is honos nunc Gallicæ debetur nationi, procurante, promoventeque maximo, invictiſſimoque Ludouico Rege XIV., qui ultrà ſui regni floridiſſimi fines Gallicam linguam propagare exoptans, optimos quoſcumque authores tam Græcos, quam Latinos per electos interpretes Gallicè loqui coegit, nulloſque penè ſcriptores, tam ex Oriente, quam ex aliis mundi regionibus, ex iis etiam, quæ barbaræ apud nos nuncupantur, inertes reliquit, quin pari modo ſecum vernaculo idiomate loquentes regio dignarentur, & quod magis eſt familiari, eodemque benigno aſpectu, & plauſu; quantum commodi erga regnum, quantum amoris erga nationem illam, quantum denique decoris erga Regem inclytum importet, nemo eſt qui neſciat.

16. *Quæ leuis &c.* Linguam levem dicit, reſpectu reliquorum antiquitatis monumentorum, quæ etſi æternitati conſecrata viderentur, puta marmoreos, æneoſque coloſſos, attamen perierunt, nec niſi pauca quædam, & informia fragmenta ſuperſunt, ut inferius dicemus. Senſus igitur phraſis eſt. Cur

que-

Roma, tuos minuunt ſi ſæcula longa coloſſos,

Vixque

NOTÆ.

quærimus, ſtudemuſque gratiam, & leporem in veteri, eademque levi lingua, & in vocibus jam communi uſu obſoletis, quando ſaxa ipſa, æraque, quæ longiorem ætatem ſui ſoliditate, atque incorruptibilitate ſpoponderant, in rudera abierunt, & vix aliqua eorum fragmenta ſuperſunt?

17. *Roma, tuos minuunt &c.* Minuere eſt minorem reddere, & detrahere, benèque dicitur de ſtatuis, & ſimilibus, quæ meritò, cum franguntur, dicuntur imminui, ideſt in minorem molem redigi.

17. *Coloſſos &c.* Coloſſos Romæ fuiſſe plurimos patet non tantum iis, qui antiquæ Urbis monumenta perquiſiere, ſed cujuſcumque oculis, qui plurima eorum fruſta tam in ædibus Conſeruatorum Capitolinis, quam alibi videre potuerunt. Fuit quidem in Capitolio Coloſſus Apollinis triginta cubitorum: Talis in Campo Martio Juppiter à Claudio dicatus, alter Apollinis eminuit in Bibliotheca templi Auguſti quinquaginta pedum, Commodi Imperatoris cubitum tricenum, cujus caput adhuc in Conſeruatorum palatio apparet: Quid de æneo Domitiani coloſſo in foro poſito, de Jovis ſimulacro in Capitolio collocato immenſæ amplitudinis, de Neronis ſimulacro in Veſtibulo domus aureæ poſito 110. pedum, quid de pluribus aliis, quos longa ætas nobis invidit? Cum tantum quatuor minores ſuperſint, qui Quirinalem collem, marginemque Capitolii exornant. At à coloſſis ad ſtatuas pergamus, quarum luxus, numeruſque Romæ tantum crevit, ut merito dixerit Caſſiodor. l.7. *Statuas primum Tuſci in Italia inveniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas, pene parem populum Urbi dedit, quam Natura procreavit;* Haſque non tantum fuiſſe marmoreas, & æneas, ſed argentas, aureas, & eburneas habes ex priſcis ſcriptoribus; De argenteis enim Plin., & Sueton. c. 13. habent, quod ſub Auguſto maximè increbuerint: De aureis tradunt idemmet Sueton: In Domitiano, & Plin. in Laudatione Trajani, forſanque Statius in his verſibus.

Da Capitolinis æternis ſedibus aurum,
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus.

Cla-

Vixque caput, fractique pedes, & crura ſuperſunt,
Scriptaque pyramidum ceciderunt funere ſaxa?
20. *Ergo*

NOTÆ.

Clarius Dionis compendium de Commodo notat, quod *ſtatuam mille librarum pondo habuit, cum tauro, & vacca, quaſi Urbis conditor*; & de Claudio Trebellius: *Populus Romanus ſumptu ſuo, in Capitolio, antè Jovis Opt. Max. templum, ſtatuam auream decem pondo collocavit*, & tandem de Domitiano Suetonius, quod ſuperbo arbitrio, *ſtatuas ſibi in Capitolio, nonniſi aureas, argenteaſque poni permiſit, ac ponderis certi*: Undè factum fuit, ut tantum ſtudium, tantumque luxum Claudius compreſſerit, ac coercuerit; quia nimia jam copia; ſiquidem urbem, vias, vicos non ornabant, ſed ſtipabant, & arctabant. De re Dio lib. vlt., quem præſtat audire. *Urbs ſtatuis implebatur: Quia licebat cuique paſſim in tabula, ære, marmore ſe publicare; quod Claudius Imp. vetuit, & pleraſque jam poſitas loco movit, & aliò tranſtulit: edixitque ne quis in poſterum privatus poneret, niſi Senatus permiſſu: excepto ſi quod opus publicum faceret, reficeretve.* Hæc libenter cumulanda cenſuimus, ut eo magis Romana magnitudo eluceſcat, indèque pateat, quod etſi plures temporum voracitatem ſuperaverint ſtatuæ, quæ adhuc ſuperſunt, & paſſim Romæ viſuntur, imò & in regiones alias aſportatæ Romanis ſpoliis exteras nationes ditavere, quotquot eę ſint, etiam ſi plures myriades expleant, in Columnenſium, Urſinorum, Juſtinianorum, Burgheſiis, Pamphiliis, & præcæteris in Vaticano Palatiis, ac viridariis, quotquot tandem ſervent Florentia, Pariſii, ceterçque Maximorum Principum Regiæ, ne minimam quidem partem exęquari numeri propemodum infiniti, quem Roma Imperatorum temporibus obtinuit. At *nihil eſt operæ, aut manu factum* [inquit Cic. pro Marcel.] *quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas.*

19. *Scriptaque Pyramidum &c.* Tres celebres fuiſſe Romę Pyramides invenio, quarum una tantum ſupereſt in Monumentum, & Sepulturam C. Ceſtii fabricata, ut notat Epigraphe in ea inſcriptum, quem dedimus in not. 153. ad Saty. 3. Duas reliquas ſolo aquatas fuiſſe ſcribunt, namque apud Aven-

tinum

tinum Remi appellabatur temporum injuriæ penitus ceſſit; Tertia, quæ non longe à Mole Hadriana erat ſita, quæque à vulgo Romuli Meta dicebatur, ab Eruditis autem Sepulcrum Epulonum, juſſu Alexandri VI Pontif. diruta, viam rectam ad Vaticanum aperuit. Ut verum tamen fatear, opinor non in ſolis Pyramidibus Sectanum ſe ſiſtere voluiſſe, cum dixit ſcripta Pyramidum ſaxa, quoniam etsi inſcriptio aliqua in iis fuiſſet, ut ex illa C. Ceſtii adhuc deduci poteſt; attamen ea dictio non univerſim, & generaliter iis convenit; Dicam igitur etiam ſub tali denominatione obeliſcos comprehendere voluiſſe, qui exceptis Neroniano, ſeu Vaticano, & altero in Campo Martio cõſtituto, qui ſepultus adhuc jacet non longe ab Eccleſia S. Laurẽtii in Lucina, habebant undiq; literas characteribus, Symboliſq; Ægyptiis inſculptas, & inſignitas. Sanè primæ Pyramides ad Regum ſepulturam in Ægypto admirabili prorſus ſtructura ædificatæ fuere; Quæ à Romanis ſubſtructæ ab Ægyptia imitatione proceſſere. At obeliſcos, quos imitari nequiverunt, ex eademmet regione evulſos, Romana potentia tranfretare fecit in Urbem, ex quibus vidit Latina vetuſtas quinque majores, minores verò quadraginta duos. Inter majores autem ille memoratur, qui in Circo Maximo elevatus, altitudinem pedum 128. oſtentabat, à Rege Rameſſe exciſus, qui nunc Lateranenſem plateam exornat; Poſt eum nominis celebritatem meruere Vaticanus, ad Campum Martium, duoque alii ad Mauſoleum Auguſti; Martio adhuc, ut diximus, terra obruto, reliqui Sixti V. Pont. Maximi cura revixere; populorumque admirationem aſſequuntur erecti, tum ad Portam Flaminiam, tum etiam ad medium fori Vaticani, & in clivo Eſquilino ad S. Mariam Majorem. E minoribus ſuperſunt Mediceus in Hortis Pincianis, Manteus ad Eccleſiam Bergomenſium; Pamphilius ad fontem Agonis, Celimontanus in Hortis Mattheiis, tandemque, qui & minimus, impoſitus Elephanti marmoreo ante templum S. Mariæ ſuprà Minervam. Hæc in compendium contracta ſufficiant ad notam: qui plura velit conſulat Kircherii Oedipum, & Obeliſcum Pamphilium, tum plurimæ doctrinæ inſignem virum Franciſcum Blanchinum in hiſtoria univerſali ab eo laudabiliter, & ingenioſè elucubrata per monumenta, & ſymbola antiquorum.

20. *Ergo juvat &c.* Ideſt patria lingua carmina pangere placet.

Ergo juvat patrios labris attingere fontes
Et mea verba loqui, puero quæ ſedula nutrix
Et ſoror, & mater docuit, cum poſcere mammam
Cum poma, & vini cyathum ſuxiſſe volebam.

NOTÆ. *In-*

20. *Attingere &c.* Eſt leviter tangere ex Terrent. in Andr.

Tetigin tui aliquid? Si attigiſſes, ferres infortunium.

Virg. Eclog. 5. verſ. 26.

Nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Georg. 3. verſ. 522. de peſte.

Nec telas poſſunt attingere putres.

Et Æneid. 1. verſ. 741.

Primaque libato ſummo tenus attigit ore.

20. *Fontes &c.* Fons eſt aquarum origo, at per tranſlationem accipitur pro origine aliarum rerum, uti oſtendit Cic. 3. Tuſcul. *Non rem ipſam cauſam, atque fontem eſſe mœroris*, & ad Brut. *Nec in Senatu ſceleratiſſimorum conſiliorum fontes aperire dubitavi.* Hoc autem loco Sectanus dixit fontes, vel ipſam puriorem Italicam linguam, quæ Hethruriæ penè toti tribuitur, vel authores Ethruſcos, puta Dantem Aldigherium, Petrarcam, Boccacium &c. Et plures alios, quos ob ſtili venuſtatem, verborum delectum, phraſis proprietatem, rectamque ſcribendi methodum, vti magiſtros veneramur, colimus, & ſequimur.

21. *Et mea verba loqui &c.* Ideſt patrio idiomate, quod ab incunabulis didici. Eleganter uſus eſt verbo poſſeſſiuo *mea*, quo majorem phraſi, dictionique efficaciam tribuit.

22. *Cum poſcere mammam &c.* Mamma infantum vox, quod & paſſim uſus ipſe docet: Sectanum illuſtro ex Perſ. Saty. 3. verſ. 18.

Pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas.

Quod verbum in ſimili ſignificatione adhibuere etiam Græci, qui *μαμμᾶν* dixere vocem balbutientis pueri, habetque Ariſtophanes *νεφ.*, inquiens: *μαμμᾶν δ' αἰτήσαντος ἧκον σοι φέρων ἂν ἄρτον.* Inde blandientibus, laſciuientibuſque puellis tributa, prout nos

docent plures inſcriptiones apud Gruterum, quas benigno lectori offerimus.

Pag.622. n.20.

D. • M.
CÆCILIÆ. LITE
OPHILIA • ARESCVSA
MAMMÆ • SVÆ •
B. M. FECIT.

Pag.663. n.2.

• SECVRITATI • • SACRVM •
VALERIVS • IVLIANVS • ITALICO • FILIO •
INFELICISSIMO • ET • HONORATÆ •
MAMMVLÆ • HVIVS • FECIT •

Pag.663. n.8.

• DIS • M.
ZETHO • CORINTVS
TATA • EIVS • ET • NICE
MAMMA • F.

Pag. ead. n.5.

V. SALVIDIENA : Q. L. HILARA • SIBI • ET • SVÆ •
LIBERTÆ • SALVIDIANÆ • FAVSTILLÆ
DELICIÆ • SVÆ • ERVDITÆ • OMMIBVS •
ARTIBVS • RELIQVISTI • MAMMAM • TVAM •
GEMENTEM • PLANGENTEM • PLORANTEM •
VIXIT • ANNIS • XV • MENSIB. III. DIEB. XI. HORIS • VII
VIRGINEM • ERIPVIT • FATVS • MAIVS • DESTITVISTI •
VITILLA • MEA • MISERA • MAMMAM • TVAM

His contentus, alias mitto, quę in iiſdem paginis Gruterianis obvię ſunt; ex relatis habes communiter vocem mammę, & mammulę, matri, ſeu nutrici tributam, quemadmodum & tatæ patri,

Interea grates, quas tu, Philodeme, rependes

Inge-

NOTÆ.

patri; diſce etiam ex hoc poſtremo epigrammate variè uſurpatam vocem mammam, dictamque etiam Libertæ reſpectu patronæ, aptamque ſemper ubicumque eſſe, quando blandiens puer, ſeu puella erga natu majores, ſeu cognatos introducitur feſtivè, ſeu aliquo alio modo indulgens, aut aliquid ab eis poſcit.

24. *Interea grates &c.* Grates numero tantum plurali dicuntur, & in hac tantum terminatione, ſonantque gratiam, quæ referri debet pro beneficio accepto. Teſtimonia profero. Virg. 1. Æneid. verſ. 604.

Grates perſolvere dignas
Nunc opus eſt nobis.

2. Ejuſd. verſ. 536.

Di tibi (ſi qua eſt Cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant.

Et 11. verſ. 508. de Camilla:

O decus Italiæ Virgo, quas dicere grates,
Quaſve referre parem?

Sic & Cicer. in ſomn. Scipion. *Grates, inquit, tibi ago ſummè Sol.*

24. *Rependes &c.* Rependere tractum volunt Grammatici à veteri ſeculo, in quo cum pecunia ſignata non eſſet, quæ numeraretur, ſolvereturque, rude aurum appendi ſolebat; mos hic ſervatur hodie apud Sinenſes, ut, qui eas oras viderunt, teſtantur. Habet hæc dictio ſuam efficaciam, æquivaletque verbo referre, cum aliqua tamen majori energia, ex ſignificatione deſumpta per translationem a veteri ejus uſu, & acceptione. Eſt enim gratias referre, ſed efficaciter, &, ut ita dicam, cum pondere maximo: Ità ut nil habeant Critici, quod refellant ex ſententia Senecæ Epiſt. 81. ubi ait: *Mira in quibuſdam rebus verborum proprietas eſt, & conſuetudo ſermonis antiqui quadam efficaciſſimis, & officia docentibus notis ſignat. Sic certè ſolemus loqui, ille illi gratias retulit. Referre eſt ultrò quod debeas afferre. Non dicimus gratias reddidit. Reddunt enim, & qui repoſcuntur, & qui inviti, & qui ubilibet, & qui per alium. Non*

dici-

25. *Ingenio Authoris, dum nec mercede coemptus,*

Nec

NOTÆ.

dicimus, repoſuit beneficium, aut ſolvit. Nullum enim nobis placuit, quod æri alieno convenit, verbum. Referre eſt, ad eum, a quo acceperis, ferre. Hæc vox ſignificat voluntariam relationem. Qui retulit, ipſe ſe appellavit. Itaque negamus quemquam ſcire a gratiam referre, niſi ſapientem. Addo exempla, quæ vocis hujus vim ſatis oſtendunt, licet ad alium uſum adhibita, ex Virg. lib. 1. Æneid. verſ. 243.

Fatis contraria fata rependens.

Et ex Ovid. in Epiſt.

Ingenio formæ damna rependo meæ:

25. *Ingenio Authoris &c.* Ingeqium non eſt hic accipiendum pro natura cuique ingenita, ad ſenſum Terent. in Andr.

Qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi.

hoc eſt, cum hominibus ejus naturæ: Scimus etenim hujus generis eſſe docilitatem, memoriam &c., quæ ferè omnia uno ingenii nomine appellantur; Unde eas virtutes qui habent, ingenioſi vocantur, & præclara ingenia, obtuſa ingenia dicimus, ideſt acuta, & rudia: Sed potius autumo accipi debere pro vi quadam naturali nobis inſita ad inveniendum, quod ratione judicari poſſit, Græciſque εὐφυΐα nuncupatur teſte Cicer. lib. 5. de Finib., ac ſi dixerit Authoris induſtriæ, & bonæ indoli; utramque enim ſignificationem importat græcum vocabulum εὐφυὴς ex Xenophonte, æquivaletque dictioni illi, *εἰς πάντα δεξιὸς, ad omnia dexter, & aptus.*

25. *Nec mercede coemptus &c.* Ideſt, nulla lucri, vel præmii ſpe illectus, nam coemere eſt ſimul emere. Dicta autem merces à merendo ære ex Varro. lib. 4. de ling. Lat., eſtque præmium, quod datur pro labore, ſeu ſtipendio, quemadmodum habet Juven. Sat. 7.

Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo.

Habeturque etiam pro pretio ex Cic. ad Lentul. *Gaudeo te eam fidem cognoſcere homlnum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoveram,* & ex Virgil. Eclog. 6. verſ. 25.

Carmina, quæ vultis cognoſcite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit.

Exclu-

Nec ſtudio famæ fecit tibi nomen in ævum?

Nam

Notæ.

Excludit igitur Sectanus quoque ſpem præmii, & pretii, imo & meriti; quandoquidem mercedem pro merito poſitam legimus à Virgil. Georg.4. verſ.150. Scribit enim ibi ſe dicturum meritum, quo apes pervenerint ad dignitatem nutriendi Jovis, immixtæ una crepitibus Curetum in antro Idæ; explicatque meritum ſub nomine mercedis, indicans additos illis à Jove præſtantes mores, quod benemeritæ de ſe fuerint in Creta, melle in os inſtillato: En verſus:

Nunc, age, naturas, apibus quas Juppiter ipſe
Addidit, expediam pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſequutæ
Dictæo Cœli Regem pavere ſub antro.

Cœterum coemptio apud Juris-conſultos ferè ſemper eſt pro imaginario venditionis genere, quo uxor veniebat in jus, mancipiumque adoptantis, teſte Cic. de Orat. *Neque illud eſt mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, neſciat, eumdem mulieris, quæ coemptionem fecerit, cauſſam poſſe defendere*. Non ſic tamen capiendus Sectanus, qui de vero pretio, veraque mercede agit.

26. *Nec ſtudio famæ &c.* Nempè, gloriæ deſiderio, & amore, imò & cupiditate; ſtudium ſiquidem eſt applicatio animi ad aliquid peragendum, plus equidem, quam diligentia: Illud cum animo jungitur, diligentia verò interdum operæ tantum eſt, prout habet Cic. lib.1. de Invent. *Studium eſt animi aſſidua vehemens ad aliquam rem applicata occupatio, ut philoſophiæ, poeticæ &c.* Conſonat Virg. Georg.1. verſ.26., ubi invocans Deos, quibus curæ ſunt arua, curam hanc impenſiſſimam vocavit ſtudium.

Dii, Deæque omnes, ſtudium quibus arua tueri.

Et Æn.11. verſ.739.

Hic amor, hoc ſtudium, dum ſacra ſecundus haruſpex
Nuntiet.

At nullibi efficacius, quam lib.2. ejuſd. verſ.6., ubi Poeta aggrediens narrationem Sinonis, qui ſe Trojanis paſtoribus obviam dedit, ut perductus ad Priamum dolos ſtrueret, quibus

Troja caperetur, refert, quemadmodum Trojani cupidè in eum irruerent, illuderentque capto:

Undique viſendi ſtudio Trojana juventus
Circumfuſa ruit, certantque illudere capto.

Necnon lib.4. verſ.400., quo loco Æneas Divorum monitu impulſus claſſem celerrimè ad profectionem parat cum ſociis; quod his verbis optimè exprimit:

Frondenteſque ferunt ramos, ac robora ſylvis
Infabricata fugæ ſtudio &c.
Migrantes cernas, totaque ex Urbe ruentes.

26. *Famę &c.* Laudis, & gloriæ videlicet: Scimus famam dici quidquid de aliquo divulgatur, ſive in bonum, ſive in malum; Hancque deſcribi à Virgil 4.Æneid. ſic:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.

At frequentius in bonam partem accipitur, undè pro laude poſuit Virgil. idem lib.1.Æneid. ibi: *Tum pius Aeneas fama ſuper æthera notus.* Diſtinguit tamen Cic. lib. de Finib. bonam famam à gloria, inquiens: *εὐδοξίαν aptius eſt bonam famam appellare, quam gloriam.* Sed apud Sectanum, uti vides, pro utraque ſumi poteſt, itaut hoc loco eadem ſit fama, laus, & gloria. Fatetur itaque Author ſe inani alicui gloriæ non aſpiraviſſe, dum publicari noluit; in quo virtus ejus maximè eluceſcit ex ſententia Senecæ epiſt.114., qua docuit, quod *qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed glorię;* Licet ut verum fateamur, ex Bernard. ſuper Cant. Serm.17. *Fama virtutem reddat illuſtriorem, tametſi non majorem.*

26. *Fecit tibi nomen &c.* Nomen etiam pro gloria, & fama dictum Virg.1.Æn.verſ.613.

Semper bonos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Et iterum 9.ejuſd. verſ.343.

Ac multam in medio ſine nomine plebem.

Eodem ſenſu habent Ovid.2.Am.Eleg.17.

Et multę per me nomen habere volunt:

Et 3 .Faſtor.

Et pudet in parvis nomen habere caſis.

Propert.lib.3 Eleg.13.

Non juvat in media nomen habere via.

Horat.

Horat. Ode 9. lib.3.

Multi Lydia nominis.

Et tandem Liv. lib.1. *Magnas opes, magnumque nomen ſibi fecerunt.* Hinc Demoſthenes in Cherſoneſo, ἀνώνυμον, καὶ ἄδοξον, quibus opponit ἐνδόξους, καὶ γνωρίσμους, Sil.lib.8.

Cætera in obſcuro famę, & ſine nomine vulgi.

Necnon Ennins in Alexand. *Multi alii adventant, paupertas quorum obſcurat nomina.*

26. *In ævum &c.* Ævum dicitur tempus, & ætas longa, ſive perpetua à gręco αἰὼν, *u* interjecta, ut placet Apulejo. Undè & hic in ſimili ſenſu locus accipiendus de immortali ſcilicet, & perpetuo. Sententiam firmat Servius, qui *ævum propriè æternitatis eſſe, quę non niſi in Deos venit,* affirmat; proferteque Ennium, qui dixit:

Romulus in Cœlo cum Diis genitalibus ævum
Degit.

Favet Æſchyl in Fab.

Inviſum manibus ſignum, mortalibuſque, & longævis
Diis.

Et quidem Symmach. lib.9.epiſt.79. æternitatem indicat, cum ait: *Aevum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit.* Undè benè Plin.lib.4. epiſt.24. opponit *tempus, & ævum*, cum inquit: *Si computes annos exiguum tempus, ſi vices rerum, ævum putes.* Sed ad homines translatum, & ſi fortè adulationem redoleverit: Nam plurimi poetæ ſunt in iis acclamationibus ergà Principes uti Stat. *Aeternum ſibi Roma cupit*; & alii: Sic & Author Panegyr. Conſtantini frequenter optat hunc piincipem ſervari *in omnia ſęcula*, permanere *æternum*, degère *omnes in terris ætates*; Convenitque illud Lucani: *aſtra petes ſerus*. Et hoc eſt, de quo Sectanò Philodemus reddere grates debet, fama enim eſſe oportet æterna, cum vita ſit brevis, ut docet experientia, tradiditque Salluſt. in pręf. Catil. *Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quęrere; & quoniam vita ipſa, qua fruimur brevis eſt, memoriam noſtri quam maximè longam efficere*; & reddit rationem, quia cum reliqua fluxa ſint, tamen *virtus clara, æternaque habetur*. Quod conſentaneè ad Virgilium, qui ait 10. Æneid. *Opus virtutis famam extendère*; quantum autem ad vitæ brevitatem nil certius, & idcircò Sophocles apud Stob. de hominibus σκιαῖς εἰκότες *ſimiles umbris*: Quia, ut

Nam periturus eras fœdo cum corpore, nec te
Aetas vividior, quam fungi vita manebat.

At

NOTÆ.

umbra citò advolat, ità & vita, quam Phocylides rotę comparans, & dicens, *ὁ βίος τρόχος* quid aliud, quam brevitatem indicavit? Lege, ſi lubet, integrum tractatum de Brevitate Vitę apud Senecam.

27. *Nam periturus &c.* Continuatio præcedentis ſermonis, ac ſi diceret, eum ſibi id debere, quod fama ejus reddita ſit immortalis, alioquin cum ipſo corpore peritura, & conſequenter ejus memoria, cùm nil dignum egiſſet, cujus recordarentur poſteri, nec aliquis eſſet, qui monumentum erigeret, quo ipſe perennaret. Forſitan Sectanus noſter reſpexit etiam morem illum, quo alicui ad perpetuitatem nominis marmora conſecrarentur tam Græcis, quàm Latinis communem, apud quos frequentiſſimæ phraſes illæ apud Gruterum pag. ccclxii. 6. ÆTERNITATIS. MEMORIAM. POSVIT. cccclxxxviii. 8. ccccxc. 9. dxx. MEMORIAE. AETERNAE. dlxxviii. I. dccvi. 2. DVLCISSIMAE. MEMORIAE. EIVS. cccclxxvi. AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS. lxxii. I. *μνείας χάριν*, dcccclxxiv: 2: *μνείας ἕνεκα*. dclxxxxi: 6. *μνήμης ἕνεκεν* dclxxxx: 1: *μνήμης ἕνεκα* dccil. 4: *μνήμης τελευταίας χάριν*: dcclvi. 7. *μνημοσύνης ἕνεκεν* cccxxvii. *ὑπομνήματος χάριν* dccvii: 10. *μνημοσύνου χάριν* & aliæ plurimæ paſſim obuiæ.

27. *Fœdo cum corpore &c.* Ideſt deformi, & putri; cadavera enim deformia, & putria dicuntur. Hinc Cic. 3. de Finib. *Niſi eos per ſe fœditate ſua turpitudo deterreat*, & Virgil. 2. Æneid.

Et patrios fœdaſti funere vultus

28. *Aetas vividior &c.* Ideſt, nec tibi longior vita manebat, quam quæ fungi eſt, nempe breuiſſima, & penè dixerim momentanea; De brevitate vitæ quantum ſatis eſt tetigimus in fin. num. 26. ad verb. *In ævum*: Nam quid plura in re nimis clara? Porrò vividior eſt, eſſe virtute prædita: Interdum etiam vividum accipitur pro viventi.

29. *Igna-*

At nunc ignarus fati, buſtoque ſuperſtes

Tem-

NOTÆ.

29. *Ignarus fati &c.* Fatum pro morte eleganter dictum ex imit. Plin. in Paneg. *In Principe, qui electo ſucceſſore, fato conceſſit.* Quoniam autem fatum pro morte diximus poſitum, illud animadvertendum ex veteri Ethnicorum ſententia dictum fuiſſe, mortem alteram eſſe naturalem, aliam fatalem, fortuitam denique poſtremam. De hac re præſtat audire Servium in 4. Æneid. dicentem: *Tribus humana vita continetur. Natura, cui ultra centum, & viginti ſolſtitiales annos conceſſum non eſt. Fato, cui nonaginta anni, hoc eſt, tres Saturni caſus exitium creant: niſi forte aliarum ſtellarum benignitas etiam tertium ejus ſuperet curſum. Fortuna, ideſt caſu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinſecus ſunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena.* Hæc ad ornatum ponenda cenſuimus, cùm cæteroquin ſciamus has vanas, futileſque veterum Poetarum, Philoſophorumque ſententias noſtræ fidei repugnare, qua fatum, & quodcumque fortunæ nomen excluditur, Sectanumque noſtrum nulla alia ratione fatum pro morte dixiſſe, niſi quia vocem illam elegantiorem judicaverit, & ab optimæ notæ Scriptoribus acceptam agnoverit.

29. *Buſtoque &c.* Quod diſcrimen ſit inter voces ad funus pertinentes diſces ex fragmento Servii, quod adducit Scaliger in Feſtum: *Apparatus mortuorum*, inquit ille, *funus dici ſolet; extructio lignorum, rogus; ſubjectio ignis, pyra; crematio cadaveris, buſtum; locus, uſtrina; operis conſtructio, ſepulchrum; inſcriptum nomen, memoriaque, monumentum.* At tam poetis, quàm Oratoribus buſtum, & ſepulcrum, & cœtera alia promiſcuè ſumpta videmus. In buſto, ſepulchroq; tamen ſiſtimus. Exempla proponimus ex Cic. lib. 3. de legib. *Pœna*, inquit, *fuit Solonis lege conſtituta; ſi quis buſtum violaſſet, aut dejeciſſet &c.* Virg. 11. Æneid. verſ 850.

Terreno ex aggere buſtum.

Et Catullo

Cum teres excelſo coacervatum aggere buſtum.

29. *Superſtes &c.* Ex imit. Ovid. 3. Triſt.

Me tamen extincto fama ſuperſtes erit.

Quod

30. *Temporis invidiam ſuperas, & in ore virorum*

Pluri-

NOTÆ.

Quod congruit cum illa elegantiſſima Virgiliana expoſitione de Camilla lib.11. Æneid. verſ 845.

Non tamen indecorem tua te Regina relinquit
Extrema jam in morte; neque hoc ſine nomine lethum,
Per gentes eris, aut ſamam patieris inultæ.

30 *Temporis invidiam &c.* Ad voracitatem temporis refer: optimè invidiam temporis dixit; Nam cum invidia ſit mœror ex aliena felicitate, is, licèt per tranſlationem, tempori tribui poteſt, quod tot pulcherrima veterum monumenta deſtruxit, & nos abſumit. Hujus monſtri naturam, quam benè tempori conueniat, Boccaccius noſter lib.8. de Deor. Genealog. præſtabit, ubi Saturnum deſcribit manibus tenentem falcem addita ratione, quod omnia metat, atque cædat. At quis neſcit eumdem eſſe Saturnum, & tempus. Utrique apud Græcos idem nomen inditum, videlicet χρόνος: illi, vel quia ſit Deonrum antiquiſſimus creditus, & in devorandis filiis ſaturatus; huic, quia integram vetuſtatem comprehendat, & quia ætas temporum ſpatia conſumat, anniſque præteritis inſaturabiliter expleatur, quod in idem coincidit, ſi figuram, & rem ſimul componas. De tempore Ovidius, ex quo Sectanus hauſit:

Tempus edax rerum: tùque invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi
Paullatim lenta conſumitis omnia morte.

Sic & Lucanus lib.4.

Cedere vel bellis, vel cuncta mouentibus annis.

30. *Superas &c.* Ideſt vincis ex imit. Virgil. Eclog.5.

Quid ſi idem certet Phœbum ſuperare canendo.

Imò, ſi in vi verbi ſiſtendum, importat non tantum vincere, ſed vincendo occidere denotat, ex Virgil. eodem lib.1. Æneid. verſ. 354., ubi Pygmalionis avaritiam, crudelitatem, ſcelusq; in fratris Sichæi nece deſcribens, habet:

Ille Sichæum
Impius ante aras, ac auri cœcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

30. *Et in ore virorum &c.* Non quorumcumque hominum, ſed

Plurimus immitis contemnis vulnera Parcæ.

Te

NOTÆ.

ſed eorum, qui præſenti, excellentique animo præditi ſunt. Virum ſic deſcribit Liv. lib.45. *Is vir erit, cujus animum nec proſpera flatu ſuo efferent, nec adverſa infringant.* Vnde pro forti, generoſo, inclytoque benè uſurpatur: In hunc ſenſum ſcribunt Terent. in Adelph.

Laudo, Cteſipho, patriſſas, abi, virum te judico.

Melius etiam Pindarus Ode 9. Olymp., qui ex opinione illorum temporum homines virtute, ac ſapientia præſtantes, ἄνδρες, hoc eſt *viros* nuncupavit, & exiſtere à Deo dixit.

Ἀγαθοὶ δὲ
Σοφοὶ κατὰ δαίμον᾽ ἄνδρες
Ἐγένοντο
Quotquot ſunt ſtrenui,
Et ſapientes viri a Deo
Extitere

Vox autem homo tantum humanam naturam denotat, imò & utrumque ſexum complectitur. tam maſculum, quàm fœminam, quod non ſolùm comprobatur ex Sulpit. ad Cic. Epiſtol. famil. lib.4., & ex Plauto in Ciſtellaria, ſed dilucidè apparet ex ſacro Textu Geneſ.1., ubi dicitur: *Et creavit Deus hominem &c. maſculum, & fœminam creavit eos.* Quæ eſt genuina explicatio contra ineptum Gallicum Novatorem, qui ex hoc loco aſſeruit creatum fuiſſe Hermaphroditum, maſculum ſimul & fœminam; Platonem in ſympoſio, qui cenſuit primos homines fuiſſe Androgynos; ac aliquos Hebræos, necnon Franciſcum Georgium To.1. Probl.29., qui blateravit Adam, & Evam creatos eſſe ità, ut in lateribus ſibi invicem cohærerent, eſſentque quaſi unum, ſed poſtea Deum ab invicem ſeparaſſe. Apagè has nugas, & hæc mendacia ſacroſanctæ Hiſtoriæ repugnantia, & averſa.

31. *Plurimus &c.* Pro frequenti, abundanti, & magno. Hac voce bis uſus eſt Virgil. Æneid. 1. verſ.423. in proximo, licèt non in eodem themate.

Jamque aſcendebat collem, qui plurimus Urbi
Imminet.

Et

Et lib.6. eiuſdem verſ.659.

Unde ſupernè
Plurimus Eridani per Sylvam volvitur amnis .

31. *Immitis contemnis &c.* Ideſt inexorabilis , & ſeveræ : Placet enim ex eo Parcas dictas quod perparcæ , atque avaræ ſint: Nam cùm vitæ finis approximat , ſtatim filum ſecant , neque minimnm vitæ concedunt ultrà deſtinata fata. Hinc filum hoc fatalis neceſſitatis dictum à Plat: Apol. lib.10. , de quo S. Pauli : Nolan. Epiſt.36. *Ingremio anus* (Plato) *penſum neceſſitatis exponit , & tres ei filias addit concinnantes , & verſantes fuſum, & per fila ludentes . Hoc ſcilicet lanificio autumans eas conficere res hominum , & tempora cuique ſignata detexere .* Ex qua opinione Virgil. Eclog.4. verſ.46.

Talia ſęcla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ .

Ovid. in Epiſt. Sapphus .

Et data ſunt vitæ fila ſevera meæ .

Et Claudian. 1. de Raptu.

Longaque ferratis euoluunt ſęcula penſis .

Iterum Virgil. 12. Æneid. verſ 150.

Parcarumque dies , & uis inimica propinquat .

Idem Poeta plurimum ad rem noſtram facit , Æneid.10.v.419. ubi de morte Haleſi agens , addit.

Injecere manum Parcę .

His enim vocibus proculdubio innuit, alluditque ad ſolemnem vindicationis formam , &τλὼ τ̃ χειρὸς ἐπιβολὴν , qua quis injecta manu vindicabat ſua ; quam in re mortuorum ſæpiſſimè uſurpatam præter Virgil. invenis apud alios . In 3. lib. Antholog. ſic.

Quibus nondum manus iniicit Raptor omnium Pluto

Amm. lib.14. *Manum injectantibus fatis :* At de hoc ſatis : Redeo ad Sectanum , qui optimè inquit, ex ſui cura, & opere immortalem famam Philodemo paratam, quæ aliter peritura erat ipſo pereunte , itaut impoſterum fati, & Parcarum vires amplius timere non debeat, cum potiùs ipſe æternitati ſaltèm nominis conſecratus extiterit.

Te Batavi cupiunt victuris tradere chartis,

Ne

NOTÆ.

32. *Te Batavi cupiunt &c.* Intelligit Amſtelodamenſes, Leidenſes, & Lugdunenſes in Batavia, apud quos optimæ Typographiæ.

32. *Victuris tradere chartis &c.* Ideſt nomen tuum æternitati conſecrare ex ejus impreſſionis illorum typis facienda. Hæc eſt ex Typographia non minima utilitas, in mundum invecta, quod nomina, geſtaque hominum perennent in poſterorum memoria, nam antea quàm hoc inventum pedem ſiſteret, non niſi calamo exarabantur libri difficili ſanè exitu, quoniam nec adeò numeroſi, nec tam facilè parabiles. Quoad Typographię initium ſpectat, diſcimus ex Polidor. Virgil. de rer. invent. primnm ipſius fuiſſe Authorem Joannem Cuthenbergum Germanum, qui illam anno 1442. profeſſus eſt Moguntiæ. Aſportavit autem in Italiam, primuſque Romam invexit anno 1458. Conradus quidam, & ipſe natione Germanus, à quo inſigni cum plauſu omnibus aliis libris prælatus eſt S. Auguſtinus de Ciuit. Dei; cujus exemplar non ſine animi delectatione vidimus in celeberrima Bibliotheca Otthoboniana ſervatum, nobiſque communicavit Franciſcus Blanchinus amicus noſter vir inſigni eruditione, & Operum editorum doctrina conſpicuus. Cæterum Sinenſes Typographiæ gloriam ſibi uſurpant, & antiquiſſimum ſuæ gentis inventum eſſe celebrant; Noſtræ Europæ fines non egredimur; nec tam longinquas Regiones luſtrare eſt in animo, nam notam, non quæſtionem, tractatumque ſcribimus. Illud tamen non probamus, quod afferit Jovius, videlicet vetuſtiſſimam eſſe Typographiam, & antiquioribus ſeculis cognitam; nam nullæ ſatis firmæ ſunt, quibus nititur, conjecturæ, deductæ ex iis numiſmatibus, aliiſque nummis qui characteribus tam Latinis, quàm Grecis viſuntur inſignitis, contradicentibus Authoribus, ac omnibus quibuſcumq; veteris ævi monumentis, factoque ipſo repugnante, quo nobis exhibentur libri plurimi manuſcripti, nulli autem Typis à Jovio relatis impreſſi.

33. Ne

Ne quid nugarum pereat, multoque notatus

Mar-

NOTÆ.

33. *Ne quid nugarum &c.* Ne putes Lector non animadvertiſſe nos hæc omnia à Satyrico noſtro jocosè, ſalsèque dicta, quandiù ſecum in noſtris Notis ſeriò egimus; ſed ipſum ſequi maluimus, nec jocum miſcere placuit uſque ad hunc locum, ubi abundè, clarèque ſit patens, artem arte veſtientes. Hinc igitur apertum eſt totam hanc immortalitatem nominis, quæ ex Satyris hiſce promittitur Philodemo, & tantam famam ex operibus ejus Typis Hollandis celeberrimis mandandis, in eo ſitas eſſe, ut nugax appareat, & nullum aliud decus ſperare debeat ex Amſtelodamica Typographia, quam quod nihil ex ſuis nugis (ſic appellat ejus opuſcula) pereat. Jam igitur ad notas. Quid hoc loco ſub nomine nugarum intelligat, ſupra ſatis innuimus, videlicet ſermonem ſub nomine Bionis Cratei vulgatum, & Endymioni præfixum in ſecunda ficta editione per Viduam Batavam facta, fortèque alia ab eo edita, & adhuc edenda opuſcula; Porrò nugas dicimus res nullius pretii, aut ſermones levium rerum, & nullius ponderis. In hoc ſenſu habent Plaut. in Men.

Nugę ſunt meræ.

Et in Trinum.

Nugas poſtula.

Hinc folia ad eumdem ſenſum referuntur apud eumdem Plautum in Menœc. act.2. Scę 3.

Folia nunc cadunt.

Ac ſi dixiſſet ſimiles ſunt foliis cadentibus, & idcircò pretii, & ponderis nullius. Addimus ex Scalig. in Collect., nugas propriè eſſe, quæ canebantur in laudem mortuorum, præmonente eodem Plaut. in Aſina. act.4 Sce.1. verſ.63.

Hę ſunt non nugę: non enim mortualia.

Hujus rei originem Scaliger aperit dicens *nugas* Hebraïcum, & Syriacum vocabulum eſſe, quod *mœrorem* ſonat; ſicut *nenia* (græcè *νηνία*) *planctum* eadem lingua. Sic & in Plauto nil aliud innui autumat per illas nugas, & mortualia, quam nomina Præficarum. Sed de his lege Joſeph. Scalig. copioſius, quam ſolet de neniis, nugiſque diſputantem, item Caſ. Scalig. Poetic lib.1.

Margine, venturos poſſis recreare nepotes.
35. *Quodque tuo multum genio blanditur, & optas*
Cha-

NOTÆ.

lib.1. cap.50., Turneb. lib.23. 8., & Kirchman. de funerib Roman. lib.2. cap.6. A meſſe non mea colligenda abſtineo; addo tamen, quod ad *Mortualia* attinet, eadem omnino, eſſe *Nequalia*, quæ Feſtus *detrimenta* interpretatur, quia *nugæ*, non aliud, quàm *Sermonis detrimenta*. Hujuſmodi Nugarum venditores Plautus in Perſ. act.4. Sce.4. appellat *Nugipolilo-quides*, & alibi *Nugigerulos*, & *Nugivendos*.

33. *Pereat &c.* Amittatur, & deperdatur ad ſenſum Plaut. in Trinum.

Illis perit, quicquid datur.

Et Terent. in Andr.

Viginti minę pro pſaltria periere.

Unde frequentiſſimè pro *mori* ſumitur, *quod*, *qui pereat*, *prorſus abit*.

34. *Margine &c.* Magnus Chartę margo ad libri ſplendorem pertinet, accipiturque pro circumpoſitis extremitatibus, nam propriè margo eſt cujuſcumque rei extremitas. Libris etiam datum eſſe teſtatur Juven. Saty. 1.

Plena jam margine libri.

Pari ratione Fluminum ripas nuncupavit Margines Varr. 3. de Re Ruſt., ſicut & Imperii margines pro finibus poſuit Plin. lib.12 cap.20., dixitque Ovid. 3. Metamorph. *Gramineum fontis marginem*.

34. *Recreare &c.* Ideſt ad delectationem, & forte ad riſum movere tua legendo &c.

35. *Quodque tuo multum genio &c.* Ideſt voluptati, naturalique inclinationi: ex Perſ. Saty.5.

Indulge Genio, carpamus dulcia.

35. *Blanditur &c.* Ideſt, adulatur: quod & refertur ad ſenſus interiores, vt habet Quintil. ibi: *Blandior calamitatibus meis*.

35. *Et optas &c.* Non tantum inclinationem conſiderat, ſed ad voluntatem, & deſiderium trahit; nec quodcumque

deſi-

Charus eris pueris, molli tractabere dextra
Sæpè capillatis riſum facturus ephœbis;
Atque

NOTÆ.

deſiderium ſupponit, ſed efficax, & maximum; nam optare eſt deſiderare cum electione, & ſpeciali quodam intuitu.

36. *Charus eris pueris &c.* Hoc eſt, quod ad inclinationem, & deſiderium ſuum ſupra enunciavimus pertinere.

37. *Tractabere &c.* Frequentativum à traho, undè & attrecto. Sumpſit ex Juven. Saty. 6.

Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

37. *Sæpe capillatis &c.* Pueros apud Romanos capillatos incedere, viros verò tonſos diximus alibi. Addimus diverſimodè actum apud Principes Francos, quibus ſolùm conceſſum capillos nutrire, ex Baron. Annal. Eccleſ. ad ann. 514. Imò antiquitus omnibus Gallis longa cæſaries conceſſa videtur, prout habet Virgil. lib.8. Æneid. inquiens.

Aurea cæſaries ollis, ac aurea veſtis.

Idem mos in univerſum fuit Gothis, qui ideò capillati nuncupati fuere à Caſſiodoro lib.4. cap.49. Ita in genere omnes Septentrionales; Svevi videlicet apud Tacit. de moribus Germanorum; Thraces quoquè comam prolixam geſtavere, nam Polymneſtor apud Eurip. in Hecub. κόμην tenetur, trahitur, agitatur. Mores autem ſui temporis reſpexit S. Ambroſius, cum lib.6. Exam. ſcripſit: *Comam eſſe reverendam in Senibus, venerandam in Sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris.* At aliter Romani, qui uſque ad conſiſtentem ætatem illam geſtabant, detondebant autem circa nuptias, quemadmodum docet Juven. Saty.6 verſ. 26., parum enim viris decens ejus geſtatio viſa fuit, & ad mollitiem pertinere cenſuerunt; licet fortè ad ſuperſtitionem id trahere non ſit penitus improbabile, ex Plutarch. in vit. Theſei: *Cùm verò conſuetudo foret, ut qui e pueris excederent, Delphos profecti, comæ primitias, Deo conſecrarent: Adiit & Theſeus Delphos &c.* Quod quamvis ad Grecos pertineat, quibus omnibus idem ritus ex Eurip. in Bacch., Homer. Iliad.23., Pauſan. in Arcadic., Diodo. lib.2., & aliis; attamen.

Atque etiam titulum referes Chartagine victa,
Si tua Romani mandabunt carmina menti.
Sed ne diſcipulos permiſſa licentia Muſæ
Pel-

NOTÆ.

men ad Romanos tranſiiſſe non dubitandum, apud quos ſervatum agnoſcimus ex Virgil. 7. Æneid. verſ. 373., & Catul. in Galliambo ad Bacchum. Nec omittendum ex ſacris libris tonſionem capillorum diverſimodè ſervatam apud nationes, & ad contrarias ſignificationes traductam ex variarum regionum moribus. Ea enim in Ægypto ſignum letitiæ eſſe habebatur exemplo Joſeph Geneſ. 411., qui ſomnium Regis interpretaturus erat: dicitur enim ibi: *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Joſephum totonderunt*. Cùm enim coma prolixa ad luctum pertineret, ut perſpicuum eſt ex lib. Eſter. cap. 4., non licebat cum lugubri cultu ſiſtere ſeſe Regi. E contra verò in Idumea, Jobi exemplum docet tonſionem capillorum ingentis luctus argumentum fuiſſe: Quin & apud Michæam 6. legitur: *Decalvare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum*, quod ad luctum ſpectat.

37. *Riſum facturus &c.* Nempè occaſionem præbiturus ridendi, & ſubſannandi.

38. *Atque etiam titulum &c.* Reſpicit morem, qui Romæ viget in Scholis ad æmulationem ſtudiorum in diſcipulis excitandam, dividendi eos in duplicem claſſem. Romanorum videlicet, & Carthaginenſium, ſervata veterum bellorum imagine litteraria; ſic inter ſe acriter confligunt, & animoſius ſeſe in diſciplinis exercent, ut adverſæ partis victores evadant; Quiq; palmam ex Magiſtri ſententia adipiſcuntur, quaſi triumphantes tropheum, titulumque erigunt, ſuſpenduntque, ac inſcribunt *Roma, ſeu Chartago victa*. Ita finis hujus ludicræ pugnæ.

40. *Permiſſa licentia &c.* Licentia propriè eſt libertas immodica, impunitaque quædam facultas agendi, dicendique quidquid velis ex Quintil., qui hac ratione diſtinguit à licentia libertatem, inquiens; *quæ in aliis libertas eſt, in aliis licentia*

Pelliciat, teneroſque lues contaminet annos

Sub

NOTÆ.

vocatur. In eodem ſenſu accipiendus eſt Cicer. 3. Officior. *Nobis autem noſtra Accademia magnam licentiam dat, ut quodcunque probabile maximè occurrat, id noſtro jure liceat defendere.* Hanc licentiam maximè Poetæ ſibi uſurpant, ſed plus Satyrico debetur; undè benè, appoſitèque Sectanus hoc uſus eſt vocabulo.

41. *Pelliciat &c.* Blandiendo in fraudem inducat, ut faciunt minus honeſta, magiſque ea, quæ habent junctam aliquam curioſitatem, aliquamque in ſermone venuſtatem reſpectu juventutis ad malum pronæ. Hinc pellax apud Virgil. 2. Æneid. verſ. 90.

Invidia poſtquam pellacis Ulyſſis.

Ubi LaCerda in notis diſputat de origine, & vi hujus vocis, concluditque idem eſſe ac blandius ſollicitare. Favent Arnob. lib. 4., qui dixit *Cupiditatum pellaciam*, & Lucretius, qui lib. 4. habet *ſubdola pellacia*; & ab hac derivatione *Pellex* de ea, quæ cum illo, cui uxor ſit, corpus miſcet, & quaſi blandiendo ab uxore ſeducit.

42. *Teneroſque annos &c.* Ideſt pueros teneræ ætatis; ætas enim per annos metitur. Quod factum eſt ab initio mundi; in ſacra enim hiſtoria tempus, ætaſque priorum hominum per annos computatur, ut ex. gr. Gen. 5. *Anni Adam nongenti triginta, & mortuus eſt*: & alibi paſſim. Annos autem illos eſſe duodecim Menſium, uti noſtros, aperit ſenſus cap. 8. ejuſdem Geneſeos, ubi de ceſſatione diluvii, & teſtantur S. Hierony. & S. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. Aliter tamen in comperto eſt numerare Ægyptios, quibus annus fuit menſtruus, quemadmodum tradunt Diod. Sic. lib. 1., Varro apud Lactan. lib. 2. cap. 13. Plutarch., in Numa, S. Auguſt. lib. 12. Civit. cap. 20., & Proclus in Timæum lib. 1. p. 33. Αἰγύπτιοι (inquit) τὸν μῆνα ἐνιαυτὸν ἐκάλουν: *Aegyptii Menſem vocabant annum*; item & veteres Romanos, qui decem tantùm Menſibus annum definiere, uſquequo additi fuere à Numa duo Menſes, Januarius, & Februarius, de quo Ovid. 1. Faſtor.

Qui Janum ſequitur veteris fuit ultimus anni.

perſe.

perfecitque Julius Cæſar, qui redegit annum ad eum computum, quo jam utimur, ut ſcilicet inchoetur annus mox à Solſtitio hyberno, putà Januario, de qua re vide Solin. Polyhiſt. de dieb. intercalar. cap. 1., ita metiens annum ex Solis decurſu, qui 365. diebus & ſex horis iuxrà Aſtronomos conficitur; quod & aliæ gentes ſecutæ ſunt, licèt diverſimodè de anni auſpicio ſenſerint: uti Athenienſes, qui inchoabant annum à Solſtitio æſtivo, Aſiani ab Æquinoctio Autumni, Hebræi communem annum à Septembri, qui ſerviebat Jubilæo, ut patet Levit. 25. 9. 10., & contractibus, & negotiis ſecularibus, ut docet Joſeph Antiq. 4., Sacrum autem à Menſe Martio ad feſta in memoriam ſalutis acceptæ, & liberationis ab Ægypti ſervitute; Annum hunc porrò, de quo loquimur, magnum vocavere veteres ad diſcrimen Lunaris anni, qui undecim diebus minor. Ita Virgil. Æneid. 3.

Magnum Sol circumvolvitur annum.

Heſiod. in Theog. μέγας ἐνιαυτός: Apule. lib. 11. *Ecce tranſcurſo ſignifero circulo Sol magnum annum compleverat*, & Sene. in Oedip., ubi loquens cum Sole.

Bis ſena curſu ſigna qui vario regis,
Qui tarda celeri ſæcula evolvis rota.

Fortè etiam ad differentiam anni illius bipartiti, qui & duplex annus nuncupari poteſt, & ſex tantum Menſibus componebatur, de quo Plin. lib. 7. cap. 48. *Annum alii æſtate unum determinabant, & alterum hyeme*; aut anni Arcadici, qui trium tantum Menſium erat, de quo Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12., & Plin. lib. 7. cap. 48. Mitto Aſtrologis, Philoſophiſque annum Platonicum, cui nomen magni tribuerunt Cicero, Ptolomæus, Cornelius Tacitus, & Quintilianus, cujus meminit Plutarch. lib. de Oraculorum defect., & loquitur lib. 2. de Plac. Philoſoph. in hæc verba. *Magnum annum alii octennio definiunt, alii 19. annis, alii 59. Heraclitus annorum Solarium millibus octodecim; Diogenes 365. annis tantis, quantus unus eſt Heracleto; alii 69477.* Definit autem Apulei: de dogmate Platonis: *Unde fit, ut magnus ille vocitatus annus facile noſcatur, cujus tempus implebitur, cum vagantium Stellarum comitatus ad eumdem pervenerit finem, novumque ſibi exordium, & itinera per vias mundi reparaverit.* Mitto pariter annum Emboliſmalem, qui apud Hebræos invaluit; nam cum annis Lunaribus uterentur,

 qui

Sub Patribus duris Tyronum, & Rhetore nigro

c. *Ad*

NOTÆ.

qui annum 354. dierum conficiunt, cum Luna intrà hos dies per duodecim vices ſuum curſum perficiat, ita ut undecim cum duodecim circiter horis ad æquandum annum ſolarem ſuperſint; hinc igitur factum, quod ut eos parificarent, nunc tertio, nunc ſecundo anno decimum tertium adderent Menſem, geminando ultimum Adar, ideſt Februarium, quem idcircò Veadar, quaſi ſecundum Adar vocarent, perindè ac annus ille vocabatur emboliſmalis, ſive excreſcens; Ità fiebat, ut ſingulis decem novem annis planè idem eſſet exordium anni Solaris, & Lunaris, nam ſepties geminato Adar, videlicèt anno tertio, ſexto, octavo, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, & decimo nono, dies 209., qui in anno Solari ſuprà Lunarem per 19. annos ſupercreverant, ad unum omnes redderentur per ſeptem hoſce Menſes inſertos, ut facilè patebit numeros ſubducentibus, & ſex Menſibus, qui intercalantur, tribuentibus triginta dies; ſeptimo verò Menſi, & ultimo anni decimi noni dies 29. Habent hunc calculum Beda de rat. Temp. c.43. Abulenſ. in 23. Levir. quæſt.19., ampliſſimè Ribera lib.5. de de Templo, noviſſimè Cornel. à Lapid. in cap. 12. Exod. verſ.2., ubi canonem emboliſmi, ſeu intercalationis hunc eſſe apud Hebræos refert: *Ter, Ter, bis, ter, ter, ter, bis*; q. d. Menſis intercalandus eſt anno 3. 6. 8. 11. 14. 17., & 19. Aſt in rectam jam redeo.

42. *Lues contaminet &c.* Lues morbi contagioſi, & peſtilentialis ſpecies, qui corpora, quæ corripit, diſſolvit citò; ideò luem, ſic tranſlatè nuncupat rerum minùs caſtè enunciatarum ſeriem, quæ contaminare animos ephęborum dicit Sectanus ex imit. Cic. de Aruſp. reſpon. *Ut eos ludos hæc lues impura pollueret.*

43. *Sub Patribus &c.* Patres non hìc natura, ſed reverentia, honoreque dictos intelligit, uti ſunt Magiſtri &c.

43. *Duris &c.* Duritiem de ſeveritate prædicat, qualem ineſſe convenit Patribus erga filios, & Magiſtris erga diſcipulos,

los, ut timoris intuitu ad bonum inducant. In phraſi ſecutus eſt Author Ovid. 9. Metamorph.

Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ
Impediet

Et Horat. 2. Epiſt. 1.

Pueri, patreſque ſeveri.

43. *Tyronum &c.* Cùm tyro propriè ſit novus miles, rectè ad novum diſcipulum vox ipſa transfertur, hoc enim ſenſu ponimus, dicimuſque tyrones, qui prima in arte aliqua habent rudimenta. Satis ad propoſitum noſtrum Senec. lib. 3. declamat. *Ille in foro primum dicturus, tyro dictus eſt;* Ubi de adoleſcente, qui toga ſumpta eloquentiam exercere incipiebat, ex quo Tyro nuncupatus, ſicut & illa prima actio Tyrocinium dicta fuit à Suet. in Tiber. *Tyrocinii die adoleſcentuli togam puram ſumebant;* Tyrocinium enim eſt primum artis alicujus rudimentum, quod græcè dicitur πρωτοπειρία.

43. *Rhetore &c.* Pro quolibet juventutis litterario magiſtro ſumitur, licet Rhetor propriè dicendus ille ſit, qui artem Oratoriam docet, ut non oſcurè indicant illa Cicer. verba 4 Phil. *Quaſi Rhetor ille te diſertum facere potuiſſet.* Hanc huic voci ſignificationem tribuere placuit Latinis, cum ceteroquin Grecis, à quorum fonte petita eſt, Ῥήτωρ ſit idem ac Orator, confunditurque uno, eodemque nomine, tam qui Oratoriam artem exercet, quàm qui eam docet.

43. *Nigro &c.* Habet reſpectum ad colorem veſtium, quiquibus hujuſmodi Magiſtri induti incedunt, maximè Rome, ubi cura docendorum puerorum penes Eccleſiaſticos, ac religioſi Ordinis viros eſt. Idem factum novi apud alias gentes ſaltem noſtre Italie, in qua Magiſtri etiamſi ſecularem perſonam non exuant, nigra toga, quam magiſtralem vocant, geſtantes ſuis ſcholis preſunt. Aliter cenſemus actum à Veteribus Romanis magiſtris; liberos etenim, & ingenuos homines Romana toga uti debuiſſe pro comperto habemus, nam ea in more erat, ut Romane hiſtorie Authores paſſim habent, & Cicero pluribus in locis oſtendit. Notant hi pariter eam talarem, albatamque fuiſſe, undè Juvenalis vocat

Niveos Quirites.

Additque Martial.

Et toga non tactas vincere juſſa nives.

 Queis

Ad morum normam, & ſævæ caſtraberis uſum
Gram-

NOTÆ.

Queis conſonat noſter Tertul. lib. de Reſurr. Carnis: *ſi famulum tuum libertate donaveris, & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque honoratur:* Niger autem color in mœrore tantùm adhibitus, teſtante Agellio, Scipionem Africanum, *cum eſſet reus, neque barbam deſiſſe radi, neque candida veſte uſi, neque ſolito cultu reorum,* nempè barba prolixa, tunicisque nigricantibus, *indutum.* Quem morem albis veſtibus incedendi ita Romani coluere, ut contrarium abuſum Ædilium ſeveritate corrigendum cenſuerit Auguſtus apud Suetonium cap.40., narrantem, quod is *etiam habitum veſtitumque priſtinum reducere ſtatuit, ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, aut clamitans: En ait:*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Aedilibus dedit &c. Hæc de ingenuis, & liberis intelligenda, uti diximus, non tamen de ſervis, quos pullatos, aut ſaltem fuſci coloris penulis uſos ſatis demonſtrat Lipſius in Electis: Agnoſcimus ſiquidem ex Pignorio de ſerv. fuiſſe in familia Urbana Magiſtros, Pædagogos, Præceptores, & Grammaticos, quod veterum Scriptorum teſtimonio probat pag.116. & 117.; Hunc conſule.

44. *Ad morum normam &c.* Ad rectam rationis regulam; quę bonis moribus minime contraria ſit, imo eis inducendis, ſervandiſque proſit.

44. *Et ſævæ caſtraberis uſum &c.* Licet caſtrare ſit virilia amputare, attamen translatè pro quacumque truncatione ſumitur, ſive etiam privatione; Pacuv. ſic: *Ut eſſet aliquis qui linguam ejus caſtraret.* Vox autem hęc frequentiſſima in noſtro uſu eſt in ordine ad libros, quibus opera preceptorum aufertur quicquid obſcœni, turpiſque ineſt, ut ſic correcti ſtudioſis adoleſcentibus offerantur in ſcholis, undè ex eorum elegantia, doctrina, & lingue puritate flores colligant, nec tamen hauriant venenum; Hujus inſtituti prima, potiorque laus Patribus Soc. Jeſu debetur.

45. No-

Grammaticæ; noſtro de codice penis abibit
Expunctus, leveſque genæ, Titique mariſcæ,
Fœdaque purgatis migrabit vulva papyris: . . .
Quoque loco imberbes tractas, Philodeme, cinædos
Præceptor ſapiens ſubito nova verba reponet,
Et docilem manibus faciet palpare catellam,
Ut ſolet, & rauci canis hæc erit illa Bagoæ,
Callidus in circo, quam tu ſaltare jubebas.

Læva

NOTÆ.

45. *Noſtro de codice &c.* Incipit Sectanus enumerare ea verba, quę à ſęvo correctore ex ejus Satyris expungentur, proſequiturque enumerationem per plures verſiculos, quos lege.

45. *Abibit &c.* Abibit, ſeu migrabit pro *expungetur*, & *delebitur*. Forſan *mutabitur*, nam talis ſignificatio hujus verbi apud Plin. lib.24. cap.9. *Salicis fructus ante maturitatem in arenam abit*; quę explicatio huic loco maximè convenit ex his, quę ſubduntur de mutatione veterum verborum in nova v.48. *Nova verba reponet*.

46. *Faciet palpare catellam &c.* In corrigendo Martiali ſæpiſſimè occurrit poſita Catella loco puellæ.

50. *Et rauci canis hęc &c.* Scit optimè Philodemus, quem Bagoę ſocium dedit Sectanus noſter Satyra 2. verſ.170. & de jocis à cane procuratis, ad delectandum per eam populum, egit.

50. *Callidus in Circo &c.* Ea ſcilicet canis, quæ te magiſtro ſaltare debebat in circo, ideſt in Agonali platea, quæ ſortita eſt ex vocis adulteratione nomen *di Piazza Navona*, ut indò maximè aliquod emolumentum, ſed & plauſum exciperes: ſperans forſan ex his ludicris nugis, eam gloriam conſequi, quam ſibi tribuit Scorpus apud Martial. lib.10.Epig.54.

Ille ego ſum Scorpus clamori gloria Circi.

Tria enim in Circenſibus ludis concurriſſe firmat Virgil. lib.5.

d 4 verſ.

Lava ſed & pellex, multumque domeſtica amica
Carminibus delenda meis, ne pronior ætas
In vitium, Venerem diſcat virtute relictâ.

Quod-

NOTÆ.

verſ. 148. videlicet plauſum, fremitum, & ſtudia faventum; En verſum hæc omnia complectentem.

Tum plauſu, fremituque virum, ſtudioque faventum
Conſonat omne nemus.

Habes & apud Silium lib. 16., Tertull. de Spectac., Auſonium eid. 13. & plures alios, quos mitto, nam quæ comparatio ludorum canis Philodemicæ cum Circenſibus, quos maximos, celeberrimoſque Roma triumphans, totiuſque Orbis Domina habuit in ſummo precio?

53. *Ne pronior ætas &c.* Pronus in anteriorem partem flexus, & de animalibus dicitur Ovid. lib. 2. Metam.

Pronaque cum ſpectent animalia cœtera terram.

Metaphoricè tamen quis pronus dicitur, ideſt, inclinatus ad virtutem, ſeu ad vitia, quamquam re vera, ut plurimum, in malam partem accipiatur; ut ex Plin. in Paneg. *Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quam æmulatio.*

54. *In vitium, Venerem &c.* Venus pro libidine, & re ipſa Venerea; Firmat Oppian. lib. 3. κυν. ubi loquens de furiis, quibus urſi aguntur, ait: πολλὴ Κυθέρεια *multa Venus*: Undè poſuit pro amore Latin. Nemeſ. 2. Eclog.

In Danaces Venerem furiata mente ruebant:

Et pro puella, & amica Petron. Satyric. *Quia noſti Venerem tuam, ſuperbiam captas*, cui conſentiunt Virgil. Eclog. 3.

Parta meę Veneri ſunt munera.

Eurip. Hyppolit.

Tuę Veneri multum valere dico.

Et Pindarus.

κόλποις
Τέχεν τάν ἀφροδίτην
Sinu
Excipere Venerem.

Quo

55. *Quodque magis doleo noſtras, Quartilla, camœnas*
Deſeris, & vidui plorant ſine lampade verſus;
Scilicet horridulus nimium, ſævuſque magiſter
Iraſci

NOTÆ.

Quo quomodo ſenſus hujus loci accipiatur in idem coincidit; nam Venus, ſeu libido ex amore, ino dinatus amor ex fœminis homini incenditur. Adde iterum Virgil. lib. 3. Georg. verſ. 97.

Frigidus in Venerem ſenior.

Et verſ. 210., ubi de equis & tauris arcendis à nimio libidinis exercitio.

Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem, & cæci ſtimulos avertere amoris.

Item lib. 4. de Generat. Apum verſ. 197.

Nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt.

Sed de re paſſim obvia ſatis.

54. *Virtute relicta &c.* Forſan ex Imit. Claudiani de Raptu &c.

Luxuries prędulce malum, quę dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine mentes.

56. *Et vidui &c.* Ideſt deſolati, & deſerti majore ſplendore, qualis erat Quartilla.

56. *Sine Lampade &c.* Lampadem harum ſatyrarum Quartillam nuncupat Sectanus, ac ſi dixiſſet eam eſſe fulgidius earum ornamentum, & decus; nam lampas, & lumen, ut plurimum, ſumuntur pro re aliqua ex ſe ſplendorem diffundente; ſiquidem ex accenſa lampade lumen emittitur; Quantus autem in hoc loco haberi debeat Sectanus non eſt una ſermonis elegantia, quæ abundè connotet, ſed ad ſatietatem probat aptiſſima, quam habuit, relatio, ad frequentiſſimum, eumque ſolemnem morem veterum, apud quos penè nullum feſtum, nulla celebritas ſine maximo lampadum fulgore, & numero; itaut eſſent principale decus, & honor feſtivitatum, ut hic affabrè ponitur Quartilla,

tilla, ceu lampas pro harum Satyrarum præcipuo honore. Id actum fuit ad lætitiæ oſtentationem, habetq; Juven. Sat. 12., ubi amici adventum celebraturus, ait;

Hic noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violę jactabo colores;
Cuncta nitent, longos evexit janua ramos,
Et mattutinis operitur feſta lucernis.

Memorant Apulejus lib.4. loquens de nuptiis; *Domus tota lauris obſita, tædis lucida ſtrepebat hymenęum*; de receptione Tyridatis Armeniæ Regis Romam adventantis notat Xiphilinus in Nerone; *& tota quidem Urbs ornata fuit luminibus*; Neronis è Græcia reditum celebratum fatetur idem, *tota quidem Civitate coronis, & lychnis ornata*. Idem & nuptiarum occaſione actum fuit, nullæ etenim ſine facibus celebratæ unquam fuere, ut vetera oſtendunt marmora apud Sponium ſupplem. Gruter. lib.1. ſect.1. art.3., & conſentiunt Petron. Arbiter in Satyr., Artemidor. lib.2., Claudian. lib.2. de nupt., idem de raptu, Pamphil. de Amor. eleg.27., plurimique alii, quos referre piget, nec latent eruditos viros; at non omittam è Græcis Heſiodum ſub his verbis in Herc.

Multus Hymenęus oriebatur:
Longè autem ab ardentibus facibus lumen involvebatur
In manibus ancillarum, quæ ſplendoribus floridę
Anteibat.

Eamdem luminum accenſorum conſuetudinem in Romanorum Principum triumphalibus pompis lego apud Suetonium in Cæſare, ubi refert, quod ipſe *aſcendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra, atque ſiniſtra lychnucos geſtantibus*: Qualis autem, & quantus lampadum, & cereorum luxus in conviviis uno ore fatentur quicumque eruditæ vetuſtatis Scriptores: Seligo ex iis unum tantum Plutarch. in vita Antonii: *Eos apparatus convivii Antonius offendit, quantos nunquam fuerat arbitratus. Maximę admirationi fuit multitudo luminum; tanta enim undique demittebbatur, tanta ferunt illuxiſſe, tam mira inter ſe arte diſpoſita, atque ornata jam quadrangulari forma, jam circulari, ut vel inter rariſſima pulcherrimarum rerum ſpectacula putaretur.* Hinc benè Schrevel. in not. ad 5. Satyr. Perſii, ducibus Turneb. lib.22. cap.12., & Cauſaubon. in Perſ. monuit *omnium penè gentium communem fuiſſe ritum ad gaudii ſignifica-*

tio-

Iraſci ſolitus cunno, te radere chartis

Niti-

Notæ.

tionem ignem accendere, & quod non ſolum in templis lumina accendebant, ſed etiam domi quiſque ſuę, eaque etiam januis, ac feneſtris appendebant. Idem de quibuſcumque earum ſolemnitatibus cenſendum, quod de Alexandrina notavit Achilles Alexandr. lib. 5. *Flammę paſſim relucebant; idque non vulgari admiratione animadverti: Veſpera enim cum adventaſſet, ac Sol occidiſſet, nox tamen nondum erat, ſed alius minutas quaſdam in partes diviſus Sol exoriebatur. Tunc Urbem illam cum Cœlo etiam pulchritudine contendere judicavi.* Scio facibus hiſce, & luminibus, lampadibuſque ſua myſteria ab Ethnicis tributa fuiſſe, ſed non hic diſſerendi de hiſce locus eſt; Addo tantum, ad majeſtatem ſpectare etiam cenſuiſſe Romanos Imperatores, ſi ſibi ignem præferri juberent; id ſolemni ritu in more poſitum eſſe teſtatur Herodianus in Commodo, in Pertinace, in Peſcennio, in Quartino, ac tandem in Gordiano; agnoſcitque Balſacius epiſt. ad Cappellam derivatum fuiſſe, Romamque advectum ex imitatione Regum Perſarum, de quibus idem jam diù teſtatus fuerat Xenophon. παιδ. lib. 8. annuente Lipſio in Comment. ad Tacitum, vel generatim quorumcumque Regum Aſiaticorum, prout ſentit Ammianus Marcellinus lib. 15. ſeu potius Lacedemoniorum, quemadmodum placet Freinshem. Comm. in Curt. lib. 4. cap. 14. §. 24.

58. *Te radere chartis &c.* Ideſt delere fortè atramento ſuperimpoſito, ne verba minus honeſta dignoſcantur, & legi poſſint. Hoc enim chartæ noſtræ linteæ tenuiſſimæ magis convenit, quam raſio, quæ non adeò facilè ſine ipſius chartæ damno in praxim redigi valet. Veterem tamen phraſim Sectano ſervare placuit, tunc cum raſura facillima erat, ſive ſcriberetur in papyro, ſive in corticibus, ſive in cera, ſive tandem alio quocumque modo; & reverà tunc propriè delere nil aliud erat, quam radere, quandoquidem idem graphium, ſeu ſtylus, quo utebantur ad ſcribendum, adhibebatur ad delendum, vel radendum, quod jam exaratum erat; Id ex ejus Icone collige, quam delineandam curavimus ex Pignor. de Servis pag. 12.

qui

qui nos docuit ejus mucrone ſcribere ſolitos, planitie autem ſcriptum abradere; adductis teſtimoniis Sympoſ. ænigm. 1.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo
Verſor utrimque manu, diverſo & munere fungor.
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

Anthelmi in Heptaſtichis in ænigmate, cui titulum præfixit de elementis.

Naſcimur è ferro, rurſus ferro moribundæ.

Prudentii in Paſſione Caſſiani.

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur;
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

Et S. Hieronymi ad Domnionem: *Stultus ego, qui me putaverim hęc abſque Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quę deleret, quam quæ ſcriberet.*



58. *Chartis &c.* Linteam chartam intelligit, quæ in uſu noſtro, quam antiquis fuiſſe incognitam minimè dubitandum eſt, cum Plin. lib. 13. cap. 12. tantum papyrum notet; Abacum indigitent Perſ. Satyr. 1., Jul. Pollux lib. 10. cap. 23., & Ammonius vetus Grammaticus in verſ. Abacus, ubi etiam tabulam Pythagoricam nuncupat. Tabulas chryſtallinas enumeret Plutarchus in vita M. Antonii; ex juncis marinis confectam agnoſcat Feſtus; addant membranas Mart. lib. 14., Horat. de Arte, & Diod. Sicul. lib. 2., & tabulas, pugillareſque ceratos habeant Cicero, & Juvenalis paſſim. Nullus autem ex linteis aqua maceratis, & ſubtiliter tuſis confectam chartam eſſe dicit; nam quamvis neſcio cujus chartæ linteæ apud eoſdem ſit mentio, ſeu potius librorum linteorum, de quibus agit Livius lib. 4. & 10., hos à noſtra charta, quam recentioribus temporibus inven-

Nititur, & longis ſequitur tua facta lituris.
Vos quoque Telegoni, qui ſurrexiſtis in hortis
Octo-

NOTÆ.

inventam teſtatur Demſter. in Gloſs. Inſtit. Juſtin. lib. 2. tit. 1. §. 33. fretus fide Cod. Biblioth. S. Victoris Pariſien., & Joſephi Blancarti lib. de recent. inventis; diverſos eſſe affirmat Guillandinus tract. de Papyr., ſcribens: *Erant verò libri antiquorum lintei, non quales noſtri, qui & ipſi ſine hæſitatione lintei dicendi ſunt, ſed in telam lineam deſcripti, non aliter, quam hodiè à Pictoribus variæ imagines in linteis, ſeu telis depingi ſolent, quas & linteas vocare nihil prohibet.* At de re altioris, & difficillimæ indaginis conſule Vincentium Contarenum de univerſa ſcribendi ratione, & alios, qui materiem uberrimè tractavere.

59. *Et longis &c.* Longas lituras dicit, aut plurimas, aut extenſas deletiones in his Satyris à magiſtro faciendas, vel ſuperinducto atramento, vel alio liquore, quo ſcriptura deſtruatur. Argutè Martial. lib. 4.

Non poſſunt noſtros multæ, Fauſtine, lituræ
Emendare jocos, una litura poteſt.

Non una eademque ratio veteribus, ac nobis delendi ſcripta, aut characteres jam efformatos: Illi enim, ſi in cera ſcriberent, id agebant ipſo ſtylo plano à parte inferiori, qui iterum ceram adæquabat, & literas jam exaratas delebat, ſi autem in alia materia, puta papyracea, radebat; quando verò vel in abaco, vel in membranis, linteiſque exequebatur, tum lituræ fiebant ope ſpongiæ, quæ characteres obliterabat, uti dicit de Auguſto Suetonius; nam cum Sophoclis Ajacem Latinum facere ſuſcepiſſet, *non ſuccedente ſtylo abolevit*, & quidem ſpongia, nam interrogatus, quid Ajax ſuus ageret? *in ſpongiam incubuiſſe*, reſpondit. Quod & Macrob. 2. cap. 4. Saturnal. iiſdem penè verbis retulit, inquiens. *Auguſtus Ajacem Tragœdiam ſcripſerat, eamdemque, quod ſibi diſplicuiſſet, deleverat: Poſteà Lucius gravis Tragœdiarum Scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax ſuus? Et illi, in ſpongiam*, inquit, *occubuit.* Neque hanc ſpongiam putes atramento delibutam, itaut eodem tempore deleret, & conſpurcaret; nam contrarium ſuadet Auſonius, qui *Lacrico-*

lorem

Octobres ficus calamus feſtinat acutus
Vellere, ſed plantis ignoſcet forſan, amicis.
Ergo, agè, teſticulis poſitis, juſſuque ſevero
Par-

NOTÆ.

lorem ſpongiam denominat, fortè quia, delendo literas, nil chartæ candori officeret, ſed atramentum tantum abſtergeret, de cujus uſu, qualitate, & materia legendus Plin. lib.34 cap.12., & Dioſcorid. lib.5. cap.ult., & ex modernis Cardan. lib.8. de ſubtilit., Bernard. Cæſius de mineral., & Amatus Luſitanus in Dioſcor. lib.1. enarr 83. conſulendi ſunt.

61. *Calamus feſtinat &c.* Non de ſtylo ferreo, ſeu graphio, quo veteres in ſcribendo utebantur, ſed de calamo confecto ex pinnis olorum, & anſerum, qui in hodierno more, eſt intelligendus hic locus: Phraſim tamen antiquitatem ſapere agnoſco; Calamus ſiquidem propriè arundo magis minuta, habens internodia longa, & recta; quoniam igitur ex hac arundine primi calami conficiebantur ad ſcribendum, inde nomen ſemper idem in poſterum permanſit, quaqua conficerentur materia. De his Martial. ſcribit, & enunciat undè, quave regione optimi afferrentur:

Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus.

Quemadmodum hodiè meliores ex Hollandia aſportantur.

61. *Acutus &c.* Non quia ſimpliciter in acumen deſinat, ut ſcribendo ſit aptus, ſed ab effectu; nam cum de eo *vellere* dixerit, perſiſtit in metaphora, & acutum ponit, nam evulſioni aptior eſt, utpotè qui facilius penetret.

62. *Vellere &c.* Conceptum ſermonem auget, & augendo ei novas vires addit, & cum prius dixiſſet ſimpliciter delere, nunc evellere ponit; itaut nil ſcriptorum remaneat, ſicuti nil remanet plantæ, quæ radicitus è terra vellitur.

63. *Ergo, age &c.* Ἄγε hortandi adverbium eſt, quo plurimi, & ferè omnes uſi ſunt Scriptores; ſic Ariſtoph. in Pluto, Plutarchus in Camillo, Xenophon. in Apolog. Socrat, & alii: Quin & ſæpiſſimè cum Plurali conjunxere, Anacreon in re convivali ἄγε, δῶτε; Plutarch. de tuend. valet. ἄγε, ὦ παῖδες,

vi-c.

Parte tui meliore carens, Philodeme, paleſtram

Mun-

Notæ.

videte, pueri. S. Jacobus in epiſt. cap. ult. Ἄγε νῦν οἱ πλούσιοι κλαύσατε, *agite nunc divites plorate*; quos videtur ſecutus Cic. pro leg. Manil., quem nonnulli reprehendunt erroris, ignari id dictum ex Græca elegantia, & imitatione.

63. *Teſticulis poſitis &c.* Sic eviratus præcepto, & opera magiſtri, & maximo ſui lepore, & vi ſpoliatus. Ah! parcas Sectano, neque injuriam hanc irroges; imo & tibi parce, ſcis enim, nam eruditus es, quas pœnas leges inferant contra hujuſcemodi ſectores, & virilitatis hoſtes. Ni memoriter teneas, aliquas recenſebo, ne ignorantiam prætexas. Olim pœna legis Corneliæ, relatæ lib. 3. §. Qui hominem, lib. 4. 5. & 6. ad leg. Cornel. de Sicariis, tenebatur, qui hominem caſtraviſſet: Item inhibuit Domitianus apud Sueton. cap. 7., & poſt eum Nerva ex Dionyſ. lib. 68.. Iterum Conſtantinus vetuit pœna capitis propoſita ex leg. 2. Cod. de Eunuchis, quam omninò ſervandam voluit Leo Aug., qui Romanos nunquam ſecari permiſit, ſed tantum barbaros, lege lata, quæ legitur ſecunda ſub eodem tit. Utinam & hodiè his legibus ſua vis eſſet; nam non ſolus eſſet in tuto Sectanus, ſed liberam videremus Chriſtianam Rempublicam à tot ſemiviris, qui eam, mollicie, petulantia, & morum pravitate dedecorant effrontes, & honeſtatis hoſtes. Sed de his ſequenti Nota.

64. *Parte tui meliore &c.* Ideſt, præcipua nota virilitatis, priſtinaque vi, atque virtute: nam Spadones, & Eunuchi inter ſemiviros tantum recenſentur. Hos lutulentos homines egregiè Alexander Severus apud Lamprid. *de miniſterio ſuo ejecit, & uxori, ut ſervos, ſervire juſſit, & cum Elagabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit, nec quicquam in Palatio curare voluit, niſi balnea fœminarum, cum pleroſque Eunuchos rationibus, & Procurationibus præpoſuiſſet Elagabalus, bis ille & veteres ſuſtulit dignitates. Idem tertium genus hominum, Eunuchos eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus.* Horum crudelitatem taxat S. Ambroſ.

65. *Mundior intrabis, ſeriſque legendus in horis*
Centum Cirratos unguem corrodere coges;
Quan-

NOTÆ.

broſ. epiſt ad Marcell., Infidelitatem Sueton. in Claudio, ut mittam ea vitia, quæ etiam hodiè eis non falsò tribuuntur, undè veluti portentum ducitur, ſi ex hujuſmodi cæno aliquis, qui probitate præditus ſit, effulſerit.

64. *Palæſtram &c.* Pro ſchola: Etſi vox iſta in ſuo genuino ſignificatu denotet locum, ubi lucta, & pancratium exercetur, quippè quæ derivetur τῶ παλαίσθαι τὸ σῶμα, hoc eſt, *à corpore agitando*; notetque idcircò, ac explicet Plutarch. lib.2. Sympoſ. quæſt.4. *Locum, ubi omnes athletæ exercentur, palæſtram appellari, à πάλης, ideſt lucta, nomen primò adeptum, quod deinde etiam recens inventis accomodatum fuerat*; puta *Curſoribus, Pugilibus, jaculantibus diſcum, contendentibus ſaltu,* vt placet Polluci, & poſt eum Budæo, quibus Paleſtra generale nomen eſt, pro loco cujuſcumque corporalis agitationis, & exercitii: Attamen translatè etiam ad animum referri, ejus ipſa ſignificatio abundè ſuadet, accipiturque rectè pro loco, in quo anima bonis diſciplinis imbuitur, ſeſe ſtudiis exercendo, ut hic habet Sectanus noſter.

65. *Mundior intrabis &c.* Ideſt, ſine aliqua obſcœnorum verborum fece, à qua purgatus es ſeuera mutilatione impudicarum partium.

65. *Seriſque legendus &c.* Nam horis poſt meridianis ex inſtituto Romani Gymnaſii, diſcipuli poeſi incumbunt, manè verò tantum Oratoriæ.

66. *Centum cirratos &c.* Perſius Satyr.1. verſ.29. cirratos vocat pueros, qui comam nutriunt, quam Veneri conſecrent detonſam, uti animadvertit Turneb. lib. 28. cap.26., Perſii verba ſunt, quæ ſenſui verborum noſtri Sectani ſatis proxima.

Ten cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendes?

Vides optimam imitationem; Perſius ſiquidem agit ſuboſcurè de Nerone, qui ſua carmina publicè in ſcholis perlegenda eſſe imperaverat; Sectanus verò de propriis carminibus agit, tan-

tantumque de iis prædicit fore, ut in eiſdem ſcholis cirratis, ideſt diſcipulis explicanda, aut menti mandanda proponantur. Uterque autem pueros hoſce vocat cirratos; rationem dedimus ex Turnebo ſtatim ſuprà: Addimus antiquum morem hæc, quæ dicuntur, ſapere, nam veteribus juventus omnis intonſa, ut ſupra dictum eſt ſub num.37. hujus Satyræ. Verum tamen eſt, cirros propriè dici capillos criſpatos, & in annulos, ſive natura, ſive arte plicatos, quos pueri plerumque geſtare ſolent, qui ſub matrum cura nil adhuc virile haurire, & ediſcere poſſunt. Notandumque de puero, eoque ſervo Atrienſi (atrium pro aula intellige ex Ovidio, & Auſonio, ut explicat Caſaubonus in Suetonium) quod habeat Phœdrus:

Ex alticinctus unus Atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus.

Quibus ex verbis facilè adducimur, ut dignoſcamus hujuſcemodi cirratorum formam, quia cum Antinous Hadriani Imperatoris Atrienſis fuerit, id teſtante Hegeſyppo apud Euſeb. lib.4. hiſt.Eccleſ. cap.8., ex ejus imaginibus, quæ ſuperſunt, ſatis datur intelligi, quales fuerint hujuſcemodi cirri. Sed de hoc alibi propius ad Notam Antinoi.

66. *Centum &c.* Synecdoche numeri certi pro incerto.

66. *Unguem corrodere &c.* Ungues arrodere proverbiali metaphora dicuntur, qui cogitabundi ſunt, & rem aliquam ſecum agitant. Eſpreſſere Horat.1.Serm.Satyr.10.

Et in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, vivos, & roderet ungues.

Et Juven. Satyr.1.

Nec demorſos ſapit ungues:

Id evenit in rebus, quas difficillimè apprehendere contingat, & locis Authorum, quos non adeò facilè explicare obveniat. Corroſioni unguium jungo præciſionem, licet in re omninò diverſa, utpote ad ſuperſtitionem ſpectante; fiebat etenim à conſtitutis in ſummo naufragii periculo; Rem tradit Petron. Arbiter in Satyr.pag.369., notatque ejus Scholiaſtes Hadrianides ſuperſtitionem in eo ſitam eſſe, ut unguium præciſarum abjectione in mare, mare placaretur iratum, hujuſmodi humani corporis damno contentum.

Ad morum normam, & ſævæ caſtraberis uſum
Gram-

NOTÆ.

Queis conſonat noſter Tertul. lib. de Reſurr. Carnis: *ſi famulum tuum libertate donaveris, & veſtis albæ nitore, & aurei annuli bonore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque bonoratur*: Niger autem color in mœrore tantùm adhibitus, teſtante Agellio, Scipionem Africanum, *cum eſſet reus, neque barbam deſiſſe radi, neque candida veſte uſi, neque ſolito cultu reorum*, nempè barba prolixa, tunicíſque nigricantibus, *indutum*. Quem morem albis veſtibus incedendi ita Romani coluere, ut contrarium abuſum Ædilium ſeveritate corrigendum cenſuerit Auguſtus apud Suetonium cap.40., narrantem, quod is *etiam habitum veſtitumque priſtinum reducere ſtatuit, ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, aut clamitans*: *En ait*:

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Aedilibus dedit &c. Hæc de ingenuis, & liberis intelligenda, uti diximus, non tamen de ſervis, quos pullatos, aut ſaltem fuſci coloris penulis uſos ſatis demonſtrat Lipſius in Electis: Agnoſcimus ſiquidem ex Pignorio de ſerv. fuiſſe in familia Urbana Magiſtros, Pædagogos, Præceptores, & Grammaticos, quod veterum Scriptorum teſtimonio probat pag.116. & 117.; Hunc conſule.

44. *Ad morum normam &c.* Ad rectam rationis regulam; quę bonis moribus minime contraria ſit, imo eis inducendis, ſervandiſque proſit.

44. *Et ſævæ caſtraberis uſum &c.* Licet caſtrare ſit virilia amputare, attamen translatè pro quacumque truncatione ſumitur, ſive etiam privatione; Pacuv. ſic: *Ut eſſet aliquis qui linguam ejus caſtraret.* Vox autem hęc frequentiſſima in noſtro uſu eſt in ordine ad libros, quibus opera preceptorum aufertur quicquid obſcœni, turpiſque ineſt, ut ſic correcti ſtudioſis adoleſcentibus offerantur in ſcholis, undè ex eorum elegantia, doctrina, & linguę puritate flores colligant, nec tamen hauriant venenum; Hujus inſtituti prima, potiorque laus Patribus Soc. Jeſu debetur.

45. *No-*

Grammaticæ; noſtro de codice penis abibit
Expunctus, leveſque genæ, Titique mariſcæ,
Fœdaque purgatis migrabit vulva papyris:
Quoque loco imberbes tractas, Philodeme, cinædos
Præceptor ſapiens ſubito nova verba reponet,
Et docilem manibus faciet palpare catellam,
Ut ſolet, & rauci canis hæc erit illa Bagoæ,
Callidus in circo, quam tu ſaltare jubebas.

Leva

Notæ.

45. *Noſtro de codice &c.* Incipit Sectanus enumerare ea verba, quę à ſęvo correctore ex ejus Satyris expungentur, proſequiturque enumerationem per plures verſiculos, quos lege.

45. *Abibit &c.* Abibit, ſeu migrabit pro *expungetur*, & *delebitur*. Forſan *mutabitur*, nam talis ſignificatio hujus verbi apud Plin. lib.24. cap.9. *Salicis fructus ante maturitatem in arenam abit*; quę explicatio huic loco maximè convenit ex his, quę ſubduntur de mutatione veterum verborum in nova v.48. *Nova verba reponet*.

46. *Faciet palpare catellam &c.* In corrigendo Martiali ſæpiſſimè occurrit poſita Catella loco puellæ.

50. *Et rauci canis hęc &c.* Scit optimè Philodemus, quem Bagoę ſocium dedit Sectanus noſter Satyra 2. verſ.170. & de jocis à cane procuratis, ad delectandum per eam populum, egit.

50. *Callidus in Circo &c.* Ea ſcilicet canis, quæ te magiſtro ſaltare debebat in circo, ideſt in Agonali platea, quæ ſortita eſt ex vocis adulteratione nomen *di Piazza Navona*, ut indò maximè aliquod emolumentum, ſed & plauſum exciperes: ſperans forſan ex his ludicris nugis, eam gloriam conſequi, quam ſibi tribuit Scorpus apud Martial. lib.10.Epig.54.

Ille ego ſum Scorpus clamori gloria Circi.

Tria enim in Circenſibus ludis concurriſſe firmat Virgil. lib.5.

Lava ſed & pellex, multumque domeſtica amica
Carminibus delenda meis, ne pronior ætas
In vitium, Venerem diſcat virtute relictâ.

Quod-

NOTÆ.

verſ. 148. videlicet plauſum, fremitum, & ſtudia faventum; En verſum hæc omnia complectentem.

Tum plauſu, fremituque virum, ſtudioque faventum
Conſonat omne nemus.

Habes & apud Silium lib. 16., Tertull. de Spectac., Auſonium eid. 13. & plures alios, quos mitto, nam quæ comparatio ludorum canis Philodemicæ cum Circenſibus, quos maximos, celeberrimoſque Roma triumphans, totiuſque Orbis Domina habuit in ſummo precio?

53. *Ne pronior ætas &c.* Pronus in anteriorem partem flexus, & de animalibus dicitur Ovid. lib. 2. Metam.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram.

Metaphoricè tamen quis pronus dicitur, ideſt, inclinatus ad virtutem, ſeu ad vitia, quamquam re vera, ut plurimum, in malam partem accipiatur; ut ex Plin. in Paneg. *Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quam æmulatio.*

54. *In vitium, Venerem &c.* Venus pro libidine, & re ipſa Venerea; Firmat Oppian. lib. 3. κυν. ubi loquens de furiis, quibus urſi aguntur, ait: πολλὴ Κυθέρεια *multa Venus:* Undè poſuit pro amore Latin. Nemeſ. 2. Eclog.

In Danaces Venerem furiata mente ruebant:

Et pro puella, & amica Petron. Satyric. *Quia noſti Venerem tuam, ſuperbiam captas,* cui conſentiunt Virgil. Eclog. 3.

Parta meę Veneri ſunt munera.

Eurip. Hyppolit.

Tuę Veneri multum valere dico.

Et Pindarus.

κόλποις
Δέχεν τὰν ἀφροδίταν
Sinu
Excipere Venerem.

Quo

55. *Quodque magis doleo noſtras, Quartilla, camœnas*

Deſeris, & vidui plorant ſine lampade verſus;
Scilicet horridulus nimium, ſævuſque magiſter
Iraſci

NOTÆ.

Quo quomodo ſenſus hujus loci accipiatur in idem coincidit; nam Venus, ſeu libido ex amore, ino dinatus amor ex fœminis homini incenditur. Adde iterum Virgil. lib. 3. Georg. verſ. 97.

Frigidus in Venerem ſenior.

Et verſ. 210., ubi de equis & tauris arcendis à nimio libidinis exercitio.

Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem, & cœci ſtimulos avertere amoris.

Item lib. 4. de Generat. Apum verſ. 197.

Nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt.

Sed de re paſſim obvia ſatis.

54. *Virtute relicta &c.* Forſan ex Imit. Claudiani de Raptu &c.

Luxuries prędulce malum, quę dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine mentes.

56. *Et vidui &c.* Ideſt deſolati, & deſerti majore ſplendore, qualis erat Quartilla.

56. *Sine Lampade &c.* Lampadem harum ſatyrarum Quartillam nuncupat Sectanus, ac ſi dixiſſet eam eſſe fulgidius earum ornamentum, & decus; nam lampas, & lumen, ut plurimum, ſumuntur pro re aliqua ex ſe ſplendorem diffundente; ſiquidem ex accenſa lampade lumen emittitur; Quantus autem in hoc loco haberi debeat Sectanus non eſt una ſermonis elegantia, quæ abundè connotet, ſed ad ſatietatem probat aptiſſima, quam habuit, relatio, ad frequentiſſimum, eumque ſolemnem morem veterum, apud quos penè nullum feſtum, nulla celebritas ſine maximo lampadum fulgore, & numero; itaut eſſent principale decus, & honor feſtivitatum, ut hìc affabrè ponitur Quartilla,

tilla, ceu lampas pro harum Satyrarum præcipuo honore. Id actum fuit ad lætitiæ oſtentationem, habetqſie Juven. Sat. 12., ubi amici adventum celebraturus, ait;

Hic noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violę jactabo colores;
Cuncta nitent, longos evexit janua ramos,
Et matutinis operitur feſta lucernis.

Memorant Apulejus lib. 4. loquens de nuptiis; *Domus tota lauris obſita, tædis lucida ſtrepebat hymenęum*; de receptione Tyridatis Armeniæ Regis Romam adventantis notat Xiphilinus in Nerone; *& tota quidem Urbs ornata fuit luminibus*; Neronis è Græcia reditum celebratum fatetur idem, *tota quidem Civitate coronis, & lychnis ornata*. Idem & nuptiarum occaſione actum fuit, nullæ etenim ſine facibus celebratæ unquam fuere, ut vetera oſtendunt marmora apud Sponium ſupplem. Gruter. Lib. 1. ſect. 1. art. 3., & conſentiunt Petron. Arbiter in Satyr., Artemidor. Lib. 2., Claudian. lib. 2. de nupt., idem de raptu, Pamphil. de Amor. eleg. 27., plurimique alii, quos referre piget, nec latent eruditos viros; at non omittam è Græcis Heſiodum ſub his verbis in Herc.

Multus Hymenęus oriebatur:
Longè autem ab ardentibus facibus lumen involvebatur
In manibus ancillarum, quæ ſplendoribus floridę
Anteibat.

Eamdem luminum accenſorum conſuetudinem in Romanorum Principum triumphalibus pompis lego apud Suetonium in Ceſare, ubi refert, quod ipſe *aſcendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra, atque ſiniſtra lychnucos geſtantibus*: Qualis autem, & quantus lampadum, & cereorum luxus in conviviis uno ore fatentur quicumque eruditæ vetuſtatis Scriptores: Seligo ex iis unum tantum Plutarch. in vita Antonii: *Eos apparatus convivii Antonius offendit, quantos nunquam fuerat arbitratus. Maximę admirationi fuit multitudo luminum; tanta enim undique demittebbatur, tanta ferunt illuxiſſe, tam mira inter ſe arte diſpoſita, atque ornata jam quadrangulari forma, jam circulari, ut vel inter rariſſima pulcherrimarum rerum ſpectacula putaretur.* Hinc benè Schrevel. in not. ad 5. Satyr. Perſii, ducibus Turneb. lib. 22. cap. 12., & Cauſaubon. in Perſ. monuit *omnium penè gentium communem fuiſſe ritum ad gaudii ſignificatio-*

Iraſci ſolitus cunno, te radere chartis

Niti-

Notæ.

tionem ignem accendere, & quod non ſolum in templis lumina accendebant, ſed etiam domi quiſque ſuę, eaque etiam januis, ac feneſtris appendebant. Idem de quibuſcumque earum ſolemnitatibus cenſendum, quod de Alexandrina notavit Achilles Alexandr. lib. 5. *Flammę paſſim relucebant; idque non vulgari admiratione animadverti: Veſpera enim cum adventaſſet, ac Sol occidiſſet, nox tamen nondum erat, ſed alius minutas quaſdam in partes diviſus Sol exoriebatur. Tunc Urbem illam cum Cœlo etiam pulchritudine contendere judicavi.* Scio facibus hiſce, & luminibus, lampadibuſque ſua myſteria ab Ethnicis tributa fuiſſe, ſed non hic differendi de hiſce locus eſt; Addo tantum, ad majeſtatem ſpectare etiam cenſuiſſe Romanos Imperatores, ſi ſibi ignem præferri juberent; id ſolemni ritu in more poſitum eſſe teſtatur Herodianus in Commodo, in Pertinace, in Peſcennio, in Quartino, ac tandem in Gordiano; agnoſcitque Balſacius epiſt. ad Cappellam derivatum fuiſſe, Romamque advectum ex imitatione Regum Perſarum, de quibus idem jam diù teſtatus fuerat Xenophon. παιδ. lib. 8. annuente Lipſio in Comment. ad Tacitum, vel generatim quorumcumque Regum Aſiaticorum, prout ſentit Ammianus Marcellinus lib. 15. ſeu potius Lacedemoniorum, quemadmodum placet Freinshem. Comm. in Curt. lib. 4. cap. 14. §. 24.

58. *Te radere chartis &c.* Ideſt delere fortè atramento ſuperimpoſito, ne verba minus honeſta dignoſcantur, & legi poſſint. Hoc enim chartæ noſtræ linteæ tenuiſſimæ magis convenit, quam raſio, quæ non adeò facilè ſine ipſius chartæ damno in praxim redigi valet. Veterem tamen phraſim Sectano ſervare placuit, tunc cum raſura facillima erat, ſive ſcriberetur in papyro, ſive in corticibus, ſive in cera, ſive tandem alio quocumque modo; & reverà tunc propriè delere nil aliud erat, quam radere, quandoquidem idem graphium, ſeu ſtylus, quo utebantur ad ſcribendum, adhibebatur ad delendum, vel radendum, quod jam exaratum erat; Id ex ejus Icone collige, quam delineandam curavimus ex Pignor. de Servis pag. 12.

qui

qui nos docuit ejus mucrone ſcribere ſolitos, planitie autem ſcriptum abradere; adductis teſtimoniis Sympoſ. ænigm. 1.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo
Verſor utrimque manu, diverſo & munere fungor.
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

Anthelmi in Heptaſtichis in ænigmate, cui titulum præfixit de clementis.

Naſcimur è ferro, rurſus ferro moribundæ.

Prudentii in Paſſione Caſſiani.

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur;
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

Et S. Hieronymi ad Domnionem: *Stultus ego, qui me putaverim hæc abſque Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ ſcriberet.*



58. *Chartis &c.* Linteam chartam intelligit, quæ in uſu noſtro, quam antiquis fuiſſe incognitam minimè dubitandum eſt, cum Plin. lib. 13. cap. 12. tantum papyrum notet; Abacum indigitent Perſ. Satyr. 1., Jul. Pollux lib. 10. cap. 23., & Ammonius vetus Grammaticus in verſ. Abacus, ubi etiam tabulam Pythagoricam nuncupat. Tabulas chryſtallinas enumeret Plutarchus in vita M. Antonii; ex juncis marinis confectam agnoſcat Feſtus; addant membranas Mart. lib. 14., Horat. de Arte, & Diod. Sicul. lib. 2., & tabulas, pugillareſque ceratos habeant Cicero, & Juvenalis paſſim. Nullus autem ex linteis aqua maceratis, & ſubtiliter tuſis confectam chartam eſſe dicit; nam quamvis neſcio cujus chartæ linteæ apud eoſdem ſit mentio, ſeu potius librorum linteorum, de quibus agit Livius lib. 4. & 10., hos à noſtra charta, quam recentioribus temporibus inven-

Nititur, & longis ſequitur tua facta lituris.
60. *Vos quoque Telegoni, qui ſurrexiſtis in hortis*
Octo-

NOTÆ.

inventam teſtatur Demſter. in Gloſs. Inſtit. Juſtin. lib. 2. tit. 1. §. 33. fretus fide Cod. Biblioth. S. Victoris Pariſien., & Joſephi Blancarti lib. de recent. inventis; diverſos eſſe affirmat Guillandinus tract. de Papyr., ſcribens: *Erant verò libri antiquorum lintei, non quales noſtri, qui & ipſi ſine hæſitatione lintei dicendi ſunt, ſed in telam lineam deſcripti, non aliter, quam hodiè à Pictoribus variæ imagines in linteis, ſeu telis depingi ſolent, quas & linteas vocare nihil prohibet.* At de re altioris, & difficillimæ indaginis conſule Vincentium Contarenum de univerſa ſcribendi ratione, & alios, qui materiem uberrimè tractavere.

59. *Et longis &c.* Longas lituras dicit, aut plurimas, aut extenſas deletiones in his Satyris à magiſtro faciendas, vel ſuperinducto atramento, vel alio liquore, quo ſcriptura deſtruatur. Argutè Martial. lib. 4.

Non poſſunt noſtros multæ, Fauſtine, lituræ
Emendare jocos, una litura poteſt.

Non una ea denique ratio veteribus, ac nobis delendi ſcripta, aut characteres jam efformatos: Illi enim, ſi in cera ſcriberent, id agebant ipſo ſtylo plano à parte inferiori, qui iterum ceram adæquabat, & literas jam exaratas delebat, ſi autem in alia materia, puta papyracea, radebat; quando verò vel in abaco, vel in membranis, linteiſque exequebatur, tum lituræ fiebant ope ſpongiæ, quæ characteres obliterabat, uti dicit de Auguſto Suetonius; nam cum Sophoclis Ajacem Latinum facere ſuſcepiſſet, *non ſuccedente ſtylo abolevit*, & quidem ſpongia, nam interrogatus, quid Ajax ſuus ageret? *in ſpongiam incubuiſſe*, reſpondit. Quod & Macrob. 2. cap. 4. Saturnal. iiſdem penè verbis retulit, inquiens. *Auguſtus Ajacem Tragœdiam ſcripſerat, eamdemque, quod ſibi diſplicuiſſet, deleverat: Poſteà Lucius gravis Tragœdiarum Scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax ſuus? Et illi, in ſpongiam,* inquit, *occubuit.* Neque hanc ſpongiam putes atramento delibutam, itaut eodem tempore deleret, & conſpurcaret; nam contrarium ſuadet Auſonius, qui *Lacticolorem*

Octobres ficus calamus feſtinat acutus
Vellere, ſed plantis ignoſcet forſan amicis.
Ergo, age, teſticulis poſitis, juſſuque ſevero
Par-

NOTÆ.

lorem ſpongiam denominat, fortè quia, delendo literas, nil chartæ candori officeret, ſed atramentum tantum abſtergeret, de cujus uſu, qualitate, & materia legendus Plin. lib.34 cap.12., & Dioſcorid. lib.5. cap.ult., & ex modernis Cardan. lib.8. de ſubtilit., Bernard. Cæſius de mineral., & Amatus Luſitanus in Dioſcor. lib.1. enarr 83. conſulendi ſunt.

61. *Calamus feſtinat &c.* Non de ſtylo ferreo, ſeu graphio, quo veteres in ſcribendo utebantur, ſed de calamo confecto ex pinnis olerum, & anſerum, qui in hodierno more, eſt intelligendus hic locus: Phraſim tamen antiquitatem ſapere agnoſco; Calamus ſiquidem propriè arundo magis minuta, habens internodia longa, & recta; quoniam igitur ex hac arundine primi calami conficiebantur ad ſcribendum, inde nomen ſemper idem in poſterum permanſit, quaqua conficerentur materia. De his Martial. ſcribit, & enunciat undè, quave regione optimi afferrentur:

Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus.

Quemadmodum hodiè meliores ex Hollandia aſportantur.

61. *Acutus &c.* Non quia ſimpliciter in acumen deſinat, ut ſcribendo ſit aptus, ſed ab effectu; nam cum de eo *vellere* dixerit, perſiſtit in metaphora, & acutum ponit, nam evulſioni aptior eſt, utpotè qui facilius penetret.

62. *Vellere &c.* Conceptum ſermonem auget, & augendo ei novas vires addit, & cum prius dixiſſet ſimpliciter delere, nunc evellere ponit; ut aut nil ſcriptorum remaneat, ſicuti nil remanet plantæ, quæ radicitus è terra vellitur.

63. *Ergo, age &c.* Α᾽γε hortandi adverbium eſt, quo plurimi, & ferè omnes uſi ſunt Scriptores; ſic Ariſtoph. in Pluto, Plutarchus in Camillo, Xenophon. in Apolog. Socrat, & alii: Quin & ſæpiſſimè cum Plurali conjunxere, Anacreon in re convivali ἄγε, δῶτε; Plutarch. de tuend. valet. ἄγε, ὦ παῖδες,

ὑγ-ε.

Parte tui meliore carens, Philodeme, paleſtram
Mun-

NOTÆ.

videte, pueri. S. Jacobus in epiſt. cap. ult. Ἄγε νῦν οἱ πλούσιοι κλαύσατε, *agite nunc divites plorate*; quos videtur ſecutus Cic. pro leg. Manil., quem nonnulli reprehendunt erroris, ignari id dictum ex Græca elegantia, & imitatione.

63. *Teſticulis poſitis &c.* Sic eviratus præcepto, & opera magiſtri, & maximo ſui lepore, & vi ſpoliatus. Ah parcas Sectano, neque injuriam hanc irroges; imo & tibi parce, ſcis enim, nam eruditus es, quas pœnas leges inferant contra hujuſcemodi ſectores, & virilitatis hoſtes. Ni memoriter teneas, aliquas recenſebo, ne ignorantiam prætexas. Olim pœna legis Corneliæ, relatæ lib. 3. §. Qui hominem, lib. 4. 5. & 6. ad leg. Cornel. de Sicariis, tenebatur, qui hominem caſtraviſſet: Item inhibuit Domitianus apud Sueton. cap. 7., & poſt eum Nerva ex Dionyſ. lib. 68.. Iterum Conſtantinus vetuit pœna capitis propoſita ex leg. 1. Cod. de Eunuchis, quam omninò ſervandam voluit Leo Aug., qui Romanos nunquam ſecari permiſit, ſed tantum barbaros, lege lata, quæ legitur ſecunda ſub eodem tit. Utinam & hodiè his legibus ſua vis eſſet; nam non ſolus eſſet in tuto Sectanus, ſed liberam videremus Chriſtianam Rempublicam à tot ſemiviris, qui eam, mollicie, petulantia, & morum pravitate dedecorant effrontes, & honeſtatis hoſtes. Sed de his ſequenti Nota.

64. *Parte tui meliore &c.* Ideſt, præcipua nota virilitatis, priſtinaque vi, atque virtute: nam Spadones, & Eunuchi inter ſemiviros tantum recenſentur. Hos lutulentos homines egregiè Alexander Severus apud Lamprid. *de miniſterio ſuo ejecit, & uxori, ut ſervos, ſervire juſſit, & cum Elagabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit, nec quicquam in Palatio curare voluit, niſi balnea fœminarum, cum pleroſque Eunuchos rationibus, & Procurationibus præpoſuiſſet Elagabalus, his ille & veteres ſuſtulit dignitates. Idem tertium genus hominum, Eunuchos eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus.* Horum crudelitatem taxat S. Ambroſ.

65. *Mundior intrabis, ſeriſque legendus in horis*
Centum Cirratos unguem corrodere coges;
Quan-

NOTÆ.

broſ. epiſt ad Marcell., inſidelitatem Sueton. in Claudio, ut mittam ea vitia, quæ etiam hodiè eis non falsò tribuuntur; undè veluti portentum ducitur, ſi ex hujuſmodi cœno aliquis, qui probitate prædirus ſit, effulſerit.

64. *Palæſtram &c.* Pro ſchola: Etſi vox iſta in ſuo genuino ſignificatu denotet locum, ubi lucta, & pancratium exercetur, quippè quæ derivetur τοῦ παλαίσθαι τὸ σῶμα, hoc eſt, *à corpore agitando*; notetque idcircò, ac explicet Plutarch. lib.2. Sympoſ. quæſt.4. *Locum, ubi omnes athletæ exercentur, palæſtram appellari, à πάλης, ideſt lucta, nomen primò adeptum, quod deinde etiam recens inventis accomodatum fuerat*; puta *Curſoribus, Pugilibus, jaculantibus diſcum, contendentibus ſaltu*, vt placet Polluci, & poſt eum Budæo, quibus Paleſtra generale nomen eſt, pro loco cujuſcumque corporalis agitationis, & exercitii: Attamen translatè etiam ad animum referri, ejus ipſa ſignificatio abundè ſuadet, accipiturque rectè pro loco, in quo anima bonis diſciplinis imbuitur, ſeſe ſtudiis exercendo, ut hic habet Sectanus noſter.

65. *Mundior intrabis &c.* Ideſt, ſine aliqua obſcœnorum verborum fece, à qua purgatus es ſeuera mutilatione impudicarum partium.

65. *Seriſque legendus &c.* Nam horis poſt meridianis ex inſtituto Romani Gymnaſii, diſcipuli poeſi incumbunt, manè verò tantum Oratoriæ.

66. *Centum cirratos &c.* Perſius Satyr.1. verſ.29. cirratos vocat pueros, qui comam nutriunt, quam Veneri conſecrent detonſam, uti animadvertit Turneb. lib. 28. cap.26., Perſii verba ſunt, quæ ſenſui verborum noſtri Sectani ſatis proxima.

Ten cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendes?

Vides optimam imitationem; Perſius ſiquidem agit ſubobſcurè de Nerone, qui ſua carmina publicè in ſcholis perlegenda eſſe imperaverat; Sectanus verò de propriis carminibus agit, tan-

tantumque de iis prædicit fore, ut in eiſdem ſcholis cirratis, ideſt diſcipulis explicanda, aut menti mandanda proponantur. Uterque autem pueros hoſce vocat cirratos; rationem dedimus ex Turnebo ſtatim ſuprà: Addimus antiquum morem hæc, quæ dicuntur, ſapere, nam veteribus juventus omnis intonſa, ut ſupra dictum eſt ſub num.37. hujus Satyræ. Verum tamen eſt, cirros propriè dici capillos criſpatos, & in annulos, ſive natura, ſive arte plicatos, quos pueri plerumque geſtare ſolent, qui ſub matrum cura nil adhuc virile haurire, & ediſcere poſſunt. Notandumque de puero, eoque ſervo Atrienſi (atrium pro aula intellige ex Ovidio, & Auſonio, ut explicat Caſaubonus in Suetonium) quod habeat Phœdrus:

Ex alticinctus unus Atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus.

Quibus ex verbis facilè adducimur, ut dignoſcamus hujuſcemodi cirratorum formam, quia cum Antinous Hadriani Imperatoris Atrienſis fuerit, id teſtante Hegeſyppo apud Euſeb. lib.4. hiſt.Eccleſ. cap.8., ex ejus imaginibus, quæ ſuperſunt, ſatis datur intelligi, quales fuerint hujuſcemodi cirri. Sed de hoc alibi propius ad Notam Antinoi.

66. *Centum &c.* Synecdoche numeri certi pro incerto.

66. *Unguem corrodere &c.* Ungues arrodere proverbiali metaphora dicuntur, qui cogitabundi ſunt, & rem aliquam ſecum agitant. Eſpreſſere Horat. 1. Serm.Satyr.10.

Et in verſu faciendo
Sæpè caput ſcaberet, vivos, & roderet ungues.

Et Juven. Satyr.1.

Nec demorſos ſapit ungues;

Id evenit in rebus, quas difficillimè apprehendere contingat, & locis Authorum, quos non adeò facilè explicare obveniat. Corroſioni unguium jungo præciſionem, licet in re omninò diverſa, utpote ad ſuperſtitionem ſpectante; fiebat etenim à conſtitutis in ſummo naufragii periculo; Rem tradit Petron. Arbiter in Satyr.pag.369., notatque ejus Scholiaſtes Hadrianides ſuperſtitionem in eo ſitam eſſe, ut unguium præciſarum abjectione in mare, mare placaretur iratum, hujuſmodi humani corporis damno contentum.

Quando erit, ut cultis auro, minioque tabellis
Diſcipulis penſum fias, niveoque terâris
Polli-

Notæ.

67. *Cultis auro, minioque &c.* Utitur veteri phraſi ad connotandum luxum, quo ſecundùm hodiernam conſuetudinem ornantur libri. Numeroſam familiam in librariorum adminiſtris invenio; Habes Pumicatores, Malleatores, Ornatores. De Pumice Catullus 1. Epigr., Tibul. lib.3. Eleg. 1., Plin. lib.3. cap.21.; De cetero ornatu Domitius Ulpianus lib. 24. ad Sabinum relat. D. legat.3. l. Librorum § Sed nec cæpti teſtatur; *Sed perſcripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur:* ideſt *aſſeribus incluſi, vel cinnabriati*, ut habet gloſſa: Et re vera minimè dubium eſt inter ornatores eos computari, qui cinnabari, ſeu etiam minio libros decorarent, quandiù inter ſervos notatum reperimus *Miniculatorem* nuncupatum apud Pignor. lib. toties citato; Favetque Juven. Saty. 7. verſ.23.

Atque ideò croceæ membrana tabellæ
Impletur.

Ideſt membrana inter croceas tabellas coarctata, videlicet coloris crocei, qui cum verè luteus ſit, aliquos in ſententiam induxit, quod dicerent eſſe ex Cedro confectas; vel potiùs Juvenalem dicamus reſpectum habuiſſe ad ipſam membranam, ex quo miniati libri dicti, cum tituli, & majores eorum litteræ minio tinguntur, undè dictas rubricas cenſuerunt Juriſconſulti ad lib. ult. de lib. cauſ., & ad lib.7. de oper. Libert., quibus aſtipulantur veteres gloſſ., & Perſius Saty. 5. verſ.90.

Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.

De qua latè Turneb. lib.4. cap.5. V. plura ad hanc rem ſpectantia inferius ſub n.150.

68. *Penſum &c.* Videlicet ſollicitudo ex imit. Salluſt. in Catil. *Neque dicere, neque facere quicquam penſi habebat.* Fortè pro munere adimplendo poſitum ad ſenſum Varro. de Re Ruſtic. cap.2. *Noſtrum penſum abſolvimus.* Plaut. in Perſ. *Penſum meum confeci*; pro munus injunctum abſolvi, & confeci. Per tranſlationem id tamen dictum indubium eſt, nam penſum proprìè

Pollice? ſed vereor ne ſis injuſſa dolendi
Cauſa, quibus placuiſſe cupis, nam verbera palmę
Sæpius accipient, & lora cruore madebunt,
Abſtru-

NOTÆ.

priè manipulus lanæ, vel cannabis, qui ex colo pendet, & fuſo trahitur: Et quia famulis aſſignari ſolet certus eorum numerus pro qualibet die conficiendus, hinc derivavit nomen ad alia, quæ certo tempore facienda præſcribuntur, uti agunt etiam Magiſtri, reſpectu diſcipulorum materiem ſtudiis inceptis æquam aſſignando ſingulis diebus addiſcendam.

68. *Niveoque teraris &c.* Nempè, præ manibus aſſiduè habearis, & revolvaris; manus autem niveas pro albis, candidis, & delicatis poſuit, quales habere ſolent pueri; Imitatus eſt Sectanus Virgil. viii. Æneid. verſ. 387. de Venere.

Et niveis hinc, atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fouit.

Calpurn. Flacc. declam. 2. *Nivea membra.* Arnob. lib. 4 de Junone: *Ulnarum nivei, marmoreique candores*; & Nonnum, qui habet lib. 31. Dionyſ. *χιονέῃ σπαρῆσι niveis genis.*

68. *Pollice &c.* Eleganter pro tota manu, cùm enim digitus hic poteſtate inter cæteros polleat, & vi præſtet, manus quaſi altera dicitur Græcis, apud quos *ἀντίχειρ* nuncupatur per excellentiam.

69. *Ne ſis injuſſa dolendi &c.* Sumpta videtur phraſis, ſubjectoque Satyræ poſtmodum accomodata, ex verſ. 55. Virgilii Georg. I.

Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.

Optimè injuſſam cauſam, nempè non volitam dixit Sectanus. Quis enim crederet Philodemum, ſtudioſum adeò juventutis cultorem, voluiſſe unquam cirratis iſtis, inſontibuſque diſcipulis minacem, plagoſumque Pedagogum excitare?

70. *Nam verbera palmæ &c.* Reſpicit modum, quo Magiſtri puniunt negligentes diſcipulos, ictus ferula ſuper eorum

Abſtruſo quoties occurrit ſyllaba metro,
Et veteres docto redolet ſermone Latinos.

Angi-

NOTÆ.

manus impingentes. Hinc rectè Juven. de iis, qui Ludimagiſtri poteſtatem exuerunt.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.

72. *Abſtruſo quoties &c.* Ideſt quotieſcumque obveniet metiri verſum aliquem, qui ex natura ſua difficilioris metri ſit, & reconditiorem eruditionem ſapiat. In ſimili Cic. 4. Acad. dixit, *Diſputationem paulò abſtruſiorem.* Abſtrudere enim Servio eſt, quod provenit à natura, quod cum ab actione dependet, abſcondere dicitur. Hunc ſenſum eruimus ex Virgil. lib. 1. Georg. verſ. 35.

Ut venis ſilicis abſtruſum excuteret ignem.

Et denuò 6. Æneid. verſ. 7.

Quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis.

72. *Occurrit &c.* Occurrere propriè ad malum omen referri diximus in princ. Saty. 1. ad illud

Homo mihi nomine &c.

An non & in eadem ſignificatione hìc accipiendum, ubi de diſcipulis agitur, quibus in occurſu loci difficilioris, & abſtruſi imminet pœna fuſtis?

73. *Et veteres docto &c.* Imitaris videlicet Scriptores melioris ævi; quantum in hoc excellens ſit Sectanus nemo non videt. Omnes fatentur exceptis Philodemicæ ſectę fautoribus, qui plura barbara vocabula, inconditas locutiones, malè confarcinatas phraſes, in metro tandem ſyllabarum errores ſe in his Satyris inveniſſe finxerunt, ut patet ex inſulſiſſimis Criticis animadverſionibus, quæ poſtquam per hominum manus plurimum vagatæ ſunt, nulla arte, nulloque alicujus ingenio, ſed ex ſe ipſis factum eſt, ut perirent, quemadmodum reſpectu corporis humani fit in ptiſi affectis, qui paulatim languentes in informe cadaver reſolvuntur. Sed nimium decus nugis illis hac ſimilitudine comparo: Nonne corpus aliquando, prius quàm cadaver efficeretur, ab anima informatum fuit? at ubi,

neque

Angitur ecce Petus, primoque in limine adhæret,

Ter-

NOTÆ.

neque per Metaphoram anima, & ſpiritus quidam, qui tribui magnorum virorum elucubrationibus, in talibus centonibus malè aſſutis, inventus nunquam eſt, nec quidem eos corporis honore, nomineque dignabor, potiùs à ſui principio ſemper putidum cadaver eſſe dixerim. Porrò quàm feliciter in imitando veteres Scriptores ſeſe geſſerit noſter Satyricus intellectum, virumq; quemquam minimè præjudicatum appello, plauſumque, quem univerſim ab eruditis affecutus eſt, propono. Quantùm ad me, viri hujus, & ejus excellentis doctrinæ amor coegit his notis illuſtrare tantum opus; Fateor mihi tantùm fuiſſe in votis ab initio penitùs incumbere in locis imitatis aſſerendis, ut accuſationem injuſtiſſimam averterem: at in tanta rerum varietate, qua Satyræ hæ abundant, in tanta eruditione, quibus ſcatent, quis pedem ſiſtat inter limites anguſtos Grammaticæ, & non potiùs per ardua nobiliorum ſcientiarum itinera evolet?

74. *Angitur &c.* Pro corporis, & animi cruciatu frequenter ſumitur. Pro primo ſtat Colum. lib. 8. *Robuſtus angit imbecillum:* Pro ſecundo Cic. Epiſt. famil. lib. 16. *Audio te animo angi*; & 1. de finib. *Animus excelſus omni eſt liber cura, & angore.* Metaphoram tamen ſapit, nam cùm deducatur ἀπὸ τοῦ ἄγχω, quod eſt *ſuffoco*, & *ſtrangulo*, itaut propriè de gutture dicatur, quæ angina vexatur, de reliquis conſequenter tantùm per tranſlationem dicitur.

74. *Ecce &c.* Inducit particula hæc novum παράδοξον ad oſtendendam novam admirationem rei inopinatæ, & admirandæ. *Ecce* ſiquidem adverbium demonſtrandi eſt, quod aliquid repentinum, inſperatumque ſignificat: Hoc frequentiſſimè uſus eſt Virgilius, quem conſule; proprium verò Ciceronis, ut in rebus improviſis hujuſcemodi particulam proferat, ſcribit Aſconius Pedianus.

74. *Petus &c.* Vim vocis ſi attendimus, Pætum nuncupamus, qui obliquis oculis aſpicit, ex Horat. 1. ſerm. Saty. 3.

Strabonem appellat Petum pater.

Ubi, interprete Porphyrio, ſtrabo dicitur, qui eſt oculis detortis, pætus autem leviter declinatis. Sed apud Grammaticos univerſim habes pætos dictos, quorum huc, atque illuc oculi velociter vertuntur. Hinc Pætorum familia Romæ cognomen ſumpſit, ex qua fuere plurimi celebres viri, interque eos enumeratur Quintus Pætus Memmius, cujus meminit celeberrimum marmor apud Gruter. pag. 437. 7.

Q. PAETO. MEMMIO.
APOLLINARI.
IIII. VIR. IVR. DIC. QVINQ. MAG. IVV.
PRAEF. COH. III. . . RBVC. TRIB. LEG. X.
GEM. PRAEF. ALAE. I. . SICV. . . DONIS .
MILIT. DONATO. IN. EXPED. DAC. . . AB .
IMP. CAES. TRAIANO. . . . .
VEXILLO. CORONA. MVRALI . . . .
PROC. PROVINC. SICILIAE. PROC. PROVINC.
LVSITANIAE. PROC. XX. HAERED. PROC.
PROVINC. TIRACON. PROC. PROV. NORICAE.
OMNIBVS. PERFVNCTO. HONORIBVS. IN.
. . . . MERVIT
PATRI. INDVLGENTISSIMO. ET. INCOMPAR.
P. MEMMIVS. QVIR. APOLLINARIS.

74. *Primoque in limine &c.* Ideſt in primo ipſius ſcholæ ingreſſu; adhibuit phraſim non ſolùm elegantem, ſed præcipuis authoribus maximè uſitatam, ut diſcimus ex Virg. 2. Æneid. & aliis: Ideò limen & pro ipſis portis ſumptum legimus apud eumdem lib. 9. Æneid., ubi inquit,

Fiduſque ad limina cuſtos.

Ideſt *Janitor*; & penes Apul. de Aſino, ubi *ad limina ſervus*, qui portarum cuſtos. Iterum & Virgil. affero 2. ejuſdem verſ. 485., ad quem proximè Sectanus locutus videtur.

Armatoſque vident ſtantes in limine primo.

Nil

75. *Territus, audito Philodemi nomine, & inquit;*
Quid vox iſta ſonat? certè hunc nec ſacra piavit
Unda,

NOTÆ.

Nil dicam de liminum religione in tanta aliorum luce; Conſulantur Tibul. lib.1.eleg.2. Livius lib.45., ubi de Pruſia Rege, Valer. Max. lib.6. cap.10., Senec.de Conſol.ad Marc., Apollon. lib.2. Ammian. Marcel. lib.25. Lucretius, & alii perplures, à quibus abſtineo.

74. *Adhæret &c.* Remanet quaſi infixus, & immobilis in ipſis liminibus ad modum obſtupeſcentis. Similem expreſſionem habet Virgil. 2. Æneid. verſ.774.

Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit.

Utrique obſtupeſcentem hærere dicunt, at Sectanus totam perſonam in limine, Virgilius linguam in ore. Par tamen affectus animi, eadem etiam hæſitatio, licèt diverſimodè exercita. Huc coincidit Virgil. lib. eod. verſ. 378.

Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas.

Quod & hærere, adhærereque eſt. Ita Apule. lib.2. *Illo aſpectu defixus obſtupui, & mirabundus ſteti.* Convenit & hiſtoria apud Agathiam lib.4., ubi Romani milites noctu in vigiles hoſtium incidunt, greſſum inhibent, quieti, ac taciti manent, veluti terræ radicibus affixi, adeòut ne ſpiritum quidem emitterent, ſed eum in pectus conditum premerent. Eſt & hic affectus in Calabro lib.3. *παχνώθη κατὰ θυμό: animi mœrore diriguit.* Poteſt etiam intelligi hoc loco Author de initio Satyrarum; cùm enim in prima Satyra, hoc eſt in limine operis dixerit, *ſalutat a læva Philodemus*, nomenque illud non intelligat Petus, rectè inducitur tanquam territus ab inſolentia vocabuli.

75. *Territus audito &c.* Perfecta imitatione ex Virgilio Æneid. 8. verſ.121.

Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas.

76. *Quid vox iſta ſonat &c.* Videlicet, ſignificat. In eadem ſignificatione habet Cic. 3. Offic. Ut hæc duo verba inter ſe diſcrepare, ac vnum ſonare videantur. Vocem porrò pro ipſo nomine dixit, quod frequens Scriptoribus vetuſtis eſt,

caditque ſub eleganti ſcribendi, loquendique modo.

76. *Nec ſacra piavit &c.* Nec baptizatus eſt; nam nomina tunc imponuntur, nec quælibet ut plurimum, ſed Sanctorum, aut hominum, qui nos præceſſerunt. De nominum impoſitione inter Baptiſmum praxis, uſuſque Eccleſiæ hodiernus abundè probat; Aliter priſcis ſeculis actum; tunc etenim ante Baptiſmum pueris nomen indebatur, ut vetera Eccleſiaſtica habent monumenta. Mitto S. Clem. Papa epiſt. 33., quippe ſuppoſititia ab eruditis reputatur; in uno Siricio Epiſt. ad Himer. c. 2. ſiſto, qui ait: *Quibus ſolis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit Sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint.* De quo more teſtantur vetuſtiſſimus Ordo Romanus, Conc. Carthag. 4. cap. 85., Conſtantinop. ſub Menna act. 5., S. Diony. Areop. lib. 2. de Eccleſ. Hierarch., S. Auguſt. lib. de cura pro mortu. cap. 12. & lib. de fid., & oper. cap. 6., S. Gregor. Nazian. Orat. de iis, qui bapt. differ., tandemque, ut de innumeris ſileam, S. Gregor. M. in Sacramentario, cui notas ſuas addidit eruditus Menardus pag. 98., remque ipſam uberrimè tractavit. Dixi nomina, ut plurimum, Sanctorum impoſita ex antiqua traditione, quemadmodum monent Diony. Alexandr. apud Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 20., & Concilii Niceni canon. 30. inter Arabicos. Id tamen agebatur tunc reſpectu infantum, nam qui in fine vitæ, vel valdè adulti baptizabantur, ſaltem in primitiva Eccleſia, nomina propria ſervabant, ut oſtendit Bellarm. de Sacramento Baptiſmi lib. 1. cap. 26. Aliter factum fuit apud Hebræos, nam nomina inter ipſam Circumciſionem imponebantur, ut patet Luc. 1. de Joanne, & Lucæ 2. de Chriſto; idque eveniebat ex vetuſtiſſima praxi, quæ non obſcurè ſubinnuitur Geneſ. 1., ubi Abraham ſimul ſuſcepit à Deo nominis impoſitionem, & Circumciſionis mandatum. Undè ſuper illud Proverb. 4. *Ego filius fui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea:* dicit. Gloſſ., *quare Salomon ſe unigenitum coram matre nominat, quem fratrem uterinum ſcriptura præceſſiſſe teſtatur, niſi quia ille mox natus, ſine nomine, quaſi nuſquam eſſet, è vita deceſſit?* Igitur ad octavum diem, qui ex præſcripto legis Circumciſioni ſacer, nominum impoſitio apud Hebræos protrahebatur: Quod tempus neſcio qua de cauſa ſervent hodie Græci, qui ad octavum baptiſmum, & nomen differunt, ut ex eorum

Eucho-

Unda, nec in noſtris legitur, coliturq; Kalendis;

Neſcio

NOTÆ.

Euchologio: Quantùm autem ad Gentiles pertinet, Chriſoſt. in cap 4. 1. ad Corinth. ſuo ævo uſitatùm inter gentes ſcribit, ut natis infantibus accenderentur plures lucernæ, ac ejus demum, quæ cæteris extinctis ſupervixerat, nomen arripiebant, imponebantque infanti: En verba: *Lucernas tangentes, & nomina ipſis imponentes, ejus, quæ plus duraverat, nomen tribuebant infanti*. Verùm ſuperſtitioſi hujuſcemodi ritus nemo, quod ſciam, præter Chriſoſtomum meminit, fortèque recens inventum fuit, ut ejus verba indicant. Illud in comperto eſt, teſte Plutarch. in problem. Romanos maribus nono die à nativitate, fœminis octavo nomen impoſuiſſe, quod confirmat Pompejus Feſtus, inquiens *Luſtrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, atque nomina imponuntur*. Aliter tamen Julius Capitolinus in Antonino Philoſopho, qui nominis puerorum impoſitionem tribuit diei tertio a Nativitate, idque apud Præfectos Ærarii Saturni deponi, & conſcribi preceptum. Sed quicquid ſit de die, nil ſine ſuperſtitioſa obſervatione, certoque ſacro ritu peragebatur. Adeat Perſium Satyra 2. eruditus lector, ex eoque colliget ceremoniam univerſam, videlicet, extractionem à cunis, ut præſens ſacris ſiſteretur, & plurima alia notatu digna, quæ abundè ibi referuntur: Græci autem tam maribus, quàm fœminis nomen imponebant die 7., quia ea die benè ſperatur de eorum vita. Sic Ariſt. lib. 7 de hiſt. anim cap. 12. *Plurimi ante ſeptimum diem intereunt. Undè fit, ut nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti jam pueri magis credamus*. Apud tamen alios luſtricus, nominaliſque Græcorum dies decimus fuit adſcriptus, ut apud Heſychium legitur. *Decima ſacrificamus; Decima die nomina imponebant: Ariſtoteles autem dicit ſeptima.* Mos hic præcipuè Athenis invaluit, quando congregatis tum conſanguineis, tum amicis, peracta re divina, ſplendidum parabatur convivium, quod vocabant *δεκάτην ἑστιᾶσαι*, ſicuti & obſervabantur quædam ſuperſtitiones, quæ à quibuſdam circà focum gyris *ἀμφιδρόμια* appellabantur, ut notant ipſe Heſychius, Harpocration, Suidas, & Author veteris Ethymologici.

77. Nec

Neſcio quis fuerit. Surgit tunc ſede magiſtra
Cratinus, & pexa barba, digitiſque gubernans
Cor-

NOTÆ.

77. *Nec in noſtris legitur &c.* Nomina Sanctorum infantibus imponenda, & imponi ſolita fuiſſe Nota precedente diximus; unde de hoc nil hic addendum putamus. Noſtras porrò kalendas appellari à Sectano Romanum Kalendarium, in quo feſta, & nomina Sanctorum enunciantur, pro certo habeas, verbaque per ſe clarè indicant, ut opus aliqua interpretatione non habeant. Kalendaria nuncupata legimus tabulas ab obſervatione ſingulorum menſium, id poſtea nomen tributum Romanis tabulis, queis deſcripta ſunt nomina omnium Sanctorum non tantum per ſingulos menſes, ſed per ſingulos dies celebranda: Martyrologium idem vocatur, de quo dicere ſuperſedeo tum ob rei, & materiæ amplitudinem, cum quia Baronius, qui cum exquiſitiſſimis notis ornavit, hujus arduæ quæſtionis nodos quoſcumque ſolvit, & opus plenis, iiſdemque eruditiſſimis numeris abſolvit.

78. *Sede Magiſtra &c.* Pro cathedra magiſtrali, quæ, & ſella ſublimior rethorum, & declamatorum: Hinc Cathedrarios Philoſophos vocat Seneca, quibus ſatis eſt de virtute in cathedris garrire. Vox autem græca eſt, at Latino uſui aptata, quæ ſedem propriè quamcumque connotat: Hodie autem ejus ſignificatio obtinet, quod ſemper pro magiſtrali pulpito, atque ſedili accipiatur.

79 *Cratinus &c.* Cratinus primus in Dionyſiis Athenis Saturycam fabulam induxit, ſcribente Horat.

Lupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poetæ.

Hunc ſuprà modum gulæ, ac omni voluptatum generi deditum fuiſſe, præcipuè ebrietati, notat idem Poeta dicens.

Priſco ſi credis Mæcenas docte Cratino
Nulla placere diù, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Alterius Cratini mentio in marmore Gruteriano pag. 648. 5.

Muſa-

80. *Corvinam vocem; memori, puer accipe mente*

Quæ

NOTÆ.

MVSA QVASILL.
VIX. AN. XXX
CRATINVS.LANIPEND.
DE. SVO.

Utriuſque viri caracter longè diverſus; nam quid Cratino Poetæ cum Lanipendio? ni tamen in originis, & conditionis qualitate conuenire dixeris ambos, tertiumque hunc noſtrum Cratinum adjunxeris.

79. *Et pexa barba &c.* Affinis eſt ille verſus Ovid. 1. Faſtor.

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam.

Reſpicit morem horum Pædagogorum geſtandi barbam aliquanto promiſſam, comptam tamen, & ſæpe pexam, putantes videlicet ex ea ſibi decorem conciliari, & gravitatem: undè fit, quod etiam ſepe manu mulceant, ut comptior appareat, modumque ſpatulæ ſervet, ex quo hujuſmodi barbę dicuntur Italis: *Barbe a ſcopetta.*

79. *Digitiſque gubernans &c.* Intellligit de affectata inter recitandum geſticulatione manuum, quæ reprehendenda eſt, ſicut laudanda, quæ eſt conveniens, & decora, & oratoriam concomitatur pronunciationem; eſt enim actio quædam, & quaſi pronunciatio corporis; quia, vt ait Cic. 2. de nat. Deorum; *in corporum, & motione, & geſtu multa cernuntur*; & 4. Academ *& hoc Zeno conficiebat.*

79. *Gubernans &c.* Ideſt moderans: Jocosè dictum, nam cum actio concomitari debeat pronunciationem vocis, contrarium evenire in hoc Pędagogo aſſerit, in quo geſtus vocem, non vox geſtum moderatur.

80. *Corvinam vocem &c.* Ideſt, raucam, & obſtrepentem ex imit. Perſii verſ. 12. ubi de Poeta.

Neſcio quid tecum grave cornicaris ineptè.

nempè garris, & cornicum more obſtrepis, & ob murmuras Forſan mali ominis hominem deſignat; nam cornix, ſeu corvus

Quæ reſeram. Præceptor ait, Dum priſca fuerunt
Tempora, & Innocuæ ſerviret Roma Tiarę,
Venit

NOTÆ.

vus infauſta avis apud Heſiod. qui in Erg: *μήτι ἐφιζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη: Ne mihi aſsidens cornix garrula quidpiam clangat,* & Plin. lib. 10. cap. 12. *Ipſa avis eſt inauſpicata garrulitatis.*

80. *Vocem &c.* Vocem corniei dedit Virgil. 1. Georg. 388.

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce.

Ita, & Herodotus lib. 3. de equo φθεγξάσθαι: Licet enim vox ſit proprie de homine; attamen etiam de beſtiis dicitur, quatenus eſt ſonus, qui ab animali profertur, deriuaturque a Græco τοῦ βοᾶν, quod eſt *clamare*.

80. *Memori puer &c.* Narrationem ſuam incipit Cratinus, excitatque Petum ad attentionem, ac ſi diceret: benè animadverte, memoriter diſce, diligenterque ſerva.

81. *Dum priſca fuerunt &c.* Priſca tempora hoc loco vetuſtatem non indicant, ſed aliquam temporis lapſum tantum.

82. *Innocuæ ſeruiret &c.* Innocentii XI. Pontificatum innuit, & ſeruire pro obedire, & eſſe ſub imperio ponit, optimè imitatus illud Iuvenal. Saty. 4 verſ 38.

Cum jam ſemianimem laceraret Flauius Orbem
Ultimus, & caluo ſerviret Roma Neroni

82. *Tiaræ &c.* Seu accipias de mitra, aut de triplici corona Pontificia, benè convenit; nam utroque capitis ornatu in ſolemnibus Eccleſiæ ceremoniis utitur Pontifex. De Pontificiæ coronę, & Epiſcopalis Mitræ antiquitate inter Eccleſiaſtica ornamenta conſule Baron. ad ann. 34. num. 85., & 86., ubi eas agnoſces, & ex inſtitutione, & uſu Apoſtolorum emanaſſe dices, ut videlicet Pontifex, & Epiſcopi Chriſtianæ Eccleſiæ, quod regali fungerentur ſacerdotio, tamquam Reges, & Sacerdotes eis uterentur veluti coronis regalibus, & ut oſtenderetur omnia lęgis Moſaicæ in Chriſto eſſe perfectius conſumata, qnemadmodum loquitur S. Hieronym. epiſt. 128. ad Fabiolam, ubi de indumentis veteris Legalis Sacerdotii agit; Quandoquidem cum in ea cunctis Sacerdotibus permiſſum eſſet uti Cidari, ſicut noſtris Epiſcopis Mitra; Laminam tamen auream

adde.

Venit ab oppidulo laceris malè fultus alutis

Gra-

NOTÆ.

addere ſolius erat Summi Sacerdotis;quam laminam Sacra Scriptura recte coronam vocat, additque Joſephus lib. 3. Antiq. cap.8., eam deſcribens, non tantum lamina, ſed & corona aurea triplici ordine ducta ornatam eſſe,quo ornatu ſignificari diadema regium inſigne, poteſtatis mirificæ Philo de Profug. declarat. Mitto, (non enim eſt meum de re late, & ex profeſſo diſſerere) Brancmanes Sacerdotes, quos uti Mitra gemmis ornata teſtatur Philoſtratus in vit. Apollon. lib.2. & 3.; Summum Sacerdotem Deæ Syriæ aurea Tiara redimitum ex Luciano; coronamque auream fuiſſe etiam ornamentum capitis Pontificis Maximi Romanæ antiquæ ſuperſtitionis ex Prudentio in Romano Martyre. Habent hęc omnia latiſſimè Eccleſiaſtici ſcriptores, quos videat Lector.

83. *Venit ab appidulo &c.* Talis Philodemi patria; non civitas, non oppidum, ſed oppidulum.

83. *Laceris malè fultus &c.* Partem pro toto ponit, & ex alutis qualitatem veſtium indicat ſicuti & alutas dixit pro calceamenti, quæ ex alutis, ideſt animalium pellibus arte opificum mollitis, & purgatis confici ſolent. Accipias velim alutam pro quovis genere calceamentorum, non ad veterum Romanorum ſenſum; Hi ſiquidem ita eam intellexerunt, ut nobilibus, & patriciis tantum, non verò plebeijs tribuerent. Lunula præſertim ſuperimpoſita, & aſſuta patricios a reliquis diſtinguebat, quippe centenarium numerum per litteram C. denotabat, eo quod initio tot ſenatores tantum fuiſſent. Color autem eius ab initio niger, poſtea tamen cereus, galbeus, coccineus &c. Eiuſdem figuram apud Solerium tractat. de Pileo vidi, & ab eo mutavi, ut lectori proponerem. Cætera debes Juvenal. Saty.7. ubi legitur.



Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Hinc benè Vauchopius de Vet.prop.Rom. tract. ſect.22. ornamenta Senatoria enumerans, ait communia huic ordini fuiſſe latoſclauos, tunicam, calceos lunatos, togam prætextam, &

annu-

Græculus exuriens; neque enim conſidere amœno
85. *Littore Parthenope ſivit verſutia linguæ,*
Atque Sodalitium. Res eſt penes acta Tribuni.

Prin-

NOTÆ.

annulum. Vides igitur unde ortum adagium relatum a Junio cent.3. *In aſtragalis nobilitas*.

84. *Neque enim &c.* Videtur, quod Philodemus ab initio ſui diſceſſus a Patria propoſuerit Neapoli pedem figere, ſed minime exequi potuiſſe ex cauſis inferius recenſendis. Porrò Neapolim ipſam ſub Partenopes nomine frequentiſſime agnoſcimus, ex una Sirenum, quæ præ dolore, quod prætereuntem Ulyſſem cum ſociis in ſcopulos cantu pellicere non potuiſſet, in mare ſe præcipitavit, eoque delata eſt, ubi poſtea Neapolis condita fuit, & ex nomine Sirenæ Partenopis denominationem ſortita eſt; quam agnovit, & uſurpavit Virg. Geor.4. verſ.563.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Quoad hujus Urbis celeberrimas prærogativas ſat eſt audire Silium lib.12.

Nam molles Urbi ritus, atque hoſpita Muſis
Otia, & exemtum curis gravioribus ævi
Sirenum dedit una ſuum, & memorabile nomen
Parthenope muris Achelojas &c.

85. *Verſutia linguæ &c.* Ideſt calliditas, & ad omnia prompta, ac verſatilis lingua. Huc refer illud Cicer. 2. de Finib. *Sed omnia callidè referentem ad utilitatem, acutum, verſutum, veteratorem.*

86. *Sodalitium &c.* De hoc aliquid in prima Satyra innuimus, nec aliud fuiſſe puto illud Sodalitium, quam conventum otioſorum de rebus Philoſophicis ineptè diſſerentium ſecundum canones Lucis Univerſalis, etiam Romæ à Philodemo traditos, & explicatos.

86. *Res eſt penes acta &c.* Ferunt contra authorem Sodalitii judicio actum fuiſſe, & fortè Neapoli hac de cauſa expulſium,

86. *Tri-*

Principio ingenium, & Grajas jactare Camœnas,
Aſſumptaque toga, meritoria figere cœpit
Oſcula liminibus Procerum, ſervoque potentes
Graſ-

NOTÆ.

86. *Tribuni &c.* Pro Magiſtratu, aut Iudice. In dictione antiqui moris ſe torum ſervantiſſimum oſtendit Author; nam nulla hodie Tribunitia poteſtas; itaut & nomen ipſum evanuerit. De eorum origine, authoritate & dignitate latè differunt Lipſius de Magiſtrat. Pop. Rom. cap. 15., Volaterr. Comm. Urban. lib. 29., Floccus de poteſt. Roman. lib. 2. cap. 10., Pomponius Lætus de Magiſtrat. Roman. lib. 1. cap. 18., Janus Gulielmus de Magiſt. Pop. Rom. cap. 14., Vauchopius de Magiſt. Vet. Pop. Rom. ſect. 12. 20 & alibi, pluriminque alii, quos recenſere ſupervacuum, & fortè moleſtum.

87. *Principio ingenium &c.* Duo ab initio ſui Romam adventus jactare cœpit Philodemus, ingenium ſcilicet, & maximam linguæ Græcæ peritiam, præcipuè circà Poetarum reconditos ſenſus intelligendos, & explicandos.

87. *Et Grajas &c.* Scilicet, ut diximus, linguæ Græcæ peritiam; vel potius cepit ſuprà omnes alios authores, & præſertim ſuprà Latinos extollere Græcos Poetas, qui pluribus locis harum Satyrarum oſtenduntur apud eum eſſe in ſummo pretio, & quibuſcumque præhabiti.

88. *Aſſumptaque toga &c.* Talari, undè ſibi majorem extimationem, & decus conciliaret.

88. *Meritoria &c.* Quid meritorium explicavimus Sat. 2. verſ. 182., ubi de bellua meritoria. Senſus autem hujus loci eſt, eo adulationis ad lucrum captandum proceſſiſſe, ut procerum limina, ac inferiores partes ædium frequentando, & humilitatem erga eos oſtendendo, quaſi vili obſequio adoraret.

89. *Oſcula liminibus &c.* Veluti rebus ſacris ex jam notata adulatione: Sumptum tamen hoc videtur ex imitatione veteris ævi. Hanc venerationem ſiquidem antiqui ſuis Diis præſtabant, ut indicavimus num. 74. hujus Satyræ; Ea ſint in præſens exempla ex Catul. lib. 1. Eleg. 2.

Non ego ſi merui; dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Et

Graſſari obſequio; donec ſpe turgidus alta,
Confidenſque ſui, fortiſque oblitus avitæ,
Et patria, rheda tunicatum urgere popellum,
Invidia alterius ſenſim macreſcere famæ,
Con-

NOTÆ.

Et Arnob. lib.1. *Cum per omnia ſupplices irent templa, cum Dearum ante ora proſtrati limina ipſa converrerent oſculis*: Unde genus viliſſimæ adulationis reputatum eſt, quod præſtitit Romano Senatui Pruſias Rex teſte Livio lib. 43., de quo notat, *quod Romæ cum veniret in Curiam, ſubmiſerit ſe, & oſculo limen curiæ contigerit, & Deos ſervatores ſuos Senatum appellaverit*.

89. *Servoque potentes &c.* Quaſi ſervum domino ſubjecerit, & ejus ſervituti ſe obſtrinxerit: *O famule turpis* (inquit Lucret. lib.6.) *ſervum pecus!*

90. *Graſſari &c.* Vim hujus verbi explicavimus Sat.1.

90. *Spe turgidus &c.* Ubi nam poſuerit ſpem tantam, ſuprà ſatis indicatum eſt Sat.3.; ſicut & ejus ſors, ſeu conditio repreſentata Sat.2.

92. *Rheda &c.* Rheda videlicet, quæ, ut vidimus, mutuata erat ſibi à nobilibus Ephæbis, quibus vana oſtentatione ſuæ doctrinæ illuſerat.

92. *Tunicatum &c.* Rectè tunicam plebi tribuit, ea enim ſervorum propria fuit, reliquarumque vilium perſonarum, teſtibus Afranio apud Priſc. lib. 5., Phœdro lib. 2. Fabul., & Plaut. in Amphitr.: Imitatio autem ex Horat. loc. ſtatim indicando.

92. *Popellum &c.* Pro plebecula, ex imit: Horat. lib.1. Epiſt.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

93. *Invidia alterius &c.* Sectani verba mirificè cohærent verbis Platinæ; *neminem invenies alienæ famæ invidere, et detrahere, niſi qui omnibus probris contaminatus deſperat ſuum apud poſteros celebre nomen futurum*, necnon Livii 4.Dec. lib.5. *Nulla ingenia tam prona ad invidiam ſunt, quam eorum, qui genus, ac fortunam ſuam animis non æquant, quia virtutem, et alienum bonum oderunt.*

93. *Odiis*

Conſpuere in mores, odiis committere amicos,
Et quæ me fari prohibet reverentia. Tandem
Inventus, fatuo qui reſponſare paratus,
Caſtalio ſtolidam frontem perfudit aceto,
Atque illum ficto Philodemum nomine dixit.
Hoc notum ſatis eſt, nec nobis excidet unquam.
Scire tamen cupio, cur vilis homuncio tantum
Creverit, ut laqueos, ſyrtes, ergaſtula, fuſtes
Gar-

NOTÆ.

94. *Odiis committere &c.* Hæc Philodemi praxis convenit cum ejus dogmate, de quo fuse Sat. 1.

95. *Et quæ me fari &c.* Operatur plurima alia minime dicenda, quia fortaſſe nimis turpia.

96. *Reſponſare &c.* Frequentativum à reſpondeo, accipiturque pro *reſiſtere*; nam cibus reſponſare palato dicitur, qui duritia ſua ei reſiſtit, prout habet Horat. in præcep. Catianis.

Ne gallina malum reſponſet dura palato.

97. *Aceto &c.* Vide, quæ diximus ad illud Sat. 5. *Fervenſque in pyxide acetum.*

99. *Nec nobis excidet unquam &c.* Per translationem dictum excidere pro obliviſci, ad imitat. Virgil.

Nec dum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores
Exciderant animo. Manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis.

Ubi *non excidere animo*, & eſſe *mente repoſtum* in idem coincidunt, ſolumque dictionem, ejuſque ſenſum fortiorem, & magis exageratiuum faciunt. Concordat etiam illud Senecæ lib. 1. de Benef. cap. 1., qui ait, *comparatum eſſe à natura, ut altius injuriæ, quam merita deſcendant, et illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat.*

100. *Homuncio &c.* Juven. Sat. 5. verſ. 133. de vilibus perſonis intelligit, ajens:

Homuncio quantus.

Garcilio, Tulloque, aliiſque indicat amicis,
Tarpejaque tonet ſceptro ſublimis ab arce?
O Pe-

NOTÆ.

Et Petron. in Satyr. *Medicus, qui ſcit, quid homunciones intrà præcordia ſua habeant.*

102. *Gargilio &c.* Character hominis illuſtris ex antiquo marmore apud Grut. pag.415. num.5.

Q. GARGILIO
ARN. MACRO. AVIDINO
III. VIR. CAP. TRIB. MIL. EQ.
XCIII. QVESTVRE. TRIB. PLEB.
PRAET. PROCOS. PROV. CRETAE. CYRTV.
LICA. COLLEA. APRONALTIVMA. VXOR.

103. *Tarpejaque ab arce &c.* Scilicet e Romano ſolio, nam arx Tarpeja pro Capitolio, ubi conſtante Republica erat imperii ſedes. De arce Tarpeja ſatis Livius, ideo abſtineo, meminitque Virgil. lib.8. Æneid. verſ.652.

In ſummo cuſtos Tarpejæ Manlius arcis.
Stabat pro templo, et Capitolia celſa tenebat.

Arx igitur ſublimiorem Capitolii partem occupabat, eam ſcilicet, quæ & hodie mons Tarpejus nuncupatur e regione Palatii, quo Conſervatores Urbis conveniunt. Quoad Capitolium, conſtat tribus vicibus ædificatum, totidemque dirutum. Condidit Tarquinius Priſcus Romanorum Rex, dedicavit autem Horatius Pulvillus Conſul. Poſt quadrigentos & quindecim annos igne conſumptum Sylla poſt bella civilia, & Mariana exædificavit, dedicavit verò Q. Catulus. Iterum dirutum veteribus incendiis, & ruinis reſtituit Veſpaſianus. Tertiò incenſum, & vaſtatum à Domitiano refectum fuit magnificentius, ac elegantius, quam anteà fuiſſet; Donec Summorum Pontificum Romanorum cura in eam, quam nunc cernimus elegantiſſimam, ornatiſſimamque formam tranſiit, at longe à veteri diverſam, nec antiquo ſplendori, precioque parem, nam minime ex-

O Pete, non ne vides artem, ſatyræque colorem?

Plo-

NOTÆ.

æxæquari potuit quidquid immenſo auro, argentoque ex tot provinciis, ex tot victoriis, ex tantis triumphis Romana Reſpublica in ejus ædificationem, & ornatum illuc congeſſerat; Sed hoc paſſim Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, late Lipſius de Magnit. Rom. lib.2. Ceſſo.

103. *Tonas &c.* Ideſt imperat, & timendo imperio res moderatur, quaſi Dominus: Scoptice totum hoc dictum eſſe agnoſce; quod ſatis per ſe patet. Interim admirare Sectani artem, & elegantiam, qui imaginariam Philodemi potentiam, & dominationem exageraturus, dicit tonare ab Arce Tarpeja; Tonare etenim etiam verbis, maxime cum imperioſa, & gravia ſunt, tribuitur, imo & fulminare, ut de Pericle ait Ariſtoph. in Equit. *rumpes verba fulminea.* Unde vim hanc eloquentiæ etiam dedere Virgil. Æneid. 11, verſ. 383.

Proinde tona eloquio.

Et Ammian. Marcell. lib. 30. *Cicero orationis imperioſę fulminibus.* Sed hujus Notę ampla ſeges in libris Gentilium: Noſtros authores afferam, Hieronym. adverſ. Ruffin. *Tu videlicet flammeus, imò fulmineus, qui in loquendo fulminas*, & lib. 1. contrà Jovinian.: *Demoſthenis Philippicæ tonant*; & Prudent. in Apotheoſ. *Fulmina verbi.* Ni forſan ab altiori origine ſententiam ſuam hauſerit Sectanus noſter, & in exageratione perſiſtens voluerit indicare Philodemum ab arce Tarpeja tonare, imò & fulminare, quaſi alterum Jovem cujus templum in ipſo Capitolio eminebat, quod novum Orbis miraculum vocavit Ammian. Marcell. lib. 16, Jovi etenim fulmina, & tonitrua aſſignantur à Paetis, ut ſatis notum.

103. *Sceptro &c.* Ac ſi dominator, quia ſceptrum ſemper ad Reges pertinuit, quemadmodum firmant Pauſan. in Beoticis, loquens de Regib. Argivis, Euripid. in Hecub. de Polymneſtore, & Juſtin. lib. 43., ubi: *Per ea adhuc tempora Reges haſtas pro diademate habebant. quas σκῆπτρα dixere. Nam ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtę adduntur.*

104. *Artem, Satyręque colorem &c.* Videlicet, artificum, colo-

105. *Plorat Garcilius, fateor, doctuſque Fabullus,*
Criſpulus, & Capito; ſed vanæ ſomnia mentis
La-

NOTÆ.

colores apud Rhethores dicuntur ornamenta orationis, quæ à Græcis σχήματα, & τρόποι: faciteque ad rem Cic. ad Attil. lib 6. *Hunc omnibus à me pictum artis coloribus, ſubito deformatum non ſine magno dolore vidi;* & lib. de Clar. Orator. *Ornari orationem Greci putant, ſi verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et ſententiarum, orationiſque formis, quas vocant σχήματα.*

105. *Plorat Garcilius &c.* De Garcilio actum ſuprà hac eadem Sat. num. 102., & Sat. 3. num. 180.; de Fabullo Sat. 3. n. 182.; de Criſpulo Sat. 2. num. 183.

106. *Et Capito &c.* De Capitone dictum Sat. 3. num. 180.; Addimus ex Gruter. pag. 639. 3. lapidem, cui inſcriptum legimus.

CAPITO. ARRI. L
ARGENTARIVS
NATIONE. PANNONIVS.
ANNOS. NATVS. XXXV.
HIC. SITVS. EST.
DIOMEDES. ARRI. SERV.
POSVIT.

Neſciam an hinc character, patria, & hominis conditio con- jici poſſit, & debeat.

106. *Sed vanæ &c.* Conſonum Virgilii loco Eclog. 8. verſ. 104.

Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.

Quam formam retulit inter adagia Eraſmus chil. 2. centur. 3. cap. 90. Favent Publ. in Mimis: *Amans, quod ſuſpicatur vigilans, ſomniat.* Cic. de leg. Agrar. *Hęc per Deos immortales, utrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia viderentur?* & Artemid. lib. 4. cap. 24. πλάσσειν ὀνείρους, *fingere inſomnia.*

107. *La-*

Lachrymulis rident, & ludicra regna Bionis.
Namque Tarentino Dominatrix Lana veneno
Vix duo, vel tres ridiculos, morboque calentes
Occipitis, ſpe donorum lactavit inani.
Nunc, agè, quis Titus fuerit, molliſque Cuminus,
Telephus, & Citiſus; namſæpius iſta notavi
Nomi-

NOTÆ.

107. *Lachrymulis rident &c.* Irridenr, quamvis flere, & dolere videantur. Proximè ad Terent. in Adelph. *O Lachrymo gaudio*; & ad Petron. in Satyric. *Expectavimus lacrumas ad oſtentationem doloris paratas*.

107. *Et Ludicra &c.* Imaginariam potentiam, quam ludicram nuncupat, ideſt jocularem.

108. *Namque Tarentino &c.* Ideſt ſub ſpe magnorum præmiorum tantum illuſit duobus, vel tribus hominibus modici pretii, nulliuſque virtutis, ſed tamen vanis, & ambitioſis.

109. *Morboque calentes &c.* Ideſt inordinatè inflammatos, & vana de ſe ipſis præſumptione calentes. Occiput eſt poſterior pars capitis, ubi memoriæ ſedem conſtituunt Philoſophi. In calore autem ſupponit intemperiem, qua fit morbus reſpectu capitis, ut eſt febris reſpectu totius corporis, atque ideò hæc de cauſa Græcis πυρετὸς denominatur, quaſi à πῦρ *ignis* derivata. Metaphorica hæc Satyrici locutio, quæ ad animi, non ad corporis infirmitatem applicabilis eſt.

110. *Spe donorum lactavit &c.* Accipe hìc lactare, pro frequentativo ab antiquo verbo *lacio*, quod ſignificat per blanditias in fraudem illicere: Imitatus autem eſt noſter Author Terent. in Andria.

Nonne tibi ſatis eſſet hoc viſum ſolidum eſſe gaudium.
Niſi me lactaſſes amantem, et falſa ſpe produceres?

112. *Iſta notavi &c.* Ideſt frequenter adduxi, & ſcripſi in his Satyris ad ſenſum Plin. lib. 8. cap. 51. *Notarunt hoc annales*, pro ſcriptum eſt in Annalibus.

Nomina. Quam benè percontaris! Nomina ſunt hæc
Invitus Satyræ, qua quondam miſcuit author,
Purus ab offenſa: Quis enim traduceret illos
Sanguine Patricio natos, virtutis alumnos,
Et

NOTÆ.

115. *Purus ab offenſa &c.* Ne quidem eos in minimo offendendos reputans, adeo ut mundus ſit ab omni labe, quæ ob hoc ei impingatur.

115. *Quis enim traduceret &c.* Videlicet; quis eos aliquo dedecore notare auderet, aut poſſet, necnon de iis ſiniſtram famam ſpargeret? In hoc ſenſu vocem *traducere*, uſurparunt Martial. lib 9.

Multoque magis traduceris Apher.

Livius lib.2. *Veſtros liberos traductos per ora hominum.* Juvenal. Sat.8. verſ.1.

Squallentes traducit avos.

Petron. Arb. in Sat. *Hoc eſt ſe ipſum traducere*, nempe, *infamare.*

116. *Ordine Patritio &c.* Duplicem in iis prærogativam agnoſcit, ſanguinis, & familiæ celebritatem, & virtutem. Primam expoſuit, per illud, *Ordine Patricio*, nam Patricios antiqui Romani nuncupavere illos, qui à priſcis Patribus, ſeu Senatoribus Romanæ Reipublicæ originem duxerunt; Teſtatur ſiquidem Livius lib.1. Romulum centum creaſſe Senatores, qui Patres ab honore; patritii quoque eorum progenies appellati. Lege, ſi lubet, Vauchopium de vet. Pop. Rom. ſect.7., ubi rem latè tractat ex Livio, Dionyſ., Plutarch., & Sueton.. Aliter de Patriciatu dicendum, quatenus dignitas fuit; meminit ejuſdem Baron. ad ann.337., refertque dignitatis Patriciatus authorem fuiſſe Conſtantinum Magnum, atque hanc plurimis, inſignibuſque auctam privilegiis, tantam fuiſſe, ut ex lege ab eodem Imperatore edita hujuſmodi Patricii ſuprà ipſos Præfectos Prætorio aſſiderent, & non tam ea dignitas Conſulatu, quam Conſulatus ea illuſtraretur; nec jam ut olim Patricii appel-

Et quos laudaret livor quoque! Sed nimis arctâ
Compede devincti fuerant, Calabroque ſavebant;
Neve diù ramoſa lues hæreret Ephœbis,
Hæc data mordaci ſpumantia pocula ſucco
Ægro-

NOTÆ.

appellarentur à Patribus, qui & Senatores erant, ſed quod dicerentur Patres Imperatoris, haberentque pro inſignibus Clamydem, cingulum, calceos pictos, & ſellam ſublimem. Ita citatus author, qui in veritatis teſtes producit leg. 2. & 3. Cod. de Conſul. lib. 11., leg. ult. eod.; Caſſiod. 6. Varior. 2., & lib. 8. epiſt. 9. 10. 11.

116. *Virtutis alumnos &c.* Moribus præſtantes, & ſcientiarum cultores, amatoreſque.

118. *Compede devincti &c.* Ligati, & conſtricti arctiſſimo (fas ita dicere) obſequii, & exiſtimationis vinculo, quod benè per translationem compes dictus eſt, à compede propriè ſumpto, nempe ab eo vinculi genere, quo carceratorum pedes conſtringuntur. Metaphora hac uſus eſt etiam Cic. ad Attic. lib. 8. *Agè jam has compedes, faſces, inquam, hos laureatos referre ex Italia, quam moleſtum eſt.*

119. *Neve diù ramoſa lues &c.* Quia ſe diffundit, ut faciunt rami in arboribus; Hinc ſimilem dicendi formulam aſſumpſit Virgilius Eclog. 7. verſ. 30. de cornibus cervorum agens:

Ramoſa cornua cervi.

Hominis manus eadem metaphora illuſtrat Alcim. Avit. lib. 1. de mund. origine.

Ramoſas poſt brachia fortia palmas.

Et Gaza humanas venas, nam ſæpe vertit in Ariſtotele, eas in ramos ſpargi.

119. *Hæreret Ephœbis &c.* Arcte inſideret, & quaſi infixa eſſet, ut de telis, ſagittiſque Livius lib. 2. *Cum in ſcuto tela hæſiſſent.*

120. *Hæc data &c.* Veluti malo perniciosiſſimo ſaluberri-

 mum

Ægrotis animis, placuitque ſalubris amaror:
Nam ſenſim pueri Titus, Citiſuſque Bionis
Nudavere latus, nec ſordida verbula curat
Telephus, & fœdum ridet Teleſinus amantem:
Ipſe etiam Rullus, nuper qui creverat arte
Lau-

Notæ.

mum antidotum. Nota hic poculum ſumi pro ipſa potione ex imit. Virgil. Georg.2.

Pocula ſi quando ſęvę infecere novercę.

120. *Mordaci ſucco &c.* Quo malum creſcens, ac putre curaretur per curam, quæ humores peſtiferos ſua mordacitate expellere, & extrahere valeret.

121. *Ægrotis animis &c.* Æger tam de corpore, quam de animo prædicatur: At ægrotus proprie de corpore: Ad animum tamen tranſtulit Terent. in Andria, nec eſt idcircò reprehendendus Sectanus, qui optimæ Notæ Authori adhæſit.

121. *Salubris amaror &c.* Qui licet inſuavis, & aſper, tamen ſaluti prodeſt, ut plerumque obtingit in medicamentorum uſu, quæ arte Pharmacopolarum parata ex Medici juſſu nauſeam movent, & palato diſplicent.

123. *Nudavere latus &c.* Hæc illuſtribus Ephœbis orta ex his Satyris utilitas, quod ipſam luem ſenſim ex ſe ipſis depellerent, abſtinendo à Philodemi conſuetudine, diciturque, quod ejus latus nudaverint, nempe quod ipſius ſocietatem non amplius frequentent: A contrario ſenſu in Juven. imit. Satyr.3. verſ.131. Sectanum perſtitiſſe puto, qui habet latus claudere, pro comitari à latere.

Divitis heic ſervi claudit latus ingenuorum
Filius.

125. *Ipſe etiam Rullus &c.* A Philodemo ad Rullum ejus fidiſſimum, primique ordinis miniſtrum tranſit Satyricus, & brevis ejus hiſtoriam texit: De eo egimus Saty. 3.4., & planè decet ejuſdem plurimam fieri, frequentemque memoriam poſt Philodemum, nam & primus apud eum fuit, & quaſi mercede conductus per omnia ejus verba juraverat, ſeque ei addixerat.

125. *Qui*

Laudandi, repetit poſitas in fœnore laudes,
Et puduit dixiſſe: huic par non tota videbit
Europa ingenium, nec Phœbus vidit uterque.

Cra-

Notæ.

125. *Qui creverat arte &c.* Ars laudandi hoc loco alia non eſt, quam quæ alibi in his Satyris indicata eſt: ſcilicet aut immodica adulatio, aut quæ artificio inter comites de ſodalitio viciſſim commodabatur, ut plauſum captarent. In hac igitur, quo quo modo ſumpta, præſtantiſſimum Rullum ſub Philodemi diſciplina refert Author.

126. *Repetit etc.* Palinodiam recantando, negandoque eſſe veras, debitaſque laudes, quibus jam in præteritum eum proſequutus fuerat.

126. *Poſitas in fœnore laudes etc.* Mutuatas videlicet, ad hoc tantùm, ut aliàs à Philodemo aſſequeretur: Fœnus eſt idem, quod uſura, quæ licet de pecunia dicatur, ad alia etiam transfertur, cùm aliquid agitur, ex quo ſperetur fructus, ſi non argenti, ſaltem famæ, gloriæ &c. Hinc de Rullo, quod poſuerit laudes Philodemi in fenore, ideſt ad uſuram ei dederit, ut indè centuplum reciperet,

127. *Et puduit dixiſſe etc.* Ex mendacii erubeſcentia.

127. *Huic par non tota etc.* Ipſiſſimi Rulli conceptus, & ſermones, quibus Philodemi laudes proſequebatur.

128. *Nec Phœbus vidit uterque etc.* Videtur proceſſiſſe ex imitatione Petron. Arbitr. in Saty.

Qua mare, qua terræ, qua ſydus currit utrumque.

Utrumque Phœbum intelligit Solem, & Lunam, quorum primus creatus fuit, ut diei præeſſet, altera ut nocti, ambo ut mundum circuirent, & illuminarent: Solem dixere veteres Phœbum, à φοῖβος *purus*, & *ſplendidus*, Lunam etiam Phœben ab eodem Themate. Affero exempla. Manil. lib. 1. vocat *Dominam Phœben*; Virgil. Æneid. verſ. 215.

Almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulſabat Olympum.

Et

Et E. nat. vetus Poeta lib.1. de rer. nat. apud Macrob. lib. 6. Saturn. cap.5.

Roſcida noctivagis aſtris labentibus Phœbe
Pulſa ceſſit.

Adde nominis conformitatem juvaſſe, quod hæc ſoror Solis cenſeretur teſtante Stat. lib.8.

Soror ignea Phœbi.

At cur Phębus uterque, nam Solem maſculum, Lunam fœminam habent Scriptores, & nomina indicant. Sectanum græcizare dic; Græci ſiquidem virilem nomenclaturam Lunæ dedere, quod docent Tertull. in Apolog., ubi meminit cujuſdam fabulę hanc inſcriptionem habentis, *maſculam Lunam*. Orphæus in Hymno ad Lunam, *et fœmina, et mas*. Et Spartian. in Caracall. ſcribit, apud Carrhos, qui Lunam fœmineo genere enunciaret, hunc addictum mulieribus ſemper inſervire, qui verò Lunam marem eſſe crederet, hunc dominaturum uxori, neque paſſurum ullas inſidias muliebres. En ex quo fonte, ut cenſemus, hauſerit dictionem hujuſcemodi Satyricus. En etiam hujus loci aptam intelligentiam: Neque enim putamus alluſiſſe ad errorem Ethnicorum, qui cenſuerunt duplicem eſſe Solem, ſcilicet, & qui mundum hunc illuſtrat, & qui Elyſios illuminat. Pæa fuit huic ſententiæ ex Philoſophis Plato in Phędone, inquiens: *Solem quoque, et Lunam, et aſtra ab illis, qualia re vera ſunt, videri; atque aliam his rebus congruam beatitudinem*, quem ſecutus Plutarch., qui conſtituit in his locis *ingentia aſtra*: Ex Poetis Pindarus, qui habet. *Lucet his vigor Solis*. In Latinos opinio tranſiit, profeſſique eam ſunt Virgil. 6. Æneid. verſ. 638. ubi de Elyſiis,

Devenere locos lętos, & amęna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, Solemque ſuum ſua ſydera norunt.

Et Claudian. rapt. 2.

Amiſſum ne crede diem, ſunt altera nobis
Sydera, ſunt orbes alii, lumenque videbis
Purius, Elyſioſque magis mirabere campos
Cultoreſque pios &c.

128. *Vi-*

Cratine, parce prècor, qui Rullus vinitor? Obè
Rul-

NOTÆ.

128. *Vidit &c.* Viſus, qui oculorum proprius, ad elegantiam locutionis mataphoricè etiam rebus inanimatis tribuitur, quod & in uſu noſtro frequentiſſimum eſt. At jam de Sole, ne tantillum à recta abeamus: Ordior à Græcis; Sophocl. in Ajace:

At tù per altum qui regis currum æthera
Aurate Sol, patriam ubi conſpicis
Meam, aurea paulìſper lora reprime

Et in Colon. *Sol omnia videns*. Heſiodus. *Sol Jovis oculus* Piſidas.

Communem oculum, pervidentem omnia

Theodectes apud Stob. ſerm.8.

O qui pulchrè ſplendentem lampada verſans flammeam
Sol omnibus mortalibus ſydus optatum,
Vidiſti?

Et tandem notus Homeri verſus.

Sol qui omnia cernis, omnia audis.

Tranſeo ad Latinos. Virgil. Æneid.4.

Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras.

Ennius in Medea.

Juppiter tùque adeò ſumme Sol
Qui res omnes inſpicis,
Quique tuo lumine
Mare, terram, ac cœlum
Contueris: hoc facinus diſpice,
Prius quam fit, prohibe ſcelus.

Et Senec. in Medea.

Spectat hoc noſtri ſator
Sol generis.

Demum ſcias volo in dicendi elegantia à Sectano imitatos fuiſſe veteres Scriptores, non verò in ſententia, qua ex doctrina Platonis apud Laert. cenſuerunt Solem eſſe animatum corpus, & quibuſcumque vitalibus actionibus pollere, inter quæ viſus, ſenſus &c. ſunt.

129. *Parce precor &c.* Petus optimè educatus adoleſcens, & ad

130. *Rullus erat Medicus, Mimus, Cãtator, Aliptes,*
Amens præſertim, fruſtrà cui tota nataret
Anticyra in cyathis. Hic dum favet uſque Bioni
Per-

NOTÆ.

& ad leges urbanitatis efformatus, priuſquam magiſtri ſermonem interrumpat, veniam petit.

129. *Qui Rullus vinitor &c.* Quia de vindemia ineptè cantavit.

129. *Obè &c.* Interjectio exclamantis, quæ jubet modum imponere. Ea uſus eſt Martial. lib. 4.

Obè, jam ſatis eſt, obè libelle.

Græcis dicitur ὢ ἅλις, ò ſatis.

130. *Rullus erat &c.* Explicat Rulli prærogativas, quod medicinam, mimicam, muſicam, & chirurgiam calleret, aut ſaltem noviſſe fingeret ſcopticè, & jocosè dictum. Sibi autem imitandum poſuiſſe videtùr Juvenal. Saty. 3. verſ. 74.

Ede quidillum
Eſſe putes? quamvis hominem ſecum attulit ad nos,
Grammaticus, Rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, ſchenobates, medicus, magus; omnia novit.

131. *Aliptes &c.* Non ignoramus aliptem propriè eſſe unctorem paleſtritarum in Gymnaſio, vocemque ipſam græcam ἀλείπτην hoc tantùm connotare, & in hoc ſenſu apud Latinos Latinam factam. At cum & Paleſtritæ, & conſequenter eorum unctiones ceſſaverint, vocem ipſam commodè interpratandam judicavimus, ac ſi Chirurgum ſonaret; nam Chirurgus frequentiſſimè unctionibus utitur, ſive ad vulnera, ſive ad alias infirmitates, quæ hac arte juvantur ab ejuſdem profeſſoribus.

132. *Amens &c.* Sed prærogativa major, qua à ceteris diſtinguere tur, & inter reliquas artes, quas optimè callebat, erat amentia, & ſtultitia. Forſan ad aliorum diſtinctionem ſtultum, amentemque per excellentiam dictum eum vult noſter Satyricus, ut Plato Philoſophorum Princeps, & ſic alii in aliqua arte excellentes antonomaſticè prædicuntur.

132. *Fruſtra cui tota &c.* Antyciram pro Elleboro poſuit; addit totam, ut inſaniæ vehementiam notet. Elleboro cerebri

pur-

Perdidit unciolam cerebri, comitemque ſequutus
Per juga Parnaſſi, pecudes, hircoſque piloſos
Heroas fecit, muſtoque madentia labra,
Et tribus amiſſis luxit ſine fine capellis.
Hoc tibi ſufficiat. Nunc ſi quid forte videtur
Obſcurum, fare impiger, & te prætereat nil.

Sunt

NOTÆ.

purgandi vim tribuunt Medici. Imitandum ſumpſit Perſ. Saty.4. verſ 16.

Anticyras melius ſorbere meracas.

Et Juven. Saty.13. verſ.97.

Si non eget Antycira.

Et Ovid. lib.4. de Ponto.

Purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Antycira.

Undè quoties inſanum hominem ſignificare volumus, Antycira egere dicimus, præeunte Horat.

Tribus Antyciris caput inſanabile.

Errat Schrevelius, qui in Notis ad locum Juven. proximè adductum Antyciram Inſulam ponit in Phocide, cum ibi ſit tantum hujus nominis Civitas, nam Inſulam, in qua maxima Ellebori copia naſcitur, adjacens eſt ad ſinum Maleaeum, teſte Strab. lib.9.

133. *Perdidit unciolam cerebri &c.* Unciolam tantùm, non ſemilibram, aut libram: Sed ſemper ſatis amittit, qui amittit totum, quod poſſidet.

133. *Comitemque ſequutus &c.* Ejus lateri inhærens, tamquam diſcipulus.

134. *Pecudes &c.* Cecinit ſolùm de pecudibus, & hircis, quos ſibi, ſuiſque carminibus tanquam heroas aſſiduè propoſuit celebrandos; ſicut etiam per plures vices de vindemia cantiunculas edidit.

136. *Et tribus amiſſis &c.* Intelligit de neſcio quà ridicula ſtropha, cui carmen continuum intercalare illud fuit.

Trè bianche pecore abi ch'Lò perdute.

137. *Nunc*

Sunt equidem nonnulla quibus malè tutus, & anceps
Detineor. Quarè Baccon, & ſcripta Lucreti,
Pindarus, atque alii culpantur, quos mihi doctus
Orbilius, lapſo nuper laudaverat anno
Authores? Nimis alta petis, nec viribus iſtis
Apta tuis, ſtudioſe puer; ſed, ſi juvat, audi
Quæ referam. Multos olim Philodemus amicos
Excoluit, vilemque omnem demiſit ad uſum
Servile ingenium, ut caperet ſibi, quos ſore lucro
Cre-

Notæ.

137. *Nunc ſi quid &c.* Timentem ulterius interrogare de rebus dubiis, & intellectu difficilioribus animum adiicit.

139. *Sunt equidem &c.* Fatetur Petus adhuc ſibi plurima ſupereſſe dubia, de quibus certiorari cupit.

140. *Quare Baccon &c.* Curioſius igitur inſtat, petitque cauſam, quare tantùm à Sectano culpentur Baccon, Lucretius, Pindarus, necnon omnes penè Græci authores, qui plurimum commendandi ſunt ob eorum excellentiam, & famam perennem, quam adepti ſunt inter eruditos.

142. *Orbilius &c.* Nomen illuſtris Grammatici, cujus vitam texuit Svetonius tract. de Illuſtr. Grammat., referens patria Beneventanum fuiſſe, ac Horatii in pueritia præceptorem; Hunc ob nimiam in pueros ſævitiam idem Horat. lib.2. Epiſt. *Plagoſum* vocavit.

143. *Nimis alta petis &c.* Quia altiori indagine opus eſt ad hæc tibi tradenda, quæ forſan ingenio, ac puerili intelligentiæ parùm adæquantur.

144. *Sed, ſi juvat, audi &c.* Tamen totum hoc, de quo interrogatur, narrare ſe paratum oſtendit.

145. *Multos &c.* De adulatione, vilique in amicos Philodemi obſequio dictum eſt ſupra non in uno loco; non repeto,

147. *Ut caperet &c.* Reſpondet doctrinæ Philodemicæ,

quam

Credidit. Hos inter famam meruiſſe Poetæ
Nil magis optavit; ſed natus Apolline lævo,
Mancos verſiculos ægrè, nugaſque recentes
Vendebat populo, quamvis membrana libellum
Diſco-

NOTÆ.

quam inter præcepta vitæ civilis tradit, apud Sectanum Saty. 1. verſ 119. & ſeqq.

148. *Hos inter &c.* Notat ab initio ſui Romam adventus, totum ſe Philodemum intendiſſe, ut optimus, & præclarus Poeta crederetur, indeque nomen, & famam aucuparet.

149. *Sed natus Apolline lævo &c.* Ideſt, ſed quia Apollo Poetarum præſes ei non favit, idcircò nil, niſi nugas, inconditaque carmina ſcripſit. Porrò Apollinem lævum dixit, pro inauſpicato, & infelice: Videtur ſibi imitandum propoſuiſſe Virgil. Eclog. 1.

Si mens non læva fuiſſet.

& 4. Georg. verſ. 7.

In tenui labor, ac tenuis non gloria, ſi quem
Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.

& reſpexiſſe Græcorum doctrinam, qui (ut notat Germanus) κακοὺς, & σκαιοὺς agnoſcunt *malos, et ſiniſtros Deos*, ſicuti ἀγαθοὺς *bonos*.

150. *Mancos verſiculos &c.* Videtur reſpicere ſtrophas illas, ubi Pan Deus ex antro trahebatur, & in ſcenam Virgo catenis vincta educebatur, de quibus Saty. 3. verſ. 108. & ſeqq.

152. *Quamvis membrana etc.* Malè igitur aſſumptum opus ſucceſſit, nec profuit ejus famæ, gloriæque ipſius libri decor, quo ſplendebat conſtrictus diſcoloribus, & pumicatis tabulis. Si vetuſtum morem eruere velimus, librorum culturam, & elegantiam habes paulò ante ad num. 67. hujus Satyræ: Verùm etſi huic loco eadem ſufficerent, (nam utrobique de tabellis, quibus liber tegitur, & conſtringitur, agitur), ſubdere tamen placuit, quod tunc, cùm voluminum uſus invaluit, & circa teretem ſurculum, ſeu is ligneus, ſeu eburneus, aliæque pretioſioris materiæ foret, convolvebantur, ad luxum bicolor

mem-

Diſcolor, & multus celebraret carmina pumex:
Quid faceret? Chartas cœpit laudare Pelaſgas,
Ranciduloſque ſonos, atque exemplaria Græca
Præ-

NOTÆ.

membrana adhibita fuit, bicolorque nuncupata, quod pars altera, ſeu facies averſa, & exterior membranæ lutea, vel purpurea eſſet, glutinata, candidaque interior, ubi ſcribebatur; Atque hoc clarè reſultat ex Tibull. lib.3. Eleg.1., ſcribens.

Lutea, ſed niveum involvat membrana libellum.

Favent Perſ. Saty.3., apud quem *membrana bicolor*. Martial. lib.11. Epig.5.

Et jam purpureis dat tertia nomina faſtis.

Noſterque Hierony. Prol. in Job., *membranis purpureis*.

152. *Multus pumex etc.* Pumice antiquitus expoliebantur libri, inde liber eleganter ornatus pumicati nomen ſortitus eſt: De veteri more teſtantur Catull. carm.1.

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?

Tibull. lib.3. Eleg.1.

Pumex et canas tondeat ante comas.

& Plin. lib.3. cap.21. *Sed et ii pumices, qui ſunt in uſu corporum fœminis, jam quidem et viris, atque libris, laudatiſſimi ſunt in Melo, Sciro, Aeoliis Inſulis. Protiu in candore, in minimo pondere, et ut quam maximè ſpongioſi, aridique ſint, ac teri faciles, nec arenoſi in frigando.* Quippe ſive tunc ſcriberetur in papyro, ſive in corticibus, ſive in membranis, pumex admodum utilis erat ad levigandum quidquid ſeu villoſum, & ſcabrum, ſeu minus molle in iis ſupererat, & prominebat.

153. *Quid faceret etc.* Re infeliciter geſta, ad novum effugium ſe contulit, ad laudandos ſcilicet Græcos authores, eoſque Latinis, imo & quibuſcumque, qui minimè græcizarent, præferendos; nam ex ignorantia linguæ, qualis apud amicos, & nobiles Ephebos, quos colebat, ſperavit ſibi utilitatem, & gloriam derivari poſſe, quas ex Poeſi non aſſecutus fuerat.

155. *Præ-*

Prædicat è Cœlo delapſa, & mente proterva,
Quod magis ignorat, ſolus vult ſcire videri;
Hinc ardet Titus, Citiſuſque docente Bione
Non intellecto feſtinat baſia Homero;

Hinc

Notæ.

155. *Prædicat è cœlo delapſa etc.* Velut divino oraculo dictata: aut verè à Cœlo terris immiſſa; nam cum alicui rei cupiebant Ethnici maximam venerationem conciliare, eam è cœlo lapſam effingebant: Uti de Ancilibus Romani, de Palladio Trojani, & ſimilia.

155. *Et mente proterva etc.* Bene Satyricus ad mentis proterviam refert oſtentationem ſcientię alicujus artis, quam ignoramus, ita de Philodemo, quem Sectanus dicit neſcire linguam grecam, in qua peritus vult apparere, licet primis tantùm labris guſtaverit, ut cæteris fucum faciat.

157. *Hinc ardet etc.* Hinc in tanto pretio, & in tanta extimatione nobilibus pueris Homerus, Pindarus: additur etiam Lucretius, qui ut ſodalitio, (quemadmodum aliqui ferunt ob athomorum doctrinam ibi aſſertam) favorabilis, plurimi à Philodemo habetur.

158. *Non intellecto etc.* Sicut ſolent fœminæ, & indocti reſpectu Pſalmorum, & hujuſcemodi Divinorum canticorum, quæ etſi non intelligant, recitant tamen, venerantur, & oſculantur, quia ſciunt ad Dei laudem pertinere: In hoc tamen differunt, quod hi utiliter, & piè faciant, illi tempus terant incaſſum, nihil proficiant, &, ut in tenebris perpetuò vivant, fugiunt Solem.

158. *Feſtinat baſia &c.* Vel ex amore, vel ex veneratione: Ad utrumque ſenſum verba referri poſſunt, nam oſculamur, & quæ nobis chara ſunt, & quæ veneranda, ac etiam adoranda. Notiſſima hæc ſunt, & in noſtra praxi: Aliquid tamen ex antiquitate eruere non pigebit. Mittimus oſcula, quæ honeſtati repugnant, quæ Suavia Grammaticis: De his nobis ſermo nullus erit, nam baſia appoſitè poſuit Author, quæ docente Donato Pudicorum ſunt, puta Patris, & filii, ut omnis ceſſaret æqui-

Hinc ſacer eſt factus Charino Pindarus, atque
160. *Sola tenet pluteum Pedonis imago Lucretj.*
Dori-

NOTÆ.

vocatio. Nos tamen non ineptè confundemus cum oſculis,qui officii ſunt, cum redeuntes è longinquo ſalutamus, atque oſculamur. Ambo pudica, & caſta, ambo promiſcuè ſæpiſſimè ab Authoribus ſumpta. Humana proſequor, & variè vulgò uſurpata agnoſco; Primò in facie frequentiſſima; 2. oſculabantur, & manus, ſed non tamen niſi potentiorum; 3. denique genua, imò & pedes: Ad ſacra tranſeo, & religioſa; tripliciter enim in Deorum cultu adhibita fuere: nam, aut os iis venerabundi oſculabantur, aut manus, aut pedes: imò, & magis ſuperſtitiosè plerumque ore prophano Deos ipſos tangere verentes Ethnici, eminus ſtantes, & manum porrigentes, eam ſtatim verenter ad os ſuum referebant, & ſuaviabantur; qui habitus receptiſſimus, & velut ſolemnis adorantium fuit. A teſtimoniis abſtineo, nam latam eorum ſegetem affert Lipſius Elector. lib. 2. cap.6.. Parcat lector ſi nimis in anguſto me continui; Venus autem (ut verbis utar Lipſii) iraſcatur quidem, *quia oſcula ejus inſuavia deſpexi, et officioſa tantum tetigi. Quid ad me? Gratiæ tantum, lepos, et jocus comites ipſius Deæ propitii mihi ſint, nunquam ipſa.*

159. *Hinc Sacer eſt factus etc.* Et hoc ad venerationem pertinet, nam quicquid religione conſecratum, venerabile eſt: Hinc ædes ſacræ, ſacra templa, imagines ſacræ &c. paſſim apud ſcriptores.

160. *Sola tenet pluteum etc.* Plutei varia ſignificatio: Siſto in ea, quæ hujus loci eſt, cui convenit, ſive is intelligatur de repoſitoriis librorum, de quo Juven. Saty.2.

Et jubet Archetypos pluteum ſervare Cleanthas;

Sivè de tabula, qua utuntur ii, qui aliquid meditantur, aut conſcribunt, ut habet idem Auctor Saty. prima.

Nec pluteum cædit.

Pluteos, & alia in Bibliotecis collocat Sidon. lib. 11. epiſt.9. *Hic libri affatim in promptu. Videre te crederes, aut Grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria extructa bibliopolarum.*

larum. Forte Sectanus ſub voce plutei hæc omnia comprehendit, partemque bibliothecæ Pedonis, pro tota eleganter dixit.

160. *Imago Lucreti etc.* Precipuus Bibliothecarum ornatus erant imagines, & ſtatuæ Doctorum, quas unà cum libris diſponebant. Unicum teſtem dò Plinium, alios mitto, ne longior, & moleſtior ſim ea repetendo, quæ eruditiſſimè, & dilucidè explicavit Lipſius de Biblioth. cap. 10. Plinius igitur lib. 35. cap. 2. ità tradidit. *Non eſt prætereundum, et novitium: ſiquidem non ſolum ex auro, argentove, aut certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis loquuntur; quinimò etiam quæ non ſunt, finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus.* Hodie veteris hujuſcemodi modis quandam umbram ſervatam aſpicimus in Biblioteca Vaticana Sixti Quinti Pontif. Maximi juſſu ad eam, quam videmus amplitudinem, elegantiam, & decorem ædificatam; Pictas enim ibi videre eſt in parietibus imagines plurimorum inſignium virorum, quibus aut iuventio, aut eminentia in aliqua ex ſcientiis, aut artibus tribuitur, ſuperpoſitas ipſis armāriis, quibus libri reconduntur. Meritò hanc Bibliothecam omnibus aliis non tantùm, quæ Romæ, ſed extra Italiam viſuntur prætuleris, quoniam ſi librorum tam impreſſorum, quàm manuſcriptorum numerum, ſi vetuſtatem, & raritatem, ſi excellentiam conſideres, fidem ipſam ſuperabis. Præcipuè verò optimum ejuſdem regimen ab exteris ſine admiratione præteriri non poteſt; cùm videant Henricum Noriſium Cardinalem ampliſſimum, & de tota litteraria Republica optimè meritum tanto muneri præeſſe; illiuſque virtuti omni laude majori eruditorum gaudio demandatam nuper Provinciam gratulentur. Adſunt denique ſcriptores omnium ferè linguarum peritiſſimi; primuſq; Bibliothecæ Præfectus Laurentius Zaccagna tum latina, tum græca eruditione uberrimè inſtructus, cujus opera in lucem edita ſatis ejus excellentiam, virtutemque teſtantur: Verùm ſi Vaticani fines paulum egredi placuerit, aliud antiqui hujus moris exemplar tibi dabit celeberrima Laurentiana Bibliotheca, regio plane ſumptu à Sereniſſimis Medicæis Principibus Florentiæ comparata. Ibi præter plurium veterum Authorum imagines depictas, aliud recens miraculum mihi viſere contigit, Antonium ſcilicet Magliabechum Sereniſſimi Magni Ducis Bibliothecarium (eo enim duce Bibliothecam hanc pluribus

Doricus ille ſonat, quidam vult Cecropis eſſe,
Alter

NOTÆ.

ab hinc annis ingreſſus fui) cujus virtus, ac merita Tranſalpinis omnibus, noſtriſque effuſo calamo celebrantur.

160. *Pedonis etc.* Pedo Albinovanus Poeta fuit Epigrammatum ſcriptor, qui ſub Auguſto Cæſare floruit, & uſque ad Neronis tempora pervenit. Forſan hic character hominis eſt; ni potius à græco παῖς, *Juvenis, adoleſcens, et puer* deducas; vel à παιδιὰ, *nugæ, et jocus*, quod ſcilicet nugis, & jocis delectetur, quales agunt pueri, & decent pueritiam, quæ ſimiliter variato tantùm accentu παιδία denominata.

161. *Doricus ille etc.* Ideſt, alii complures ſcrupuloſo cuidam linguæ græcæ ſtudio incumbunt, & de præſtantia dialectorum ejuſdem linguæ contendunt; quiſque ſibi, propriæque ſententiæ indulgens: Nam ille Atticæ, alius Jonicę, alter Doricę &c. dialecto adhærebat. Quamvis enim apud Grecos una, eademque omnium eſſet lingua, ſuos tamen modos loquendi, ſuas notas, & differentias, ſuaſque proprietates, & affectiones, ſive eę eſſent in ſola pronunciatione, ſive in verbis integris, ſive in ſyntaxi, & conſtructione, habebant; quod ipſum hodie in quavis lingua evenire videmus. Quatuor autem Principes præ cæteris maximè inter has dialectos erant; Dorica, Æolica, Jonica; & Attica. Poſtrema ex his Principatum ſupra reliquas tenuit, & in ea locuti ſunt, & ſcripſere Demoſthenes, & Ariſtophanes. Tres aliæ etiam ſuas prærogativas habuere: Celebravere ſuis ſcriptis, & ad poſteros tranſmiſere Doricam Dialectum Theocritus, Pindarus, & Pythagorei Philoſophi, quorum fragmenta apud Laertium, & Stobęum extant. Jonicam Hippocrates, & Herodotus illuſtravere. Æolicam hic, atque illinc inſperſerunt, prout occaſio, & lex carminis exigebat.

161. *Cecropis &c.* Atticam Dialectum connotat, indicatque eam Athenis viguiſſe; Athenæ autem ſunt in Attica, atque ſub nomine Cecropis exponuntur, quoniam Cecrops ibi primus regnavit, arcemque condidit, quæ Cecropia nuncupata eſt teſte

Alter aquæ nunquam, ſed fluctus diſcit aquai:
Scilicet has nebulas miſeris Philodemus ocellis
Effu-

NOTÆ.

teſte Plin. lib.7. cap.56. Favet Virgil. lib.4. Georg.

Cecropias innatus apes amor urget habendi.

Æneid. 6. verſ.21.

Tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi.

Et verſ.270. lib.4. Georg.

Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea

Ubi vide mel, & thymum optimos, & celebratiſſimos, qui in Attica naſcuntur, Cecropidaſque dictos ipſos Athenienſes.

162. *Alter aquæ &c.* Alludit ad veterem pronunciandi inter Latinos modum, de quo maxima, ſed tamen inanis, & fruſtratoria, inutiliſque contentio. Totam controverſiam ſupponit exhibendo exemplum diphtongi; an ſcilicet ejuſdem recta pronunciatio fieri debeat, ipſum contrahendo juxta modernam conſuetudinem, an verò dilatando, ut autumat factum fuiſſe a Priſcis Romanis. Hanc quæſtionem tractavit Lipſius de rectà pronunciat. Latinę linguę poſt Scaligerum. Habemus pronunciationis hujuſcemodi duplicem exemplum apud Virg. Æneid.3. verſ.354.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

& 9. ejuſd. verſ.26.

Dives equis, dives pictai veſtis, et auri.

Habet & Lucretius aquai, patriai, & ſimilia; Fauent, & plurima marmora apud Gruterum: Sed minimè immorandum cenſeo in re duriuſcula, a noſtra pronunciatione penitus remota, & a pluribus ſęculis obſoleta.

163. *Scilicet has nebulas &c.* Hanc caliginem ſcilicet eorum menti offundant, qua minimè videant errorem, in quem, te procurante, labuntur. Imitationem duxit ex Silio lib. 6. ubi legitur.

Nebula erroris.

Apule. 1. Florid.

Ab oculis nebulam caliginis removit Minerva.

Effudit, doctumque aliorum inſcitia fecit.
Artibus his recto deduxit tramite mentes
Subdolus, & longo muſcas captare labore
Edocuit. Teſtis Labeo, qui ſub duce tanto
Aerium virtutis iter, ſumumque ſecutus
Grajo-

NOTÆ.

Et Virg. 2. Æneid. verſ. 604. ubi nubes pro nebula.

Aſpice, namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Joan. etiam Damaſc. orat. de Transfig., id quod menti offundi ſolet, νέφος vocat.

164. *Et doctum &c.* Videlicèt: aliorum imperitia in Græcis litteris effecit, ut doctus videreris, nam oppoſita juxtà ſepoſita magis eluceſcunt.

165. *Artibus his &c.* Nempe fraudibus, & *dolis inſtructus* (ut ait Virgil. 2. Æneid.) & *arte Pelaſga.*

165. *Recto deduxit &c.* A recta via aberrare coegit, & in invia, & præcipitoſa labi.

165. *Mentes &c.* Tot illuſtrium puerorum ingenia, quæ maxima de ſe promiſerant, ni cæco, & vafro duce ducti fuiſſent.

166, *Et longo Muſcas &c.* Muſcas pro re inani, & nullius pretii ponit, unde laborem improbat in talibus conquirendis, qualem damnatum legimus in Domitiano apud Sueton., qui Muſcis ſtylo ferreo configendis quolibet die plures horas inaniter abſumebat.

167. *Teſtis Labeo &c.* Exempla profert: Prior Labeo adducitur, quem narrat iuriſprudentiæ, & legum grauiſſimis ſtudiis relictis, ſe ejuſdem Philodemi conſilio totum dediſſe Græcizando.

168. *Aerium &c.* De re nugatoria prædicat ex imitat. Xenoph. lib. 5. Memorabilium, qui habet ἀερομετρεῖν, *aerem metiri* de eo, quod nugatorium eſt, & inane; Simile & illud Senec.

lib. 1.

Grajorum, de Cauſidico, juriſque perito
170. *Græculus eſt factus ſolas & quærere Kappas*
Nititur, & Gammas, Jotaque ſeneſcit in una.
Indo-

NOTÆ.

lib. 1. de ira cap. 1. *Taurorum cornua jactantur in vacuum*; alluſumque ab Apoſtolo, nam inanem explicans conatum, ait, ἀέρα δέρων, *aerem cedens*.

168 *Fumumque ſecutus &c.* Translatè accipitur pro ſplendidis, & magnificis pollicitationibus, quæ ſuo tamen carent effectu. Hinc vendere fumos, pro ſimulatam apud Principem gratiam pretio vendere, dixit Martialis: Non ſecus Philodemus, cui ex Authorum Græcorum ſtudio maximam gloriam, & famam, & forſan mercedem ſibi obſequentibus propoſuiſſe debuerat. Sed hujus loci is genuinus ſenſus eſſe videtur, ut fumum admittamus in ſenſu ſuperius expoſito, videlicet de re inani, & vana; cui explicationi favent Lamprid. in vita Severi: ubi *fumi venditor fumo punitur*: Sic apud Ariſtoph. in Ranis Philocleon ridens Jovis fulmina.

μοι
Ποίησον καπνὸν ἐξαίφνης
Me
Fac ſubitò fumum.

Quocircà Eſchynes quidam magnus, & vanus jactator dictus fuit proverbialiter καπνὸς *fumus*. Addo S. Hieron. contra Ruffin. *Tu alter Salmoneus omnia, per quæ incedis, illuſtras, et nos fumoſos arguis*; Cedren. de Manich. multitud. *Soluta eſt, ut fumus*; & Cyrill. in Oſeam: *Qualis ſubſtantia vaporis conſtantis ex fumo?*

170. *Græculus &c.* Non verè græcæ linguæ peritus, ſed tantùm græcizans, & ut vulgò dicitur *Grecarolo*, quod nomen Novitiis in cognitione literarum græcarum rectè tribuitur, ſicut datum agnoſcimus iis, qui cum Philodemo ex aliquibus Oppidis Calabriæ oriundi ſunt, ubi etſi ſe Græcos profiteantur, attamen Græciam, ne quidem vix nomine, novere.

170. *Solas et quærere etc.* Totum ſtudium eſt in minimis, uti ſunt litteræ Alphabetariæ, & inter eas Κ Γ, & Ι.

Indolis eximiæ juvenis Malthinus in Urbem
Venerat, & dotes animi præſtantia formæ
Tan

NOTÆ.

171. *Sen:ſcit etc.* In frivolis longum tempus inutiliter terit.

172. *Malthinus etc.* Fortè nomen hujus illuſtris Ephębi derivatum à μαλθακὸς, ideſt *mollis, et delicatus*, nam μάλθαν eſt *cera emollita*. Sivè id referatur ad corpus, ἶνὸς enim *nervus, et fibra*: ſeu ad ætatem, nam *Inis infans* ἀπὸ τὸ ἶς; δύναμις γάρ ἐισι πατρίων ὀιυιοὶ, *nam vis, et nervus patris ſunt filii*; ἶς ſiquidem *vim* ſonat.

173. *In Urbem venerat etc.* Ergo eſterus eſt:

174. *Præſtantia formæ etc.* Minimè exitandum formæ præſtantiam, & exteriorem pulchritudinem interiorem, utplurimum, denotare. Pulchrum omne naturaliter bonum rectè dixit, probavitque Proclus Lycius Philoſophus Platonicus in Comment., quæ in Alcibiadem de ani. & dæmon. luculenter conſcripſit, adeoque pulchritudinem exiſtimavit, ut ea n iuſtitiæ prætulerit. Eadem notant Plato in Phedro,& Maxi n. Tyr. ſerm.11. Cenſet Galenus lib.2. de Temperam. cap.6. naturam membra componere, prout moribus animæ convenit: habetq; Planudes in vita Æſopi, *qualis forma, talis eſt anima*. Ex quibus agnoſcere licet Philoſophos juſtos rerum extimatores inter præcipua naturæ primigenia, in quibus plerique ſummum bonum repoſuere, annumeraſſe corporis pulchritudinem. Hinc, ut puto, proceſſit cantilena illa in conviviis celebrari ſolita, de qua Plato 2. leg. & in Gorgia, necnon Apule. in lib. cui tit. ὑπὲρ τῆς ἐν τῷ προσαγορεῦσαι πταίσματος, qua dicitur: *Optimum, & potiſſimum bonam valetudinem, proximum formam, tertium divitias*; quæ quidem cantilena ex Simonidis prænate deprompta eſt, vt tradit Theodore. de Judicio. Pro nobis ſtat Socrat. parens moralis Philoſophiæ in Phædro Platonis, ubi ſubobſcurè quidem, ut ſolet, innuit bonam corporis figuram bonæ mentis argumentum eſſe, aut certè adjumentum; illud pulchri equi, hanc equitis ſub nomine depingens; Additque

Ploti-

Tam bellè augebat, magnos ut poſſet honores
Sperare, & propius violæ meruiſſe colorem:

Sed

Notæ.

Plotinus ejuſdem Scholæ diſcipulus eſſe naturaliter intus bona quæcumque ſunt, extrinſecus verò pulchra; quoniam ex interioris formæ perfectione, atque ſeminariæ rationis victoria ſuper materiam provenit externa formoſitas: Benè igitur magnis mentibus naturam ipſam domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominum, & decore membrorum colligi poſſe, quantus in illo cœleſtis Spiritus intrarit habitator, ſcribit Author Panegirici in laudem Conſtantini, cujus initium eſt: *Facerem ſacratiſſime Imperator &c.*, cui conſonat Carmen Euripidis à Porphyrio citatum in Iſagog.

Priami ſpecies digna imperio:

Plin. in Paneg. de Trajano. *Jam proceritas corporis, jam honor capitis, et dignitas oris longè, lateque principem oſtentat;* Aſſentiunt Claudian. de Stilicone, Ovid. 7. Metamorph. de Jaſone, de eodem Orpheus, & Virg. 5. Æneid. de Julo. Quo circà nec omittendum, morem illum apud aliquos populos invaluiſſe, eos deligendi in Reges, qui ceteris forma preſtiterint, quemadmodum de Indis, qui Catheam incolant, narrat Oneſicritus, & poſt eum Strabo lib. 16., qui lib. 17. idem refert de Ethiopibus Meroitis, adſtipulantibus Ariſtot. lib. 4. Polit. cap. 4., & Pomponio Mela lib. 3. cap. 4. Hanc ſententiam confirmat Sacer Textus, nam unica voce *tob* apud Hebræos ſignificatur & bonum & pulchrum, ut Gen. 1. verſ. 3. *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona*, aliter, *pulchra*, tanquam ſcilicet bonitas a pulchritudine non ſejungatur, ut pariter notant interpretes in illud Geneſ. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ*. Illos conſule; & inſuper animadverte corpore vitiatum, nec non deformem Levit. 21. prohibitum ab offerendo panes Domino.

175. *Et propius violæ &c.* Ideſt, conſequi dignitates Eccleſiaſticas, quibus color violaceus in veſtibus addictus eſt ex moderna conſuetudine.

Sed vetat Euripides, ſcabieſque inſana Lucretj,
Quæ longas miſero conſumit turpiter horas:
Cumque ſuperba foret placanda favoribus aula,
Et ſtudiis legum, totus ſcriptoris Achivi
Marcet in amplexu, dilecto ut codice diſcat
Nil

NOTÆ.

176. *Sed vetat Euripides &c.* Habes enumerationem Authorum, quibus maxima fides, & authoritas apud Philodemum, & ejus aſſeclas. Sub nomine Euripidis intellige etiam Pindarum, Homerum, alioſque Græcos ſcriptores; & Lucretio junge Bacconem. Preter, hos reliqui ut deſpicabiles, & inepti (ita ſentiunt hi Sectarii) reiiciendi ſunt.

176. *Scabieſque &c.* Scabiem propriè dic aſperitatem cutis cum pruritu, natura corporis interiora expurgante, noxioſque humores foras expellente. Adde, quod, quia ſcabiem comitatur pruritus, pruritum autem ſcabendi cupiditas, & ex fricatione quedam voluptas, factum eſſe, ut ſcabies pro voluptatis illecebris acciperetur; prout inſinuat ſatis Cic. 3. de Leg. *Nos voluptatis blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine, et ſcabie carent, non cernimus ſatis.* Hinc ad Lucretium refertur, cujus doctrina minimè ſana, & ubi de rerum natura diſſerit multa falſa, & errorum plena, atque Atheiſmum redolentia inſinuat; verum adeò ſunt carminum, & metri lepore fucata, ut dum venenum propinant, ſaluberrimam potionem miniſtrare videantur.

178. *Cumque ſuperba foret &c.* Ideſt: Totus his frivolis ſtudiis incumbit, nec curat potius aulam frequentare, optimates obſequio colere, favores procurare, & legibus operam dare, quæ ei ad honores ſemitam pandant. Quoad phraſim imitatus eſt Sectanus illud Lucani.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis
Auſoniis.

180. *Marcet in amplexu &c.* Pro languet, ex imit. Liv. lib. 8., qui habet, *marcere deſidia*, & Plin. in Paneg. *Marcidi*

ſomno,

Nil ſapere, & ſortis prævertere dona parata.
Aſpicit hæc, jugulatque ſuos impunè ſodales,
Et quod Prætoris, quod cognitione Tribuni
Indi-

NOTÆ.

ſomno, heſternaque cœna redundantes. Marcere porrò in amplexu deſumptum eſt, ut mihi videtur, ex iis, qui ad exceſſum Veneri operam dant, dicunturque marcere in ſinu amaſiarum; fortè nimis impenſæ à Malthino hos ſcriptores amari, necnon nimis eis adhærere demonſtrat.

183. *Et quod Prætoris &c.* Quis vices hodiè gerat veteris Prætoris, dictum fuit alibi: Nunc aliquid de antiqui Romani Prætoris officio, quod tunc omiſſum, dicendum eſt. Cum Romani Conſules ſæpè bellis avocarentur, nec eſſet in Vrbe, qui jus diceret, ex uſu fuit Magiſtratum creari, qui propriè huic muneri vacaret, maximè novum hunc honorem avidè quærentibus Patriciis in locum erepti Conſulatus, qui ad Plebejos tranſierat. Præturæ igitur Magiſtratus, ſeu ob has tantum, ſeu ob alias etiam cauſas inſtitutus tandem eſt, idque evenit anno ab Urbe condita 388. Creatus ab initio unus Prætor, additus alter circa annum 501., qui jus diceret inter peregrinos, & cives, alteri tantum civibus reſervatis; ex quo cognominibus quoque diſtincti fuere, & alter Urbanus, alter Peregrinus appellatus. Utriuſque plurima mentio in marmoribus Gruterianis, quorum duo tantum refero, ex quibus Prætores ambo repræſentantur. En Urbanum pag. 46. 5.

DEO. HERCVLI
M. MVMMIO. CEIO,
NIO. ANNIO. ALBINO.
PRÆTORE. VRBAN.
V. C. DEDICANTE.

Peregrinum pariter, cujus fragmentum tantum damus, quia nimium longa inſcriptio à Q. Caſſio Domitio Palumbo dicata
Pri-

Priſco Licinio Italico pag.493. num.1., tum pluribus conſpicuis muneribus ornato, cum

PR. INTER. CIVES. ET. PEREGRINOS.

At poſteà duo alii additi, ut conſulum adiutores eſſent in Provinciis regundis ann. V.C. 520., Sardinia, & Sicilia in Provinciarum formam redactis: Iterum alii duo ann. V.C. 570. Hiſpaniis devictis. Sex permanſere uſque ad Sullam Dictatorem, ſub quo quæſtionum numero aucto, crevit etiam Prætorum numerus, factique octo. Primus C.Cœſar denos creavit, & poſteà 16., & majore licentia Triumviri 64. Auguſtus tamen temperavit, & duodenario numero incluſit. Sed fruſtrà, quia iterum 16. facti, quibus Claudius etiam duo adjecit, qui propriè jus dicerent de fideicommiſſis. Ex his Titus unum detraxit, ſed Nerva reſtituit, cum munere, ut jus diceret inter privatum, & fiſcum. Tutelarem etiam Prætorem à M. Antonio Philoſopho inſtitutum legimus. Ità in univerſum 18. Prætores facti, donec paulatim minuente imperio, minuti & ipſi, & tres tantum creati lege Valentiniani, & Marciani AA. leg.2. C. de Offic. Prætoris. Hujus muneris inſignia fuere. *Prætexta toga, Sella curulis, Lictores cum faſcibus*. Munera autem præcipua trià, *Ludi, Sacra, Juriſdictio*; & hæc tam privata, quam publica judicia amplectebatur; Ità tamen, ut res civiles tractarent duo ſoli ex Prætoribus, Urbanus, & Peregrinus: Publica, ſive res criminales reliqui omnes; ſingulis autem certæ erant quæſtiones, una, pluresve, de quibus Briſſonius lib.5. Formul.. Hæc ex Lipſio tract. de Magiſtr. Popul. Rom. cap.10., quantum fieri potuit, contraximus; Ipſum adi, ſi uberiora velis..

183. *Et quod cognitione &c.* Verbum forenſe, nam cauſas cognoſcere, eſt in cauſis judicis officio fungi ex imit.Cic. lib.2. offic. *Cum quibus cauſas cognovit*. Quod etiam de capitalibus cauſis dixere idem Cic. Pro Sex. Roſcio, & Pedianus in ſuo proœmio.

183. *Tribuni &c.* De Tribunis, & Tribunitia poteſtate diximus ſatis ſuperius; Hìc autem addimus, quod cum primum creati fuiſſent ad commoda Plebis contra Patriciorum potentiam, & injuriam omnem interceſſione ſua tuenda, non

vide-

Indiget, in meritum Philodemus computat, & ſe
Jactitat artificem, formatoremque juventæ.
Oh vafrum, indoctumque ſimul! Nunc, Cratine, novi
Cur Græcos tantum ſcriptores verberet Author;
At

NOTÆ.

emus, cui magiſtratui, ſeu poteſtati hodiè Romæ æquipararì ſint. Umbram tamen hujus dignitatis habemus, ni fallor, apoli in Populi electo, & Pariſiis in Mercatorum præpoſito; t in his ſit multò magis, quam in Romanis Tribunis limitata horitas. At dixi umbram: Satis.

84. *In meritum &c.* Crimen videlicet ſibi in meritum adbit, & imputat, nec aliqua pœna, ſed præmio dignum putat iles adoleſcentes futilibus noxiiſque documentis pellicere.

85. *Formatoremque juventæ &c.* Idem ac reformatorem; formare, & reformare in hoc ſenſu eſt à rudiore ingenio neliorem quamdam formam traducere. Id habet Plin. in egyr., ubi *juventutem formare* dixit, & Virgil. Georg. 3. ,163. de Juvencis.

Tù quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem:

gè talem reformatorem, utinam ſolum.

86. *Oh Vafrum &c.* Duo ei tribuit, vafritiem, & ignoran- ; illam videlicet, qua alios decipiat, & hanc tegat.

87. *Cur Græcos tantum &c.* Ideſt, optimè novi qua de a adeò in Græcos authores ira feratur Sectanus: Verberare ranslationem dixit; cum etenim propriè loquendo ſit vim, anus afferre, ad verba, & ad ſcriptionem tranſtulit, quod nplis confirmari poteſt; Habent Nonius, & Plaut. in cul.

Me illis hęc verberat verbis.

ad convitium, & ad injuriam, ex quo frequens eſt illud, itiis, & injuriis verberare, pro conviitiis, & iniuriis affi- . Favet Horat. 3. Carm. Ode 12.

Metuentes patrię verbera linguę.

187. *At*

At nunc ſcire velim, cur Tuſculą ſigna, nec una
Rupta Bioneo cecidit ſermone columna?
Hoc, Pete, nil melius patuit, nam carmine multo
Paſſim ridetur ſtolidæ petulantia linguæ,
Quæ fuit accitis æſtu, ſtomacoque Matronis.

Hæc

NOTÆ.

187. *At nunc ſcire &c.* Hæc jam dedimus, ideò ab ulteriori explicatione abſtinemus. Quærit tamen Petus; Cratinus explicat.

190. *Nil melius patuit &c.* Quandoquidem de ineptis carminibus, in quibus Pan ex antro prodiens, & Virgo catenata globo inſiſtens in ſcœnam, tanquam pupæ, producuntur, ſuperius pluribus, & clarè actum eſt, ſicut de eorum recitatione in hortis amœniſſimis Tuſculanis, ubi ad vocem Philodemi, nutare ſunt dicti camini, ipſa vox quaſi ahenum tinnire, crediſſe Centaurum ſibi cornu ablatum, Orbis humeris impoſitus ab Atlante tanto fragore territo concuſſus, & ſimilia.

192. *Quæ fuit accitis &c.* Circumſtantiam hanc nullibi uſque adhuc expreſſit Sectanus, matronas ad audiendas haſce nugas invitatas fuiſſe: Quis tantas Philodemi ineptias, tantamque credidiſſet de ſe ipſo opinionem? Quis arrogantiam?

192. *Æſtu, ſtomacoque &c.* Pro angore, moleſtia, & nauſea: Nam nil magis corpus, & ſpiritum angit, quam calor nimius, ut æſtivis temporibus experimur, & eſt quaſi membrorum ægritudo, quæ animo communicatur; Æſtus ſiquidem dicitur immoderatus calor annuente Virgil. Eclog. 5.

Quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Nonne igitur ex calore intenſo ſitis, ex ſiti moleſtia, quam bibendo eſtinguimus? Cur non translatè ad moleſtiam, quam matronæ ex inſulſa recitatione Philodemi expertæ ſunt? Nauſea additur ſub eadem figura, quandoquidem refertur ſtomacus ad animum; quia quemadmodum ille movetur facile ex cibo,

à quo

Hæc ego perlegi decies, decieſque notavi
Inſulſum Calabri faſtum, qui rure Latino,
Ut molles Regum pueri, pilenta fatigat,

Et

Notæ.

à quo natura abhorret; ſic animus eas res maximè averſatur, & refugit, quas ſuæ naturæ contrarias eſſe ſentit. Potes accipere etiam pro indignatione, qualem probabile eſt fuiſſe his matronis, ex imit. Cic. ad Quint. Frat. lib.6. *Superiori Epiſtolę quid reſpondeam nihil eſt, quę plena ſtomachi, et querelarum eſt.* Hinc ſtomachari eſt indignari, iraſci, & nauſeare apud medioris ævi ſcriptores.

193. *Hęc ego &c.* Proſequitur Cratinus, & concludit narrationem facti veritate propoſita, & reſultante ex Satyrarum lectione, ubi frequens hujus rei relatio.

193. *Decies &c.* Et hic, ut alibi dictum, numerum habes finitum pro infinito, & ad ſenſum Plaut. in Stich.

Decies in die mutat locum.

Quod eſt affine ad illud Horat.lib.4.Carm.Ode 1.

Centum puer Artium.

194. *Inſulſum &c.* Qui tam nobili cœtui nugas ſuas quaſi exultans, & de ſe nimis præſumens propoſuit.

194. *Rure Latino &c.* Rectè, quia Tuſculum eſt in Latio, indèque Latinum accomodè nuncupatur.

195. *Ut molles Regum &c.* Reges dicti non tantum, qui regioni cuipiam legitimè imperant, ſed, per aſſentationem tantum, etiam Optimates hoc nomine nuncupantur ab inferioribus: Dedimus aliquid circà hanc rem Sat.1. verſ.146. ad illud *Modicum hoc, niſi Regem*: Addo Martial.lib.6.

Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

Et Rex dictus amicus potentior à Plaut. in Captiv. Act.1. Scen.1., & in Aſina.

Equus me portet, alat Rex.

Atque tamen credo id aſſentatoriè à Sectano pronunciatum; vel ad elegantiam, vel potius ad exprimendam nobilium ephœborum efficaciter illuſtrem qualitatem.

195. *Pi-*

Et Saturejano præbet poppiſma caballo,

Aſſue-

NOTÆ.

195. *Pilenta &c.* Currus nobiles, & egregi, luculenterque, & forſan nimio luxu ornati minimè dubium quin denotentur. Quis enim autumet Philodemum, cujus faſtum damnat Sectanus, vilibus curriculis inſediſſe. Juvat nomen ipſum Pilenti, quo vehi tantum Matronis conceſſum ex Feſto, nec ſemper, ſed ad Sacra tantum procedentibus. Uſus oſtenditur ex Claud. Nupt. Honor. & Mar.

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacra
Præradiant ductura nurum.

Virgil. 8. Æneid. verſ. 665.

Caſtę ducebant ſacra per urbem
Pilentis matres in mollibus.

Et Prud. 2. Symm.

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento reſidens molli.

Forſan ex illo genere vehiculorum, de quo Liv. lib. 34. loquitur, referens legem C. Oppii Trib. Pleb., qua juſſit, *ne qua mulier juncto vehiculo in Urbe, oppidove, aut propius indè mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa veheretur.* Clarius idem Liv. lib. 5., ubi diſtinguit carpenta, & pilenta conceſſa matronis his verbis; *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra, ludoſque; carpentis feſto, profeſtoque uterentur.* Umbram aliquam eorum formæ exhibet Servius in Virgil. locum ſuprà relatum, habet enim in ipſis pilentis lectos penſiles fuiſſe. Hoc non eſt amplius in noſtro uſu, ſed ſucceſſerunt delicatiſſimi, molleſque pulvini, ex plumis ad ſeſſionem parati; nec fortè male crediderim Sectanum hoc loco indicare voluiſſe genus illud vehiculorum, quæ vulgò *Copè* nuncupantur.

195. *Fatigat &c.* Premit, & ſedendo conterit, exemplo ducto á propria ſignificatione verbi *fatigare*, quod eſt laſſare in ſenſu ab Authoribus, & à communi uſu loquendi intento, ac etiam cohibere apud Cic. lib. 3. Offic. *Qui non verbis ſunt, ſed vinculis, et carcere fatigandi;* Unde & per translationem dictum à Sectano fatigare de pilentis.

196. *Pop-*

Aſſuetus tortâ defendere cannabe talos.
Quam benè laſcivit Satyrus, Muſæque jocoſæ
Per-

NOTÆ.

196. *Poppiſma &c* Eſt vocis blandimentum, quod fit equis ferocibus cum tractatione manuum, & accipitur etiam pro palpatione cum quadam vocis adulatione. Unde Juven. Satyr. 6. verſ.59.

Præbebit vati crebrum poppiſma roganti.

196. *Saturejano &c.* Pro nobili, & generoſo equo ex imit. Horat. lib.1. Serm. Sat.6.

Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Saturejano vectari rura caballo;
Sed quod eram narro.

197. *Aſſuetus &c.* Funiculis ſimul textis, & compactis, ac certo ordine digeſtis miſerabiles quidam ruſtici, ſibi ſoleas, quibus pedes veſtiunt, ſolent conficere, non pellibus, quia majori pretio emuntur. Horum ſic calceatorum numeroſas turbas quotannis videt Roma tempore meſſis, & vinearum culturæ, & à vulgò denominantur *Ciociari*, quia calcei ſic malè, & viliter compoſiti, ab iiſdem eos geſtantibus *Ciocie dicuntur*. Placuit in gratiam exterorum hujus generis calceamentorum figuram inſerere.



Si tamen nimia videatur contrà Philodemum Sectani exageratio, Satyræ genio tribuatur, aut fortè Calabrorum, vilium nempè, & pauperum perſonarum, quæ inter eos ſunt, morem fas ſit conſiderare.

198. *Quam benè laſcivit &c.* His, quæ ſuprà recenſita ſunt, ſuppoſitis, Satyram maximè decere approbat Pædagogus, & h eodem

Perſricuere cutem ſalibus! Sed quando Poetæ
200. *Incidit hic ſermo, quæſo, mi Cratine, nomen*
Illius

NOTÆ.

eodem tempore Satyræ jocos, & lepores collaudat; laſcivire etenim non ſemper eſt, eſſe ſalacem, & voluptatibus Venereis indulgere; ſed luſitare, jocari, ut diſcimus ex Colum. lib.7. *Satietate verni pabuli pecudes exilaratæ laſciviunt*: ut exempli gratia, videmus in equis, qui nimio in ocio fuerunt, qui aut calcitrare præter ſolitum, aut luſitare, exultareque ſolent.

198. *Muſæque jocoſæ &c.* Vidimus, detracta cortina apparatum hujuſcemodi Muſarum in fine Satyræ quartæ. Hunc locum, ſi lubet, petat Lector: At cur jocoſæ inter ſeveræ, & rigidæ executionis exercitium? Benè; nam Satyra inter ipſos jocos mordet, ac veluti Bacchantium thyrſus, pampineas frondes, virides, & lætas oſtentat, quæ haſtæ mucronem tegunt, ſed cuſpidem non hæbetant, nec feriendi poteſtatem auferunt.

199. *Perſricuere cutem &c.* Uſus eſt hac eadem loquendi ratione, iiſdemque verbis Varr. 3. de reb. ruſt. cap.6. *Qui hæc volunt diutius ſervare, perfricant ſale minuto.* At longè diverſa ſignificatione noſter Satyricus accipiendus eſt, nam perfricare ſalibus dixit in eo ſenſu, quo in fine Satyræ Quartæ;

Ei peream muria ſi non graviore fricabo
Sinciput hoc aſini, donec cruor effluat, atque
Horrida detracta fumet calvaria pelle.

Addit autem ſales, & in æquivoco ludit; nam ſal, qui propriè inter condimenta reponitur, accipitur etiam pro dictis ad riſum, vel delectationem compoſitis. Quia tamen in ſale maxima acredo eſt, & ex acredine mordacitas, indè jocus in Philodemum, quo denotatur mordacitas, qua cum appetit Satyricus in his lucubrationibus.

199. *Sed quando Poetæ &c.* Urget ulterius Petus, & relicto Philodemo, ejuſque aſſeclis, ad ipſum ſatyricum tranſit, atque de eo inquirit, de nomine, & patria interrogans.

201. *Nan-*

Illius, & patriam fas ſit mihi diſcere; nunquam
Haſtenus audivi, quamquam ſit dignus, ut ævum
Aſpiciat ſerum, noſtraſque feratur ad aures.
Dicam, quod potero, mihi quæ Gorgonius olim
Narravit puero, ſatyras tunc fortè legenti.

Au-

NOTÆ.

201. *Nunquam &c.* Non tantum quia hujus nominis præcedentes Satyræ nunquam meminere, ſed quia uſque huc nulli hominum cognitus, & primum ex hoc loco innotuit.

202. *Quamquam &c.* Nomen alicujus ad ſervandam ejus memoriam neceſſarium eſt; nam eo vel ignoto, vel pereunte etiam ejus fama, & gloria evaneſcunt. Hinc Petus, qui Satyrarum hucuſque editarum celebritatem, & venuſtatem conſideravit, rectè infert, ſe ideò concupiſcere ejus nomen addiſcere, quia dignum ut æternitati conſecretur, & ab omnibus agnoſcatur.

203. *Ut ævum &c.* Ideſt longam temporis diuturnitatem; Nam ævum propriè æternitatis eſt, inquit Servius; additum autem *ſerum* quaſi emphaticè, & ut fieret major, & efficacior expreſſio ex epitheto, ut alii dixere *longum ævum, diuturnum ævum &c.* ut majorem vim dictioni præbeant.

204. *Dicam, quod potero &c.* Quicquid ab aliis intellexi, nam notitia hiſtorica non pendet ab intellectu, ſed ex aliorum relatione, ſeu ea ſit ſcriptis, ſeu voce tradita.

204. *Mihi quæ Gorgonius &c.* Cum Gorgonii nomen nullibi legerim ab antiquitate uſurpatum, opinari juvat fuiſſe fortuitò, & pro libito impoſitum. Quia tamen in comperto apud me eſt nullum apud Sectanum noſtrum otioſum verbum eſſe, itaut difficillimè etiam nomen hoc abſque hominis charactere formatum dijudicem, placet meas urgere conjecturas; nodumque, quem ſolvere non potero, ſecabo. Gorgonium igitur lego apud Scaligerum in Coniect. & Feſtum idem fuiſſe ac Manducum; Utrique enim eadem ſignificatio, ſi excipias Gorgonii nomen à Græco fonte petitum, Manducum à Latino. Sive igitur Manducus, ſive Gorgonius ſit, ejus effigies in pompa

 anti-

Author, ut accepi (nec vana eſt fama) Latino
Sanguine prognatus; Sectanus nomine, vultus
Oblon-

NOTÆ.

antiquorum inter cœteras ridiculas, & formidoloſas imagines ire ſolebat. Erat enim larvato capite humano, maxillas vaſta magnitudine, magniſque armatas dentibus habens, qui oris hiatu, dentiumque crepitu, ſeſe in utramque partem viæ dum flecteret, ridentem turbam vertebat in fugam: Meminit hujus larvæ Plaut. in Rud. act. 2. ſcœn. 7. verſ. 51.

Quid ſi aliquo ad ludos me pro manduco locem?

Ubi Caſaubon. notat etiam dici apud Græcos μορμολυκεῖον, *triſte, et turpe ſpectrum*, vel à μορμὼν deductum, quod eſt *larva et perſonarum terriculum*, vel à μορμὼ, quod ſonat Mulierem facie monſtruoſa, quemadmodum & γοργός terribilem ſignificat, undè Gorgones tres Phorci filiæ, quarum uni Meduſæ angues pro crinibus dedere Poetæ, atque adeo terrificam effinxere, ut ſcriberent ea conſpecta homines in ſaxa converti: Sed redeo ad viam, & ad pompas ridiculas ex Gorgonio, ſive Manduco circumgeſtato, nec ineptè puto de hoc ludicro ſpectaculo accipiendum Juven. Sat. 3. verſ. 174.

Tandem redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Ex his dicere poteris turpem, longis dentibus, vaſtis maxillis, magno ore præditum; in ſumma quaſi larvam terrificam eſſe hunc Gorgonium. Scit Sectanus, ſi divinaverim.

206. *Author &c.* Neſcio an præceptor iſte dum Petum erudit, nos fallere ſtudeat. Verum credamus famæ, quam non vanam fuiſſe Cratinus ipſe autumat.

206. *Latino &c.* Si regiones, quæ Romanæ ditioni olim famulabantur, reſpicias, facilè credam Sectanum Latinam originem duxiſſe; cum totum orbem factum fuiſſe Latinum nemini lateat.

207. *Sectanus nomine &c.* Quarè hoc ſibi nomen indiderit Author, incertum. Nulla hominis apud veteres mentio, excepto Horat. in Epiſt., cujus character Sectano noſtro minimè

con-

Oblongi, modici cenſus, & fraude remotâ
Cultor amicitiæ, lætas conduxerat ædes
Exquiliis, procul à turbâ, ſtrepituque rotarum.

Ille

NOTÆ.

convenit. Nonnulli putarunt, & adhuc putant ſub illis literis arcanum latere; ego ſecus, nec alia ratione ſic appellari voluiſſe judico, quam quia ejus carmina uſque ab initio innumeros habuerunt ſectatores.

207. *Vultus oblongi &c.* Si phyſiognomus eſſem te deprenderem Sectane; Agam tamen phyſiognomum. Vultus oblongus ad canem venaticum præcipuè refertur: Ideoque cum vitia inquirere, eademque mordere ſatyrici ſit, appoſitè canis phyſiognomiam tibi appinxiſti.

208. *Modici cenſus &c.* Poeta es, & quidem celebris Sectane; unde nil miror tibi modicum eſſe cenſum. Sed ne doleas; divitiæ enim, quibus indocti plerumque abundant, fluxę ſunt, & caducæ, nomen verò & fama virtutum nunquam interibunt; quæ etſi *non majorem, illuſtriorem tamen*, ut ait S.Bernard. in Epiſt., *virtutem reddit*.

209. *Lætas conduxerat &c.* Quia videlicet in Exquilino monte ſtatio amœniſſima, cœlumque ſalubriori aere ſe præbens habitatoribus: Quo circà optimo Sectanus conſilio has ſibi ædes comparaverat ad Muſarum, & Apollinis contubernium.

210. *Strepituque rotarum &c.* Vehiculorum, rhedarumque numerum, qui Romæ noctu, diùque, per compita diſcurrit, quis numerare queat?

Fumum, et opes, ſtrepitumque Romæ

Dixit Horat., & Juven. Sat.3. verſ.237. inter cœtera Urbis mala idem repoſuit, ea ratione, quia

Stantis convicia mandræ
Eripient ſomnum Druſo, vituliſque marinis.

Ac quia nonniſi Palatia, quæ ſua amplitudine à viis publicis interius recedunt, dormiendi facultatem præbent, dixit alibi:

Magnis opibus dormitur in Urbe.

Ille etenim bijuges odit, qui fronte ſuperbâ
Purpureos quatiunt lemniſcos, tectaque fugit,
Quorum campano reſonabat pinna metallo,
Contentuſque ſui nudas Helicone puellas
Sæpius accibat calamo; nam Paſtor & ipſe
Arcadiæ, dulci gaudebat murmure laudis.
Non tulit hæc Calaber, fervenſque ardore nocendi.
Secta-

NOTÆ.

211\. *Bijuges odit &c.* Ad augendum dignitatis decorem, Romæ uſu invaluit, ut equi rhedarii Cardi alium, cum in publicum prodeunt, lemniſcis in fronte ornentur; quo ſigno viſo obviæ in curſu carrucæ vel divertunt, vel in obſequium ſubſidunt.

213\. *Quorum campano &c.* Pertinet pari modo ad gradus Cardinalitii dignitatem in pinnaculo palatiorum, quæ habitant, retinere Campanam, quæ pulſatur, cum ſolemniter foras egrediuntur, domumque redeunt, atque etiam cum Sacrum, prandiumque indicitur. Ex quibus colligere licet Sectanum otio literarum addictum ab aulicorum obſequiis, ſervilique ingenio maxime abhorrere.

214\. *Contentuſque ſui &c.* Optima Sectani philoſophia, qui extrà ſe nil quærit, ſed contentus ſe ipſo, ſuaque virtute, opes, ambitus, honores, cœteraque mortalium oblectamenta contemnit.

215\. *Nam paſtor &c.* Gratulor Arcades veſtro cœtui, perennemque famam, & immortalitatis titulum auguror, dum Sectanus Paſtoris nomen amplectitur, Satyrique aſperitatem leni vocabulo mitigat.

217\. *Non tulit hæc Calaber &c.* Qui cùm ſolus, & præcipuus Poeta credi vellet, & ſolus laudari, ægrè tulit Sectano plaudi, ac ejus carmina in pretio eſſe, benè animadvertens ſibi indè plurimum damni eventurum, non tantùm extimationis, ſed lucri, ſi tantum emulatorem nactus in opinione virorum plurimum creſcere fineret. Hinc invidia odii principium fuit, acceſ-

Sectanum populo ridendum præbet ; & altâ
Ambitione tumens, vulgo ſe prædicat ortum
Diſſectâ cervice Jovis, culpatq; Minervam.
Nunc loquitur ſecreta, & quæ non audiat ipſe
Secta-

NOTÆ.

acceſſitque ad eam fovendam lucri amittendi pavor. Ex his ira proceſſit, ex ira nocendi libido. Sic per gradus vitia creſcunt. Igitur claſſicum in Sectanum intonuit; armavit linguam, non manus; neſcientem, nihilque ab amico timentem invaſit truculentus; primoque ejus famam, & gloriam petiit acerbo vulnere, dum uti ridendum, & pretii nullius hominem, quaſi mimum, in ſcenam produxit.

218. *Et alia &c:* E contrà in ſui laudes profuſus ambitionem fovit propriam, deque ſe magna prædicare non deſtitit, ſeque ſapientiæ dignum hoſpitem eſſe, ac omnium ſcientiarum promptuarium jactabundus iterum, atque iterum propoſuit.

219. *Se prædicat ortum &c.* Palladem, veteres Poetæ finxere ex Jovis cerebro ſine matre prognatam; nam cum ſapientiæ Deam dicerent, facerentque liberalibus artibus, & honeſtis diſciplinis præſidem, quæ non ex invento humani ingenii, ſed inexhauſto Divinæ Sapientiæ fonte creduntur dimanaſſe, opportunè quidem è ſummo, ut ipſi opinabantur, Deorum eam petere cenſuerunt. Ita Philodemus de ſe ipſo arroganter præſumebat, & culpando quoſcumque, etſi doctos, & eruditos, magnique nominis in literaria Republica viros, ſe unum præ cæteris adeò extollebat, ut omnes alios quacumque ſcientia pollentes flocci faceret.

220. *Culpatque Minervam &c.* Se Minervæ, licet ſapientiæ Deæ, ſuperbè præfert.

221. *Nunc loquitur ſecreta &c.* Primum odii inditium, diffidentia, & inurbanitas ex ſecreta cum Labeone, aliiſque locutione, ne à Sectano, quem ut hoſtem animo fovebat audiretur.

Sectanus, quamvis præſens, dextrâque prehenſum
Dimovet à turbâ Labeonem, & garrit in aurem.
Nunc cubito tangit Malthinum, oculiſq; retortis
Sanguineis animi veſanos indicat æſtus,
Sollicitus ne fortè cadant de fronte corollæ,
Quæſitoque ſibi ſedeat novus incola regno.
Hinc odii cauſæ; nam quis toleraret iniquum
Invi-

NOTÆ.

222. *Dextraque prehenſum &c.* Non tantùm officii cauſâ, ſed vt tutiùs, & ſecretiùs loquatur.

223. *Et garrit in aurem &c.* Et ſubmiſſa voce conſuetas ineptias auribus ejus imponit, nam garrire eſt ineptè loqui ex Cic. lib.3. de Orat. *Philoſophi garrire cœperunt*, quod idem eſt Græcis στωμύλλειν, imperfectè, ſtultèque loqui, ad ſenſum Ariſtophanis in Νεφ: ὀυ στωμύλλων κατὰ τὴν ἀγορὰν, *effutiens verba.*

224. *Nunc cubito &c.* Ad amoris, vel confidentiæ oſtentationem, vel, ut fieri ex more inter amicos ſolet, tacitè, ſi quid minus rectum dictum, aut factum.

224; *Oculiſque retortis &c.* Hæc ad Philodemi imaginem pertinent, indè ſi coniungantur cum his, quæ dicta ſunt Saty. 1. verſ. 85., fortè peritus pictor eam ad vivum efformabit. Habes ibi genas tineis corroſas, oculos tabo ſtillantes, nunc retortos, & ſanguineos.

225. *Animi veſanos &c.* Fortè, quia malum hoc ex nimia caloris ſanguinei intemperie derivatum, ex qualitate corporei, & naturalis temperamenti animi qualitatem colligit. Tamen metaphoricè dictum non ineptè pronunciaverim, nam in eo æſtus animi, uti ex toto Satyrarum contextu apparet, ſunt, vel libido, vel arrogantia.

226. *Sollicitus ne fortè &c.* Ideſt totus anxius, & ſollicitus, ne ſibi Principatus in hoc ludicro regno auferatur, ex quo aliquid lucri capiebat, & aliquid gloriæ ſibi captare videbatur.

227. *Hinc odii cauſæ &c.* En unde Satyrarum origo, & ratio, ex ſuperbia, & faſtu, necnon ex invidia, & ambitione Philodemi, quam minimè tolerare potuit noſter Author.

229. *Invi-*

Inviſumque caput ſuperis, & triſte bidental,
Mille fibris ovium quod non Ergenna piaret?
Addidit & calamo pondus, Satyriſque calorem
Car-

NOTÆ.

229. *Inviſumque caput &c.* Ideſt execrabile, & ſceleratum. Deſumptum ex loco Perſii Saty.2. verſ.26.

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter?

Favet etiam Horat.

An triſte Bidental
Moverit inceſtus.

Pro cujus explicatione ſcias bidental dictum fuiſſe quicquid fulmine tactum binis bidentibus expiandum erat; cenſebant ſiquidem Jovem loca parùm caſta fulminibus ferire, & tunc ſolebant claudere, & obſepire, quia triſtia, & mali hominis. Etiam vox hæc ad hominem tranſlata, ut apud Perſium, & noſtrùm Satyricum. Loci clauſura porrò fiebat per Sacerdotes, quos ad hoc munus expreſsè deputatos eſſe conjicit: ex marmore Gruteriano 6. pag. 96.

SANCTO . SANCO .
SEMONI . DEO . PHIDIO .
SACRVM . PECVRIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS

Talem etiam fuiſſe Ergennam Perſii minimè dubitandum eſt.

231. *Addidit et calamo &c.* Primæ cauſæ nova, nec minor cauſa addita, nempe juventutis corruptela, quæ per Philodemum procurari ferebatur, unde præcipuum Sectani ſtudium eam

Carceribus ſacris incuſtodita juventus,
Quam perfrictus homo de fornice ſpurca docebat
Verba loqui, teſtaſque novas implevit odore
Obſcœno. Virtus olli pietaſque videtur

Simpli-

NOTÆ.

eam ab illo alienandi, & à tam pernicioſo hominis conſortio divertendi.

231. *Pondus &c.* Ideſt, ut in eum tanquam in centrum violentius ferretur, nam omnia ponderoſa, quo magis gravia, majori vi illuc tendunt, niſi malis, pondus pro carminum plenitudine, & numero ſumere, ad ſenſum Cic. ad Attic lib. 2. *Da ponderoſam aliquam epiſtolam plenam omnium non modò actorum, ſed etiam omnium opinionum tuarum.*

231. *Satyriſque calorem &c* Ideſt vim, & efficaciam, quæ per calorem optimè repræſentantur, nam in calore vita, vis, operatio, quæ in frigore torpent.

232. *Carceribus ſacris &c.* Ii ſcilicet ephœbi, qui minimè Collegiorum clauſuræ ſunt à Parentibus devincti, ſed in domibus propriis manentes, honeſta libertate fruuntur.

233. *Quam perfrictus homo &c.* Subintellige os, faciem, vel frontem &c., & ſic accipe, quaſi dixerit, pudore depoſito: In hoc enim ſenſu dixit Mart. lib, 11.

Aut ſi perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

233. *De fornice ſpurca docebat &c.* Ad res inhoneſtas inſtruebat, veluti ſunt verba obſcœna, & quæ ea comitantur.

234. *Teſtaſque novas &c.* Ideſt, recentes, nec ſatis induratas, quibus vel bonus, vel pravus odor immiſſi liquoris facillimè inhæret, ex ſententia Horat. 1. Epiſt. 2,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diù.

In his ipſam juventutem exhibuit, quæ facillimè flecti in bonam, vel in malam partem poteſt, prout ex educatione, & ex conſuetudine amicorum, ſociorumque bonos, vel malos mores percipit.

235. *Virtus olli &c.* Sententia eſt, quod virtutem, & pietatem

Simplicitas animi vultus malè conſona formæ:
Nec juvenem laudat, niſi quem laſciva perurit
Flamma, Deumque colit pœna, doniſq; carentem.
His

NOTÆ.

tatem deprimat, utpotè eorum ætati, & formæ diſſonam, & quod, ut fidem conſequatur, eam ſub nomine ſimplicitatis animi deprædicet, iis ſcilicet forſan utens argumentis, atque dogmatibus abominandis, quæ Satyra prima proponuntur, & damnantur.

235. *Olli &c.* Pro illi: Exiles litteras ì, & ù, mutabant veteres in o, ſic Olli; Rem indicat Donatus in And. *Ellum, & Ollum dicebant veteres, pro illum*. Sed præſtat audire Varronem lib.6. Ling. Latinę: *Olli valet dictum illi, ab olla, et ollus Quod alterum comitiis, cùm recitatur a præcone dicitur, ollo centuaria, non illa: alterum apparet in funeribus indictivis, cum dicitur, ollus letho datus eſt, qood Græcus dicit λήθῃ, ideſt, oblivioni.* Frequens in hujuſcemodi vocis uſus eſt Virgil.: Indico tantùm. 1. Æneid. verſ.258.

Olli ſubridens hominum ſator, atque Deorum.

Et 12. ejuſdem verſ.829.

Olli ſubridens hominum, rerumque repertor.

Centies alibi repetit: Mitto.

237. *Nec juvenem laudat &c.* Inhoneſtatis aſſertor neſcit ullum alium laudare, niſi quem laſcivè vivere videat, & quem parum æque de Deo, ejuſque juſtitia ſentientem, in ſequelam ſui dogmatis Satyra prima à Sectano enunciari, rejectique, cognoverit; ſibique ſimilem factum eſſe habuerit pro comperto.

238. *Deumque colit &c.* Satis rejecta fuit doctrina hæc Philodemica Saty.1. Adeat lector, & legat, ſi vacat, ea quæ ibi adnotata ſunt, & ex dogmatis Catholici aſſertione conſpiciet ſatis confutatas omnes blaſphemias, quæ Religionem, & pietatem reſpiciunt. Quadrat in hunc locum, id quod de Bione Boryſthenite (nam Bion, & Philodemus unum ſunt) tradit Laertius in ejus vita, & reperit Illuſtrius de Philoſophis, Deum videlicet ab ipſo impiè negatum fuiſſe, proptereaque in eum tale epigramma inſcriptum, pulcherrimum quidem,

& quod

His ubi flagitiis Sectanus vidit ovantem
Nequitiam, totamque afflari crimine Romam.
Exarſit virtutis amans, & moris honeſti
Publi-

NOTÆ.

& quod hominis characterem affabre exprimit, & uſque huc dictis mirabiliter conſonnm.

Biona Boryſthenitem, Scytihica quem produxit ora,
Accepimus dixiſſe, revera non eſſe Divos:
Quod dogma ſi tueri mordicus perſtitiſſet
Poterat videri aliquid ſenſiſſe, perperam tametſi.
Nunc pertinace morbo jactatus, metuque mortis,
Qui pernegat Deos, qui nunquam delubra introſpexit,
Mortalium irriſor, qui patrio inſtaurant more ſacra,
Qui nec ſuper foco, aut aris, menſave adolens, Deorum
Nidore nares, vel adipe explevit, piove farre,
Nec ſe peccaſſe unquam faſſus pacem Deum expoſcit:
Sed incantatrici ſagæ ſubmiſit colla ſupplex,
Loriſque vinciendos parens præbuit lacertos,
Hyperthyroque rhamnum impoſuit, termitemque lauri,
Paratior quid vis tandem exequi, quam obire mortem,
Demens, qui mercenarios Deos voluerit eſſe:
Quaſi tum demum exiſtant, quum ſtatuere hos viſum eſt Bioni.
Opinione at falſus eſt, quod eſſet carbo lembus,
Manuque ſic protenta, jam Pluto vale, inquit.

Forſan amati juvenis mores reſpicit, quem non diligit, niſi quatenus in Deum impium afformaverit, & vitæ improbitate jam videatur credere, qnod aut Deus peccatornm juſtus ultor non ſit, aut bonorum remunerator.

239. *His ubi flagitiis &c.* Ulterior occaſio, imò initium Satyræ, exultatio, & triumphns in peccando, & peccati ipſius artificioſa propagatio inter Romanos ephebos.

240. *Afflari crimine &c.* Quaſi rapido vento citò totam repleri hac peccandi libidine, & licentia.

241. *Exarſit &c.* Sectanus iram amplius tenere non potuit, quin

Publicus aſſertor; nobiſque exempla reliquit,
Quo plectenda modo Calabri dementia cordis,
Si novus exiret tradux Philodemus ab Orco.
Cratine virtutem miror, ſed pandere nomen

Qua

Notæ.

quin in vitium irrumperet: Benè autem exarſit; nam ira ex maximo ſanguinis calore generatur in corde, ut tradidi initio hujus Saty. num.3. in verſ. *Iram*. Addo maximam iram frequenter ab authoribus ſub ignis voce connotari. Placent exempla, quæ ad animarum impetum referuntur. Homer. lib.13. Iliad.

Sic illi pugnabant inſtar ignis ardentis.

Et de Neſto. lib.15.

Furebat, ut pernicioſus ignis

Virgil.10. Æneid. ver.613.

Latumque peragmen
Ardens limitem agit ferro

Et Cic.5. Tuſcul. *Contrà quorum diſciplinam ingenium ejus exarſit.*

241. *Virtutis amans &c.* Huic aſſertioni affinis eſt illa ſententia, *Efficax quædam res eſt ipſa virtutis ſpecies, quæ puris oculis oſtenſa, mox rapit in amorem ſui.*

241. *Et moris honeſti &c.* Ulteriori probatione hæc opus non habent; Satyræ ipſæ clarè revelant, quippe quæ vitia reprehendendo, honeſtatem morum inducere in hominibus totæ incumbunt.

242. *Nobiſque exempla reliquit &c.* Ideſt normam, & regulam præbuit, quo modo inpoſterum is plectendus ſit, qui eadem, ac Philodemus, peccandi licentia, & protervia ex inferno in mundum prodierit.

245. *Cratine virtutem &c.* Poſtrema Peti interrogatio. Initium ſumit a laude Authoris, dicit enim ſe ejus virtutem admirari; nam non niſi maxima, & quæ fidem excedunt dicimus admirari.

245. *Cur pandere nomen &c.* Petit igitur, cur tantum no-

men

Quæ vetuit noſtro nimium lex dura Poetæ,
Atque aura ſaltem paſci? Nam tota laboris
Merces Pierii, vox eſt, ſterileſque ſuſurri.
Macte, Puer, noſtro tria puncta mereris in albo.
Et

NOTÆ.

men ſuum celare ſtuduerit Sectanus noſter, quave dura, & ſevera lege ad id exequendum coactus; quæ neque ei permiſerit illam poſſe aſſequi delectationem, quæ oritur ex fama, & gloria rei bene geſtæ.

247. *Atque aura ſaltem &c.* Dictio hæc in Italicum adagium tranſiit, ad eos denotandos, qui vana quadam famæ imagine contenti, ſolidiora conſequi non curant, dicunturque *paſcerſi d'aria, e di vento.*

247. *Nam tota laboris &c.* Optima ſententia, & ad noſtrorum temporum mores accomodata; nam nullo Poeſis in pretio eſt, & penitus deſpecta languet, idque unum aſſequitur, ut plauſu, feſtiviſque vocibus ejus labores excipiantur, nec ulterius ſpes honorum, & mercedis procedat.

249. *Macte, Puer &c.* Petitionem probat, pueroque plaudit, & ex conſuetudine, quæ in ſcholis viget, & optime merito tria diligentiæ puncta preſcribit in album referenda ab eo, cui hoc munus ab ipſo magiſtro demandatum eſt, ad hoc ut exacte, fideliterque deſcribantur tam ii, qui in ſtudiis diligenter ſe geſſerint, quam qui negligenter; Unde tamen quolibet menſe contracto computo dignoſcatur, & premio, & honore diligentiſſimus, penave, & dedecore negligentiſſimus efficiantur digni.

249. *In albo &c.* Vox hæc veteribus in uſu fuit, dictaque fuit album tabula gypſata, in qua judices notari, pretorumque jura ſcribi conſueverant. De albo hoc porro ſcribit Paulus I.C.; quod ſi quis id corrumpiſſet, puniebatur, quia Pretoria majeſtas contempta videbatur: En verba: *Si familia alicujus album corruperit, non ſimiliter hic edicitur, ut in furto;* De eo mentio apud Senec. lib.3. Benef. *Judex ex turba ſelectorum, quem cenſus in album, et equeſtris hæreditas miſit.* Sub nomine

λευκῶ.

Et Princeps poſthac longum dicere Juventæ.

At

Notæ.

λευκώματος agnitum Græcis, eſtque apud Demoſth. ἀναγράψας εἰς λεύκωμα. Lampridius in Alexan. nuncupavit Pyctatium. Hodie tamen latiori ſignificatione uſurpatur pro quacumque ſcheda, ſeu libro, in quibus aliquid notatur ad aliquorum geſta pertinens, nomina certarum perſonarum deſignans, vel officiorum, dignitatumque elenchum conficiens; Unde recte dicitur reponi in albo doctorum, in albo Cardinalium &c. ac ſi dictum eſſet inter Cardinales, ac inter Doctores deſcribi, & annumerari.

250. *Et Princeps poſthac etc.* Et hoc ad ſcholarum dignitates pertinet, quia his, qui optimè ſe geſſerint in ſtudiis, honos principatus tribuitur; Triplex autem Principatus ejuſmodi eſt, diciturque optimus Princeps Principum, huic proximus Princeps Senatus, poſtremus nuncupatur Princeps Juventutis. In re puerili ſervata videtur Romanæ antiquitatis aliqua velut umbra; Latinum ſiquidem imperium habuit ſuum Principem Juventutis. Mos deſignandi, & nuncupandi Principes Juventutis eos, qui in proxima ſpe ad imperii ſucceſſionem, ab ambitione Auguſti dimanavit, tunc cùm Cajum, & Lucium Cæſares hoc nomine, ac dignitate inſignitus eſt: De Commodo habet Lampridius, quem ſumpta virili toga, & cooptatum inter Equites, Principem ejus Ordinis nuncupatum ſcribit: Lampridii locus etſi obſcurior videatur, revelatus tamen eſt poſt correctionem Lipſianam Elect. lib.2. cap.1, ubi idem eſt, eſſe Equitum Principem, ac Principem Juventutis, ex teſtimonio Livii lib.42. in Orat. Perſei, & ex Dione: Et id factum, quia ſicuti ipſe Imperator veteri exemplo, & nomine Princeps Senatus, ſic illi proximo titulo fruerentur Principum Equitum, ideſt Juventutis. Favet Bonarrotus noſter, cujus fidei, diligentiæ, ac doctrinæ plenè noſmetipſos, noſtraque ſine ulteriori examine confidimus. Is ad nummum Capineum, Saloninique tertium, notat ejuſdem imaginem etiam in averſa parte exhiberi armatam, haſtam ſiniſtra, & orbem dextra geſtantem,

tem, additumque eſſe epigraphen PRINCIPI . JVVENTVTIS; indeque colligit ex hac figura ipſius Salonini ſtatuam reprehesentari, qualem ei, ſtatim ac ad Juventutis Principatum evectus fuit, erexere Equites ipſi Juvenibus Principibus, tanquam ſibi præfectis, hæc aut non diſſimilia monumenta ſtatuere ſoliti. Nec omittimus inſcriptionem celeberrimam Gruterianam pag 278. num. 1. relatam ex qua elucet uno, eodemque tempore Principatus juventutis inſignitos Carinum, & Numerianum exemplo Caii, & Lucii, qui primi pari honore ſub Auguſto, ut diximus, decorati fuere,

VICTORIOSISSIMO FORTISSIMO. ATQVE VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI.IVVENT CLEMENTISSIMO PRINCIPI.IVVENT.
M.AVREL.CARINO IMP.CAES.M.AVRELIO. M.AVR.NVMER.
NOBILISS.CAESARI CARO.INVICTO.AVG. NOBILISS.CAESARI
COS. PRO. COS. P.M.TR.POT.II.COS.II. PROCOS.
P.P. PRO. COS.
M.AVRELIVS. VALENTINIANVS. V.C. LEG.AVGG. PRO. PR.
PROVINCIAE.

HISPANIAE. CITERIORIS. D.N.M.Q. EORVM.

Et hoc autem marmore fortè corrigendus eſt Lipſius loc. cit. ubi dubitaſſe videtur Cajum, & Lucium fuiſſe ſimul Principes Juventutis, ſed tantùm ſucceſſivè admiſiſſe; ea ductus ratione, quod hujuſmodi dignitas conferretur in eum, in quem ſpes eſſet futuri imperii, & cum Carino, & Numeriano Cæſaribus tributam uno, eodemque tempore agnoſcamus, quid impedit, quod ex priſco more id actum fuiſſe cenſeri non debeamus? Ceterum Juventutis Principatum adhuc florente Republica inſtitutum ne minimum quidem dubitandum, collatumque fuiſſe equitibus, qui ſimul juvenili ætate, & nobilitate florerent. Probat Lipſius ex Romana hiſtoria; ſupponit uti rem indubitatam, abſolutèque ponit Bonarrotus; eorum fidei me totum committo.

At non una fuit Sectano cauſa latendi,
Utque alias taceam, Dominà ſcribebat in Aulà,
Ars ubi adulandi, non libera carmina mentes
Titillant. Vitium palpari gaudet, & odit
Culto-

Notæ.

251. *At non una &c.* Plures tacendi nominis & latendi cauſas innuit, unicam revelat, videlicet dominàntium Urbium genium, ubi utplurimum amari ſolet adulatio, diſplicetque loquendi libertas iis, qui vitiis irretiti, & moribus corrupti expaveſcunt, ne in publicum producantur, vel quibus de propriis operibus, quæcumque eæ ſint, palpari, non ſevera trutina penſari arridet. Utinam tanta peſtis ab Orbe, nedum ab Urbe exularet; Sed quandiù non ubiquè graſſata eſt?

254. *Titillant &c.* Ideſt blandiuntur, & voluptate afficiunt eximiè. Cic. 1. de finib. *Si ea ſola voluptas eſſet, quæ quaſi titillaret ſenſus*, & Horat. 2. Serm. Satyr. 3.

Præterea ne vos titillet gloria.

Dictum tamen tranſlatè à *titillo*, quod eſt levi attrectatione alarum, aliarumve mollium corporis partium riſum cuipiam movere. Ad rem ſententia Hierony. ad Sabinian. *Natali ducimur malo, & adulatoribus noſtris libenter favemus; et quamquam reſpondeamus nos indignos, et calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur.*

254. *Vitium palpari &c.* Nam ut inquit Senec. epiſt. 11. *Vitia noſtra, quæ amamus, defendimus, et malumus excuſare illa, quam excutere.*

254. *Et odit &c.* Notiſſimæ ſententiæ Ciceronis lib. de Offic. congruit, *Veritas odium parit*; de qua Lactan. Firm. lib. 5. *Veritas ideo inviſa eſt, quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum, nec aliter putat ſe voluptate malefactorum ſecurius frui poſſe, quam ſi nemo ſit, cui delicta non placeant.* Adde S. Hierony. in Ezechiel. dicentem. *Si propter timorem mortis tacere veritatem impietas eſt: quomodo non eſt major impietas propter ventris, et honoris vanam ſpem tacere veritatem?*

Cultores veri. Quod ſi creſcentibus annis
Te, Pete, Romani captabit bractea luxus,
Heu fuge Caſtalidum fontes, laurumq; ſuperbam,
Clamoſoque foro curis, ſtudiiſque locatis

Civi-

NOTÆ.

255. *Quod ſi creſcentibus &c.* Petum ad ultimum docet Cratinus, quid agere in poſterum debeat, ut ad optatas dignitates, ſi quando earum ſtudio, ac libidine captus fuerit, provehatur. Dicit ergo ſibi carminum lepores, & muſarum ſtudia fugienda eſſe, totumque legum, & juris prudentiæ diſciplinis ſe dedere debere, & quod plus utilitatis referet ex una rubrica, legiſque alicujus titulo, quam ex lectione omnium poetarum.

257. *Heu fuge &c.* Ideſt pro viribns vita, ac penè odio habe fontes Caſtalios, qui muſis, ut alibi diximns, dicati ſunt.

257. *Laurumque ſuperbam &c.* Quia Apollini, ſicut monuimus, conſecratam; ſuperbam autem dixit, vel quia ſub tutela ejuſdem Dei, vel quia coronandis Poetis deſtinata; ex quo, qui in Poeſi principatum obtinent, dicuntur laurea Poetica redimiri.

258. *Clamoſoque foro &c.* Forum, locus ubi jus redditur, & juſtitia litigantibus adminiſtratur; nam antiquitus in foris Judices reſidebant: unde à ſimili etiam noſtra Tribunalia fori nomen ſumpſere. Clamoſa porrò dicta à jurgiis, & clamoribus litigantium ipſorum, qui dum judicem, & magiſtratum informant, vel in contradictorio cauſam decertant, magnis ſæpiſſimè vocibns efferuntur, ac clamitant.

258. *Curiſque &c.* Reſpicit honoraria, & mercedem, quam ex ſuis laboribus, & ſtudiis accipiunt Advocati, & Cauſidici à ſuis Clientibus, quoties eorum cauſas ſibi defenſandas aſſumunt, & videtur ſimul redarguere eorum avaritiam, ex eo quod nil agant, & operentur, niſi pecunia, utplurimum, anticipatè ſoluta, ac fortè ultrà taxam præſtitutam oblata. Diſtinguit autèm curas à ſtudiis, videlicet quas vocant ſollicitationes, diligentias, ac informationes in voce à ſcripturis, conſultationibus, & informationibus, quas exhibent in ſcriptis; utriſque

etenim

Civiles nugas, & inania jurgia vende;
260. *Scilicet aſtuta plus conferet una rubrica*
Regu-

Notæ.

etenim patrocinantur ipſis clientibus, quibus, prout diximus, operas ſuas locant.

259. *Civiles &c.* Nugas civiles forſitan dicit ad normam adagii Italici, quo tales dicuntur *far mercanzia di ciarle, ò di parole*, vel potiùs nugas refer ad ea verba, quæ inaniter effundunt, ut clientibus fucum faciant, clamitando, ſibi leges favere, jura aſſiſtere, etiamſi agnoſcant ſe indebita petere, & injuſtam cauſam defendere; ſatis quippe his pecuniam lucrari, & plurima acquirere emolumenta, licèt ad ultimum contraria ſibi ipſis emanante ſententia, proprium dedecus, quod minimè curant, inverecundi aperiant.

259. *Inania jurgia &c.* Quicumque audit Cauſidicos coram Judicibus rixantes, certè conveniet ſe immortali odio proſequi, & ad mortem invicem petere. Rixoſis ſiquidem, clamoſiſque vocibus jurgia addunt, ac penè dixerim turpi, obſcœnaq; labe verborum ſe maculant; at ſi rem exquiſitè perpendas, tota hæc contentio ficta eſt, & occaſioni, de qua agitur, tantùm accomodata; cùm hinc diſcedant amici, & fortè poſtea ſimul conveniant, epulentur, ſpatientur, ac delicientur impenſa miſerorum, qui ſe eorum fidei commiſerunt.

260. *Scilicet &c.* Quia videlicet plus præbebit, non una lex, ſed una ipſius legis rubrica, quam centum Horatii, atque Virgilii, & ſi qui alii nobiliſſimi Poetæ, quorum ſtudium, ac imitatio aſſumantur. Rubricæ legum tituli ſunt, ſic nuncupatæ, quod minio, vel alio colore conſcribi ſolerent, ac nunc iuris civilis Codicibus conſcribantur. Hanc rationem reddunt Juriſconſulti omnes, à quibus proferendis in re notiſſima, & omnibus obvia abſtineo.

260. *Aſtuta &c.* Quare aſtutam nuncupet, inde factum reor, quod ſæpe malè & in fraudem adducatur, detorto legis ſenſu, ac intelligentia, quo verba in ſuam trahant ſententiam, & ipſi Judici, juſtitiaque illudant. Crederem tamen poeticè rubricam poſitam pro ipſa præcisè lege, imò pro quacumque lege

 dictam,

Regula, quam centum Flacci, doctique Marones .
Hæc, Pete, ne pereant, ſcribes in marmore; ſed jam
Sera eſt hora, domum repetas, cras cætera diſces.

FINIS.

NOTÆ.

dictam, ideſt partem pro toto, quod apud Poetas frequentiſſimum, & elegantiſſimum eſt.

261. *Centum Flacci &c.* Apud Latinos Flaccus Principatum obtinuit inter Lyricos, Virgilius inter heroicos Poetas, & ſic nobiliſſimos nominavit. Tacitè tamen quoſcumque alios propoſuit, qui ſibi famam ex poeſi immortalem demeruere, ac nomen ſuum illuſtre apud poſteros propagarunt. Hæc omnia conſueta elegantia, & nitore expoſita; de cætero ſenſus clari ſunt, imitatio meliorum authorum perſpicua. Notam claudo; nam *Hora* forſan *ſera eſt*, plura in ſequenti Satyra *diſces*.

FINIS.



SATY-

SATYRA SEPTIMA.

ARGUMEN. Iterum flagro manus admovet Sectanus, frangitque datam in anteriori Satyra fidem. In cauſa eſt perfricta Calabri frons, & inaudita petulantia; quam deprehendit, & acriter proſequitur modò in Prætorio, modò in Theatris, modò etiam in Baccanalibus ad Viam Flaminiam; Hinc anſam arripit moderna Scęnica pulcherrimè deſcribendi, & deliramenta perſonarum, luxumque, ac laſciviam Juventutis lepidè inſectandi. Pulchra paſſim, ingenioſa, necnon utilia reperies.

SEd non Aſcræo ſuſpendi nablia trunco,

Vela-

NOTÆ.

1. *Sed &c.* A propoſito nullatenus in futurum ſcribendi Satyras Latinas recedit Sectanus, & ſeptimam aggreditur emphaticè, quaſi iracundus, ac otii, ſilentiique dudum ſerva

 pœni-

pœnitens. Novam igitur Satyram ingreditur per particulam *Sed*, quæ, ſive concipiatur per modum incipientis, aut certè ad diverſa tranſeuntis, ut apud Terent. in Andr.

Sed Pamphilum exanimatum video:

Seu per modum conjunctionis diſcretivæ, ſive adverſativæ, certum eſt maximam efficaciam huic loco tribuere; quippe abſolutè incipit, & quamdam reticentiam ſupponit, de qua rectè Plutarch. in Platonic. quæſt. *Dat apoſiopeſis orationi vim, et emphaſim majorem:* Ut obſervare contigit in expreſſa Virgil. Æneid. lib. 1. verſ. 139.

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

1. *Aſcræo &c.* Aſcræum truncum pro lauro poſitum eſſe minime hæſitandum eſt: Lauro vox hæc tributa fuit ab Aſcra Beotiæ vico in dextra parte Heliconis, Heſiodi patria. Hiſtoriam, ſeu potius fabulam pando. Ortus apud Aſcram Poeta ille celeberrimus, quem à pueritia paſcendis ovibus addictum Muſæ poeſim docuere, unde dixere Dio Chryſoſt. Orat. 77. *Muſarum μαθητὴν, diſcipulum*, & Libanius in Prog. μουσόληπτον, & de eo loquens idem Dio Orat. 1. affirmavit; *Paſtorem alium in monte quodam Beotiæ Muſas ipſas audiviſſe.* Alias porrò Ovidius 6. Faſtor.

Ecce Deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Aſcræas cum ſequeretur oves &c.
Non mihi ſunt viſæ Clio, Clioſque ſorores
Servanti pecudes vallibus Aſcra tuis.

Scientiam autem hanc ſola traditione laurei rami, ſeu potius laureæ coronæ impoſitione eidem tribuere: De primo teſtatur ipſemet Heſiod. in Theog. καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον, *& mihi ſceptrum dederunt, lauri perviridis ramum*; confirmantque Dio Chryſoſt. Orat. 55. παρὰ τῶν Μουσῶν ἔλαβεν ἐν δάφνης ὄζῳ τὴν ποίησιν: *A Muſis accepit Poeſim in ramo lauri*, nec non Virgil. Eclog. 6. verſ. 69.

Hos tibi dant calamos (en accipe) Muſæ,
Aſcræo quos ante ſeni.

De corona ſcribit Symm. epiſt. 47. lib. 1. *Niſi forte in Sylvis Apolline concionaris, ut ille Paſtor Heſiodus, quem Poetica lauru Camœnalis familia coronavit.* Ex quibus innoteſcit ſenſum veterum ſcriptorum fuiſſe, ut infuſa poeſis ſcientia donatus fuerit ex lauri traditione, hauſtamque ſententiam ex eo, quod opinio

inva-

invaluerit (de qua Lycophron) commeſta lauro hominem ſacrum, & initiatum Apollini fieri; & Numine inflari; habetque Juvenal. Satyr. 7. verſ. 19. ibi:

Laurumque momordit.

Hinc & vates frequenter δαφνίφαγοι nuncupati. Si autem vetuſtiorem hujuſcemodi doctrinæ originem inquiramus, ſuccurret ſtatim arborum religio, qui pro ipſis templis habebantur, ubi numen habitaret, & coleretur, docente Plin. lib. 12. cap. 1. *Hæ fuerunt Numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant*; cui conſonat Maximus Tyr. Serm. 38., ubi de Celtis, *Simulacrum Jovis apud Celtas eſt quercus alta.* Imò & cuique Deo ſua arbos, ut author idem Plinius, puta, *Jovi eſculus, Apollini laurus, Veneri myrtus, Minervæ olea, Herculi populus &c.* In lauro ſiſto, quæ idcircò dicitur Virgil. 3. Æneid.

Laurus Dei.

Hinc ad rem Ovid. 2. de Art., vbi de Apolline, qui ſibi apparuit:

In manibus laurus, ſacris inducta capillis
Laurus erat; vates ille videndus adeſt.

Et Anacreon.

Ἱερὸν γάρ ἐστι Φοίβου
Κιθάρη, δάφνη, τρίπος τε
Eſt enim ſacra Phœbo
Cithara, Laurus, & Tripus ſimul.

Hæc autem ſuperſtitio ita hominum mentibus invaluit, ut etſi poſtmodum templa ædificari cœperint, nullum tamen ſine arbore Dei conſtructum fuit; & arbor ipſa in templis, ſive ipſis proxima conſtituebatur; Et quidem Eurip. in Androm. narrans Neoptolemi necem in templo Apollinis patratam, inſidias, ait, ei conſtitutas ad laurum ibi ſitam. Verba Tragici ſunt:

Ut ante oraculum
Precaretur Phœbum. Erat verò inter iſta holocauſta
Ubi clam poſitæ erant armatæ inſidiæ
Lauro obtectæ.

Et alibi in eadem Tragœdia de Paride:

Quando ipſum apud divinam laurum
Clamavit Caſſandra occidendum.

Imò arbos ipſa majori ſanè veneratione, quam templum ipſum

culta, ut diſcimus ex hiſtoria Sulpitii Severi in vita S.Martini cap.10. narrantis, quod *dum in vico quodam templum antiquiſſimum diruiſſet* (Martinus) *& arborem pinum, quæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere, tum verò Antiſtes loci illius, cæteraque gentilium turba cœpit obſiſtere; et cum iidem illi, dum templum evertitur, imperante domino quieviſſent ſuccindi arborem non patiebantur: ille eos ſedulò commonere, nihil eſſe religionis in ſtipite.* Adde Phœbo lauream coronam tribui ex Oppian.lib.1. Cyni: illum dicente, *Φοῖβον δαφνοκόμην, Phœbum lauro redimitum*; eaque coronari ſolitos Poetas Apollini charos, & Phœbo plenos, quemadmodum datur intelligi ex Papin. lib. 1. Achill., ubi eleganter celebravit Domitiani caput lauro imperiali, & poetica inſignitum. Mitto plurima exempla, quæ ultrà ſobrietatem ſuppetunt de laurea poetarum corona, quæ eorum propria, quamvis extraordinariè aliis aliarum arborum ornatos fuiſſe aliquando legamus, uti ſunt, Querna præmium Capitolini certaminis, nam quercus Jovi Capitolino ſacra, in cujus honorem ipſe agon inſtitutue: Mart. lib.4.epig.54.; Oleacea Albani ludi in honorem Minervæ à Domitiano inſtituti, uti narrat Tranquill. cap. 4.; Palmea apud Auſon. dicentem:

Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Myrtea pro poetis amatoria canentibus, uti ſunt Elegiographi, Lyrici &c., & denique ex Apio teſte Virgil.Eclog.6., ubi de Lino Apollinis filio; ad quem locum exertim Servius inquit, in Nemeo Agone, qui in honorem Archemori inſtitutus eſt, ſpeciatim *apio coronantur Poetæ*. Sententiam Sectani ex his colligo eam fuiſſe, ut rectè, optimèque dicantur nablia ſuſpenſa lauro, utpotè arbori Phœbo Poetarum Deo ſacratæ, ipſiſque Poetis ſummopere veneratæ, & in pretio habitæ.

1. *Nablia &c.* Naulia, non nablia dicit Pignotius de ſerv., dubitanterque cenſet hæc muſica inſtrumenta fuiſſe cymbalorum figura, in opinionem ductus ex loco Ovid. lib. 3. de arte Aman.

Diſce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.

Nam ſimili more cymbala quatiebantur, & ſimul comploſa, & concuſſa ſonitum edebant, tinniebantque, ambabus manibus apprehenſa, nam erant manubriata, vel anſata in extima convexi-

Velatiſque comis ad Pimplæ flumina dixi

Gran-

NOTÆ.

vexitate: Sanè tinnitus hujuſmodi inſtrumentorum proprius fuit teſt. Catull. de Nupt. Pel. & Thet., Virgil. lib. 1. Georg., Ovid. lib. 3. Faſtor., & lib 3. Metam., Apulejo lib. 8. Metamorph., Arnob. lib. 7., & tandem Apoſt. 1. ad Corinth. 13., ubi ait: *Factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Par tamen eſt credere plurimum nablia, ſeù naulia à cymbalis differre, ſaltem in ſonitu, nam nequam ad utraque accomodari poteſt Ovidius, qui illa dulcibus convenientia jocis nuncupat, hæc ſtrepentia facit, ut & reliqui jam adducti; Alii in aliam abeunt ſententiam, nablia ad pſalterium referendo, quod duplici pectine manibus repercuſſum in chordis ſonum emittit lætum, & jucundum jocis, & hilaritati convenientem: His adhæſit Sectanus, qui chordarum meminit, & quidem ſi res benè perſpiciatur, minimè hæc ſententia Ovidio averſatur, quandoquidem ambarum manuum percuſſionem ſupponit, quæ etiam cum pectine poteſt eſſe vera; At quiſque in ſuo ſenſu abundet; in re obſcuriſſima, minimique momenti nil diſputare juvat.

2. *Velatiſque comis &c.* Capitis velatio ad ſacra pertinet; eam in uſu fuiſſe tam Latinis, quam Græcis in confeſſo communiter apud Authores, qui conveniunt in eamdem ſententiam. Habes Plautum in Amphit. act. 5. ſcœn. 1.. *Invocat Deos immortales, ut ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto*; & in Curcul. *Quis eſt hic, qui operto capite Aeſculapium ſalutat.* Virgil. Æneid. 3. verſ. 405., apud quem Eneam ſacrificaturum docet Helenus, prius quam aras attingat, caput velandum operimento purpureo.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Inde mira blandiendi illa à Vitellio excogitata ratio, de qua ſic Sueton. in ejus vita: *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæſarem adorari, ut Deum inſtituit: cum reverſus ex Syria, non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato:* Originem moris ab Ænea emanaſſe tradunt Feſtus, Plutarchus, & Publius Victor; Hiſtoriam narrat Virgil. Æneid. 3., ex quo fortè referunt

alii;

alii, autumantes ex ſic inſtituto ritu uſum latè, & ſucceſſivè propagatum Italis: *Indè poſteris traditum* (ſunt verba P. Victoris in Breviar. Hiſt. Rom.) *morem itâ ſacrificandi, ut ſcribit M. Octavius*. Audiendus eſt Sueton., qui in lib. de Gen. Veſtim. ſcripſit tria genera pileorum fuiſſe, quibus Sacerdotes uterentur, apicem, tutulum, galerum: Apicem, pileum ſubtilem circà medium virga eminente; Tutulum pileum lanatum metæ figura; Galerum, pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ. Benè igitur animadvertit Lipſius lib. de Amphit. cap. 19., Romanos olim aperto ſemper capite fuiſſe, & fuiſſe ſolum quinque tempora, in quibus jus tegendi eſſet, videlicet ſacra, ludos, ſaturnalia, peregrinationem, & militiam: Sacris tantum inhæreo, nam aliis aliæ rationes favent, quæ minime nobis arrident, & à noſtro ſubjecto prorſus alienæ ſunt. Nolim tamen affirmare, an indiſtinctè apex, tutulus, & galerus Sacerdotales in re ſacra adhiberentur; dubium facit Fulgentius, & confirmat Turneb. lib. 26. cap. 10. tradentes amictum, quo ſacerdotes ſacrificaturi velabant caput apud Gentiles, tutulum nuncupari, eſſeque pallium hujuſcemodi ſic dictum, quod eo capita tutarentur; Addo duplex Livii teſtimonium, primum lib. 10., ubi de Augure: *capite velato victimam cædat, augurium ex arce capiat*; ſecundum lib. 1. *Augur capite velato ſedens capit dextra manu baculum ſine modo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt*. Facit & Arnobius lib. 3., ubi de diverſitate rituum inter Deos Gentilium ait: *Etenim ſi hic atram, ille albam deſiderat pellem: huic capite velato, illi ſacrificandum eſt nudo*. Intelligit fortaſſe de tribus Diis, quibus ſacrificabatur aperto capite: Honore ſcilicet, de quo Plutar. in *Αἰτίοις*; Hercule, cujus meminit Herod. Halicarn. lib. 1., & Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 6. ex Cornel. Balbo; & Saturno, ut teſtatur idem Plutarch. loc. ſtatim citat: Ad Græcos tranſeo, & advoco Herod. lib. 6., apud quem quidam ſacra facturus, immolaturuſque Jovi bovem inducitur *κατακαλυψάμενος, velatus*. Nec inficiabor diverſam fuiſſe apud has gentes hujuſcemodi ritus conſuetudinem, quia ex narratione Æliani lib. 3. variar. hiſt. cap 3. ſatis colligitur Græcos interdum corona in ſacris uſos pro tegumento. Nam Xenophonti rem divinam obeunti, cùm Nuntius ex Mantinea dixiſſet filium ejus Gryllum vitâ defunctum: ille ſolum *ἀπέθετο τὸν ςέφανον, διετέλει καὶ θύων, coronam depoſuit, perſtititque in ſacrificio*.

Grande ſacramentum; poſitas ut ſumere chordas
Eſſe

NOTÆ.

cio. Cum verò adjeciſſet Nuntius illum mortuum, ſed victoria adepta, rurſum ἐπέθετο τὸν στέφανον, *coronam ſibi impoſuit*: Contrariam ſententiam ingerit Scoliaſtes Pindari, cujus hæc ſunt; *ſinè ullo tegumento in capite: hic eſt mos ſacrorum*; quam intrà certos alicujus Provinciæ, ſeu Civitatis limites vellem exciperes, nam univerſim id minime actum probant recenſita monumenta. Mitto reliquas gentes; Romæ ſiquidem ſcripſit Sectanus, Romanum morem, quem ſatis firmavimus, tetigit; Appoſite igitur velatum inducit, cum ante aras, vel in ſacro loco jurantem dicit. Pergo ad reliqua.

2. *Ad Pimplæ &c.* Ideſt ad fontem Pimplæum ad radices Montis Pimplæ, Muſis cum ipſo fonte ſacrum in Thracia ſitum.

3. *Grande ſacramentum &c.* Sacramentum nec in antiqua Ethnicorum ſignificatione, pro pecunia à duobus contendentibus apud Pontificem ea lege depoſita, ut qui ſponſionem viciſſet, ſuam integram auferret, victi pecuniam ærario vendicarent, prout docet Varro lib 4. Ling. Lat., ſicuti nec pro ſigno rei ſacræ, ut noſtri Theologi dicunt, accipio. Juſiurandum tantum intelligo, de quo Veget. de Re milit. lib. 2. *Milites jurare ſolent, & ideò militiæ ſacramenta dicuntur. Jurant autem ſe omnia ſtrenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam pro Romana republica.* Religio porrò ea in juramentis fuit, ut tantum ad ea uſurparentur, vel quæ religioſa ſunt, vel quæ chariſſima. Religioſa, nam juramento cenſuerunt reddi cultum Diis; chariſſima, nam ita indicabatur amor; Ad prima refer Virgil. Æn. 9. verſ. 207.

non, ità me referat tibi magnus Ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis hæc aſpicit æquis,

Plutarch. qui in Demoſthene formam juramenti hanc adhibet; μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμοὺς, μὰ νάματα; *per terram, per fontes, per fluvios, per latices*. Virg. 9. Æneid. verſ. 429.

Cœlum hoc, & ſydera conſcia teſtator.

Sophocl. in Antig. ubi Rex Creon. Cœlum obteſtatur; δὶ Ὄλυμπον, & Greg. Naz. orat. 27. de Ethnicis loquentem; *Eru-*

beſce-

Eſſe nefas credam. Faciles ignoſcite Muſæ,

Si

Notæ.

beſcerem quidem Cœlum, & terram, quæ veteribus atteſtari moris erat; Ad ſecunda autem Virgil. Æn.7. verſ.234.

Fata per Æneæ juro, dextramque potentem:

Et 2. ejuſdem verſ.431.

Iliaci cineres, & flamma eſtrema meorum,
Teſtor.

Propert. lib.2. eleg.20.

Oſſa tibi juro per matris, & oſſa parentis.

Et Briſeid. apud Ovid. in Epiſt.

Perque tuum, noſtrumque caput, quod junximus una
Juro.

Sed hæc jam alii libarunt, ideoque majorem ſegetem omittimus. Mori, ut vides, veteri adhæſit Sectanus, dum juramentum protulit ad fontem Pymplæum; Omnes enim aquæ Ethnicis fuere ſacræ, ſed huic ſpecialis religio, quia Muſis dicata, idcircò poetarum juramentis convenientiſſima.

3. *Poſſias ut ſumere &c.* Quam religioſè iuramenta ſervarentur, collige ex Virgil. lib.12. Æneid. verſ.205., ubi poſtquam Æneas fœdus cum Latino iniviſſet, pacemque juramento firmaviſſet, ſubdidit.

Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens, cœlumve in tartara ſolvat.

4. *Faciles &c.* Exorabiles, & ad ignoſcendum promptas, ut de Nymphis dixit idem Virg. Georg.4.verſ.535.

Faciles venerare Napæas.

In eodem ſenſu Terent. in Haut. *Mihi ſi unquam filius erit, nec ille facili me utetur patre?*

Iterum Virgil. Eclog.3. verſ.9.

Sed faciles Nymphæ riſere ſacello.

Theocrit. id. 5. Nymphas vocavit ἱλαῶς, καὶ ἀμερίας *hilares, & benevolas*; optant nimirum ſub perſona paſtoris, ut mites ſibi fierent. Quo ſenſu etiam Martial.lib.1.Epigr.104.

Riſerunt faciles, & tribuere Dei.

Et

Si ſtrictis iterum cogor ſævire flagellis;
Nec ruptæ fidei me poſtulet actio, quando
Invito extorquent aliena piacula carmen.
Poſtremum cecini, fateor, Philodeme, laborem;
Atque ignava diù pacarunt otia dextram,
Ut melior fieres calamo parcente; ſed obſtant
Natu-

NOTÆ.

Et lib.12. Epigram.5.

Et date, quæ faciles vix tribuere Dei.

6. *Nec ruptæ fidei &c.* Itaut ſenſus ſit; licet ulterius Satyras non ſcribere propoſuerim, non ideò iuravi; ſed etſi juraſſem, non tamen uti perjurus arguendus, aut puniendus eſſem; nam neceſſitate ductus, & ex juſtiſſima alienorum criminum vindicandorum cauſa motus calamum denuò ſumpſi. Forſan ob oculos habuit cap. querelam de jure jurando, quo loco Alex.2.Epiſt. ad Epiſc. London., & Vigorien. ſcribit minimè ulla pœna multandum, qui neceſſitate, non voluntate venit contra licitum juramentum, ſeu potius civilia jura ex ff. qui ſatis cog. l. ult., qua dicitur non dejerare, qui ex juſta cauſa deſerit juramentum.

7. *Invito extorquent &c.* Quo ea corrigantur, & reprehendantur. Huc facit doctrina S. Auguſt. de verbis Dom. *Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda ſunt;* nam, ut inquit Caſſian. 3. Epiſt., *Malum ſi perſeverat augetur, & remediabile bonum eſt in peccato, accelerata correctio;* Unde bene S. Hieron. in Epiſt. *Altius vitiis indormientes aſperius inclamare neceſſe eſt.*

9. *Atque ignava diù &c.* Ideſt, otioſus diù permanſi in hoc opere proſequendo; hinc eleganter dictum otia ignava pacaſſe dextram, quaſi eam dudum in aſſidua actione verſatam, tanquam à pugna ad pacem, & otium revocatam ſcripſerit; nam pax è bello naſcitur, è pace otium.

10. *Ut melior fieres &c.* Fortaſſe ad ſenſum S. Greg. *M.* in Paſt. *Nonnunquam, qui in flagellorum duritiem remanent incorrupti, dulci ſunt admonitione mulcendi: nam plerumque quos*
cru-

Natura, & nati patrio ſub ſydere mores,
Coctaque præſertim Calabro præcordia limo:
Utque

NOTÆ.

cruciamenta non corrigunt levia blandimenta compeſcunt. Ni potius inſinuare voluerit meliorem eum futurum ſe ſperaſſe, dum ab ulteriori correptione, ſatyraque abſtineret, ex timore gravioris increpationis.

10. *Sed obſtant &c.* Incipit cauſas novæ Satyræ proferre: & primò naturam, & mores Patrios, quaſi diceret, ingenitos, & patrio ſolo infixos.

12. *Coctaque &c.* Animum intelligit, ex imit. Perſ. Saty. 5., ubi præcordia pro animo poſuit, inquiens.

Tibi nunc hortante camœna
Excutienda damus præcordia.

Ex quo, quæ animo inhærent vitia, hoc vocabulo etiam ille nuncupavit Saty. 1. verſ. 116. adducens Horatii exemplum, qui amicorum mira ſolertia intima vitia etiam jocando perſtrinxit.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Quod translatè dictum eſſe indubitatè affirmandum; nam præcordia, propriè loquendo, ſunt partes laterales nothis coſtis ſubjectæ, hepati, & lieni ſuperjacentes, cordi proximiores. Quoniam autem ex veteribus nonnulli mentis ſedem in corde collocarunt (quod tamen ſecus habet) factum eſt, ut cor pro animo, ſive mente poſitum inveniamus; idque aliquatenus reſpondet cuidam noſtræ, viſitatæque loquendi conſuetudini, qua dicimus *havere a cuore*, & ſimilia, licet impropriè ea ſic pronunciemus. Cùm igitur præcordia jam intimè cordi adhæreant; inde puto factum, ut pro intima parte, eaque præcipua ſumpta, accomodentur ad indigitandum, ſeu virtutes, ſeu vitia, quæ homini intrinſecus profundè inhærent. De vitiis vidimus, idem de virtutibus explicandum ex Virgil., qui ad animi vigorem, & bellicam virtutem refert.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

12. *Limo*

Utque ea prætercam, quæ non ſunt crimina noſtra,
Quæque

Notæ.

12. *Limo &c.* Videtur reſpexiſſe notiſſimam fabulam Ovid. lib. 1. Metamorph., qua Prometheus Japeti filius fingitur hominem è limo efformaſſe, eoque operante,

Sic modo quæ fuerat rudis, & ſine imagine, tellus
Induit ignotas hominum converſa figuras.

ſeu melius ſacratiſſimam Moſis hiſtoriam, qua docemur 2. Geneſ., quod *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Ex relatione porrò ad primam hominis creationem, dixit limum cum reſpectu ad hominem noſtrum, pro quo rectè diſtinctivum addidit, eum Calabrum nuncupando.

13. *Utque ea prætercam &c.* Proponit ſibi tacenda ſtatutum eſſe illa vitia, quę à natura corrupta procedunt, uti ſunt pronitas ad malum, imbecillitas animi, & ſimilia, quę virtute ſuperantur, tantumque ſe de iis loquuturum, quę à malitia, & prava voluntate derivant.

13. *Non ſunt crimina noſtra &c.* Tangit doctrinam Catholicam, quam docet S.Tho. 1. 2. quęſt. 81. art. 1. & ſeqq., nam procul dubio intelligit pro peccatis non noſtris peccatum primi parentis, quod traductum per originem in poſteros, dicitur originale; & eſt inordinatio quędam in homine ex Adam generata non voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur; differtque ab inordinata voluntate animę movente membra ad actum; unde peccatum dicitur actuale: Secundi generis culpas tantùm perſequi velle videtur Author, non primi, quæ nuncupat non noſtra, quippe ex traduci, nec actu commiſſa; puta concupiſcentiam, quæ eſt reatus originalis peccati ſecundùm Auguſt. lib. 1. cap. 15. retract., & defectum juſtitię originalis, qui maximè inter potentias animæ voluntatem reſpicit, quæ primam inclinationem habet ad peccandum; ita tamen ut ſpecialiter originalis peccati infectio ad potentiam generativam, vim concupiſcibilem, & ſenſum tactus pertineat.

14. *Quæ-*

Quæque puer miſero ſorbillat ab ubere matris.
15. *Oſſea me terret facies, quocumque lapillo*
Du-

NOTÆ.

14. *Quæque puer &c.* Ideſt, pravam educationem, quæ ad malum ab ipſa infantia conſtanti quadam peccandi conſuetudine impulit, quippe *ut quiſque audit, movetur*, ex Quintilian. lib. 21. qui jam monuerat lib. 1. *Nè ſit vitioſus ſermo pædagogis, & nutricibus, quos ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit; certè quantum res pateretur, optimos eligi voluit, natura enim tenaciſſimi ſumus eorum, quæ à pueris diſcimus, et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt.* Colligo ſenſum, ita ut is ſit, non ſibi loquendum, neque de vitiis, quæ à natura derivata ſunt, neque de cæteris, quæ peſſima ſuorum educatione hauſit; forſan etiam de illis, quæ corporis defectus, ac infirmitates tangunt, quæ in filios per parentes propagantur quandoque.

14. *Sorbillat &c.* Sorbillare eſt minutim, & paulatim ſorbere, uti faciunt pueri lac ex uberibus maternis exſugendo: Ad cyathos refert Terent. in Andr. *Cyathos ſorbillans paulatim hunc producam diem.*

15. *Oſſea me terret &c.* Duplicem admittit ſenſum hic ſermo: vel enim intelligit de facie emaciata, ita ut vix pellis oſſa contegat, carne penitus nudata, & planus, clarusque eſt, conſonatque Plautino illi in Aulul. act. 3. ſce. 6. verſ. 28.

Qui oſſa, atque pellis totus eſt, ita cura macet:
Quin exta inſpicere in Sole jam vivo licet:
Ità is pellucet, quaſi laterna Punica.

Vetus verbum fuit, quod παροιμιωδῶς jactatum eſt in macilentos: *Oſſa atque pellis eſt*; Idque omninò ſervant Itali, qui de homine hujuſcemodi dicunt: *Non hà altro, che oſſa, e pelle*: Veteres autem Latini *Scutilum* dixerunt, qui totus eſſet oſſa, & pellis, ut docet Feſtus; vel metaphoricè loquitur, & oſſeam faciem nuncupat, quaſi protervam, impudentem, & inverecundam, qualemque Itali habent in Proverbio: *Ha una faccia toſta da ſaſſate.* In ſimili habes Plaut. in Milit. act. 2. ſce. 2. *Os durum, & impudens*; Cic. in Piſon. *Os ferreum*: plurima ſimilia ab aliis enun-

Durior, & ſilice, & chalybe, invictoque adamante.
Hanc ſi mille fabri, nudúſque incude Pyracmon
Tun-

NOTÆ.

enunciantur, quibus, quia paſſim obvia, abſtineo. Quare autem faciem hanc timere ſe dicat Author, item ad duplicem cauſam referendum eſt, quandoquidem omne macilentum turpe eſt, & ex turpi terror, ut plurimum, oritur: eodem modo ſi ad inverecundiam, & impudentiam referatur, inde terrere dici poteſt, quod hominem ad quodcumque facinus promptum, & idcircò timendum indigitet. Licet autem uterque ſenſus verbis accomodatus ſit, ſecundùm tamen veriorem cenſeo ex ſequentibus.

15. *Quocumque lapillo &c.* Proſequitur in eàdem metaphora, & animadvertens quanta in ejus *facie*, *vultuque vecordia*, & inverecundia *ineſſet*, ut ſcripſit Cicero de Catilina, eam comparat calybi, ſilici, atque adamanti. Velim animadvertas, erudite lector, quanam polleat arte in dicendo noſter Satyricus: Philodemi inverecundam faciem comparat alicui rei, cui ſenſus non ſit, eidemque ſua duritate repercuſſis ictibus refraganti lapidi æquiparare ſtatuerat, at quia novit lapidem ſaxo mitiorem, & teneriorem eſſe, auxit ſtatim dictionem, & ad ſilicem tranſiit, qui eſt lapis durus, ex quo ignis elici ſolet; nec hoc contentus ultimo loco adamantem poſuit, qui duriſſimus eſt lapis, uti docet experientia, & ex ipſo nomine patet, quippe ab *α* privativa, & *δαμάζω domo*, quaſi indomitus, derivatur: ſic non ſolùm *ταυτολογίας* vitium effugit, ſed conceptum ſermonem efficaciorem, quaſi per gradus nobiliſſimæ, ejuſdemque admirabilis ſignificationis reddidit, ac ſi dixiſſet duriorem non tantùm lapide, ſed ſilice, imo & ſolidiſſimo adamante.

17. *Hanc ſi mille fabri &c.* In eàdem metaphorà perſiſtit, & ut fortius propoſitam duritiem, & effrontem petulantiam inſinuet, innuit, quod etſi ſtuderent mille fabri, ac etiam plures non cruſtam, ſed minimam favillam excutere malleorum, & ſcalprorum ſepius inflictis ictibus oleum, & operam perderent, fruſtraque labores inſumerent.

17. *Fabris &c.* Faber nomen genericum pro quocumque artifice, qui ex dura materia aliquod opus conficit, puta ex fer- ro, lapide, auro, argento, ligno &c., unde faber ferrarius, faber aurarius, & ſic de ceteris: Horum plurima collegia Romæ fuiſſe oſtendunt vetera monumenta, quorum, lata ſeges apud Gruterum, ex quibus unum addo, ut aliqua ex parte ſen- tentiam confirmem ex pag.261. num.4.

FAVSTINAE . AVGVSTAE .
MAGISTRI . QVINQVENNALES . COLLEGI. CORP . FABRVM.
FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOR. ET. CENTON. LVST. XXVII.
T.OVINIVS . T. F. THERMVS . L. FVSCIVS . Q. F. SABINVS.
F. L. ANTIDIVS. SEX. F. EROS. C. FVLVIVS. C. NIGRVS.
Q. CASSIVS. P.F. ALBINVS. MAGISTER. ET.FLAMEN.QVINQVEN
L. CHRISCIVS. L. F. VENVSTVS. SEX. MAETIVS. SEX.F. VERVS.
D.D. KAL. IANVAR.
C. MANILIO . TORQVATO . ET. CORNELIO . MESSALINO . COS

17. *Nuduſque incude &c.* Sumit pro aliquo ferrario, fabro, ſeu malleatore: Imitatio autem eſt ex Virgil.8.Æneid.verſ.424.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.

Hi miniſtri fuere Vulcani in ferraria: Meminere hujuſcemo- di Cyclopum Silius lib.4., Callimach. in Hymn., Nonn. lib. 29. Dat his Heſiod. ὑπέρβιον ἦτορ *violentum animum*, ut duri operis miniſtris. Indè illi Dii Ethnicorum, ut Vulcanus. Nam Cyclopum aram Pauſanias nominat lib.2. Pyracmonem nominatim habet Claudian.3.Honor.

Brontes innumeris exaſperat Ægyda ſignis
Altum fulminea criſpare in caſſide conum
Feſtinat Steropes, nectit thoraca Pyracmon

Et lib.1. Rapt.

Nullum tanto ſudore Pyracmon,
Nec Steropes conſtruxit opus.

18. Tan-

Tunderet, exiguam libarent ſcalpra favillam.
Scilicet hac fronte, hac durâ cervice ſubiſti
Ædilem, & timidis intrà Prætoria talis

Clam

Notæ.

18. *Tunderet &c.* Eſt percutere; & ad incudem refertur, habetque vehementiſſimam efficaciam, ex Proverbio notiſſimo: *Tundere aſſiduè eamdem incudem*, quod Italico reſpondet. *Battere il ferro, quando è caldo*; Pro eo, quod eſt, indefaticabili aſſiduitate in operis alicujus laboribus perſeverare. Ex translatione à malleo fabrorum, ſæpè percutiente dixit Plaut. in Pœnul.

Pergin aures tundere

Ideſt: obtundere, ſæpè idem repetendo.

18. *Exiguam libarent &c.* Ne quidem ignem eliderent, licet in ſilicibus levi chalybis tunſione eliciatur. Huc refer quæ diximus lib. 1. Satyrarum de varietate ſententiarum circa ignem in ſilice latentem, an ſcilicet ſemen ejuſdem ſit in ipſo lapide, & prodeat ad ictum chalybis, an verò generentur ſcintillæ ex aere, qui incenditúr ad ictum violentum.

19. *Scilicet hac fronte &c.* En potiorem, ſummamque novę Satyræ cauſam; Ante judicis ſecretum tribunal ſtetit Philodemus Sectani accuſator, & quia hominem non noverat, in crimen falſus delator vocavit quatuor, à quibus ſibi timuit, utpotè excellentis ingenii, atque eruditionis.

19. *Subiſti &c.* Ideſt Ædilitiam domum ingreſſus es: Porrò Ædilis, idem ac alibi Prætor, de quo in not. ad lib. 1. Quod ad Ædilis nomen, & poteſtatem attinet, audiendi Lipſius de Magiſt. Pop. Rom. cap. 12. Raphael Volat. Comm. Urban. lib. 29., Janus Gulielm. de Magiſt. Pop. Rom. cap. 11., & alii plures.

20. *Et timidis &c.* Ut turpidinem uſurpati exercitii decebat; hujuſmodi ſiquidem delatores maximè ad evitandam infamiam curant, ne agnoſcantur, ideoque ſecretè, & ve plurimum, noctu Judicem adeunt taciti, & timidi.

20. *Intra Prætoria &c.* Quam paulò antè Ædilitiam, nunc Prætoriam domum nuncupat, videlicet eam, in qua habitat,

Clam nocte ingreſſus, leges, jura omnia clamas,

Ever-

Notæ.

Vel ius dicit Prætor. Eamdem denominationem habuit locus, quo Patres, & Populus ob Rempublicam ritè adminiſtrandam convenire ſoliti erant, ut ex vet. inſcript. apud Grut. pag. 168. 4.

IVL. NEMESIVS. VICE. M. AVRAEL.
IMP. SACRA. BETICAM. GVBERN. PRAETORIVM.
IN. VRBE. MVNDA. QVO. PATRES. ET. POP. OB REMP.
RITE. ADMIST. CONVEN. FIERI. MAND.

ex qua habet non ſolùm Romam, ſed alias Civitates habuiſſe ſua Prætoria, nam *non ſolùm veteres*, ut Aſcon. 3. in Verrem ait, *omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus Prætorem appellarunt; ſed quemcumque in re prophana, ſiue etiam ſacra, Præfectum.* Hinc Ethruſci Prætores habuiſſe videntur inter ordinarios, & legitimos Magiſtratus, docente Spartiano in Hadriano: *In Ethruria Præturam Imperator egit; per Latina Oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit.* Eſt vetus in Italia inſcriptio apud Lipſium de Mag. Pop. Rom. cap. 10.

PRAETOR. HETRVRIAE
XV. POPVLORVM.

Suum Prætorem habuit etiam Hiſpania, affirmatque antiquum marmor ex Grut. pag. 315. num. 3.

H. M. M. H. M. N. S. F.
HERCVLIS. INITIATVS
QVIA. C. CALVVS. HISP.
PRAETOR. S. TANTVM. F.

Quæcumque igitur Urbs habuit Prætorem, habuit etiam Prætorium, ubi Prætor ius diceret.

21. *Leges, iura omnia &c.* Exclamas Leges omnes, fidemque

Everſamque fidem, ni vilis acinacis ictu
Sectanus pereat? Lata eſt ſententia. Lictor
I, properà, & tortà ad palum tere cannabe guttur.
25. *Sed quis Sectanus ſcriptor Satyræ? Unus, &*
alter

Argui-

Notæ.

que publicam everſam, ni de Sectano vindicta ſumatur, qui eas violavit, & turpi facinore læſit.

21. *Ni vilis acinacis &c.* At quæ ultio, quæ pœna? Mors, eaque infamis manu Carnificis, qui gladio reum feriat.

23. *Lictor &c.* Carnifex, quem nomine lictoris nuncupat ex veteri denominatione; Nam quamvis lictorum Collegia Romæ eſſent, ut ait Pedianus, ex quibus diligebantur, qui cum faſcibus Magiſtratus antecederent, & illorum juſſu plagas delinquentibus ingererent, ut teſtis eſt Livius lib.2. cap.55. Nonius tamen carnificis etiam officio functos antiquitus refert, unde Cic. Accuſ.7. *Janitor carnifex Prætoris, mors, terrorque ſociorum, & civium, lictor Sextius*; Livius lib.1. cap.26. narrat, quod Horatio laqueum injecerit. Ita ne quidem lictores cives fuere, ſed de ima plebe; quemadmodum habet idem Liv. lib.2. cap.55. *Quatuor & viginti lictores apparere conſulibus, & eos ipſos plebis homines:* nam carnificem Cenſoriæ leges non modò foro, ſed etiam Urbis domicilio carere voluerunt.

24. *I, propera &c.* Mittebantur ad ſimiles executiones antiqui lictores, quocircà apud Livium lib.2. cit. dicitur, *Lictor miſſus eſt a Conſulibus.* Philodemi ira in Sectanum mirum in modum inſinuatur, nam non ſimplex miſſio, ſed accelerata, & præceps, ad eum laqueo collo injecto turpiter interimendum.

25. *Sed quis Sectanus? &c.* Incertum de Authore etiàm poſt tantam pœnam procurante, & delatore Philodemo. Audiamus accuſatorem. Quatuor denunciat, quorum primus, uti inſinuant Satyræ verba, miniſterio Præfecti cubiculi alicujus Cardinalis addictus erat; Alter totus veterum, optimorumque pictorum tabulis inquirendis incumbebat; Tertius antiquorum

 num-

Arguitur, quorum nemo de fonte liquores
Caſtalio potare auſus, laurumque momordit.
Nempè hic addictus lucro non turpe putavit
Ferre jugum, & dulces pro libertate ducentos
Car-

NOTÆ.

nummorum, gemmarum, & marmorum ſtudioſus; Quartus demum ad leges, & jura cognoſcenda ſe penitus dederat; at horum nemo ne quidem primis labris latinam poeſim libaverat. Per partes illuſtrabo.

25. *Unus, & alter &c.* Videtur, quod Philodemus fuerit de Authore incertus, nam in deferendo non determinat perſonam.

26. *Quorùm nemo &c.* Ideſt, nunquam Poeſim profeſſus eſt, & carmina pangere faventibus Muſis calluit.

26. *Liquores &c.* Quibus epotis, utpotè muſis ſacratis, a'iquem fieri poetam cenſuere, quemadmodum alibi dicemus fusè.

27. *Laurumque momordit &c.* Ex imit. Juven. Satyra 7. verſ. 19.

Nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Scilicet eſt poeſi initiatus, & ſacer Apollinis vates factus, & laurum momordit, quæ manducata numine inflare credebatur. Sed de hac re ſatis ſupra dictum fuit.

28. *Nempè hic &c.* Per modum exceptionis quemlibet ab impetita accuſatione defenſat Sectanus: Quoad primum aſſerit omninò occupatum in ſupra enunciato miniſterio, quo lucrum ducentorum conſequatur. Crederem numerum certum pro incerto poſuiſſe, quod poetis frequentiſſimum eſt.

28. *Non turpe putavit &c.* Propriam libertatem pretio vendere: nam jugum, quod eſt propriè inſtrumentum ligneum, quo junguntur boves, & invicem arctantur, eleganter per metaphoram accipitur pro ſervitute, vel onere: Exemplum ex Cic. 1. Philip. *Patriæ liberatores urbe carebant ea, cujus a cervicibus jugum ſervile dejecerant.*

30. *Cocci-*

30. *Carpere, Coccineum patiens aptare Cucullum,*
Doctus

Notæ.

30. *Coccineum patiens &c.* Id ad miniſterium Præfecti Cubiculi Cardinalium pertinet; intellige veſtem maximam, quę Cappa nuncupatur; ei etenim aſſutus eſt cucullus, eàque Cardinales veſtire ad hujuſcemodi Officiales pertinet. Inquirenti mihi ejus cappæ originem minimè arrident ii, qui cenſent primo in clerum è monachiſmo traductam; eam ſiquidem unicam rationem minimè probo, quod ab initio forma, & colore propriis, & monacatui convenientibus fuerit inducta; pulla ſcilicet, & ad modum monaſtici pallii confecta, ac ſignum luctus, & pœnitentiæ fuerit judicata; quandoquidem ſæculo duodecimo eſurialibus tantum Quadrageſimæ temporibus eam veſtire fuerit ſeu in more, ſeu ex præcepto inductum viris Eccleſiaſticis in choro Divinæ Pſalmodiæ operam dantibus, Authore, ut putat Surius ad diem 16. Junii, S. Bennone Epiſcopo Miſnenſi, qui *primus pallio nigro lineæ veſti ſuperinjecto illos* (ſuos nempe Canonicos) *uti docuit, præcipuè eſurialibus Quadrageſimæ diebus.* Non arridet inquam; novi etenim ex Synod. Raven. can.4. ſæculo 14. habito, eadem alba uſos eſſe Clericos, ac etiam ſericea, ut habet Conc. Vaurenſe can.46.; quin non ſolis eſurialibus diebus adſcriptam, ſed etiam ſolemnioribus Eccleſiæ diebus a feſto Omnium Sanctorum ad Paſcha ex decreto Nicolai Tertii Summi Pontificis. Potius dixerim ab uſu, quem Clerus in vita civili ſervabat, derivatam; quandoquidem nequaquam, vt hodiè, fas erat Clericis geſtare veſtes apertas ab anteriori parte, ſed tantum clauſas, prout notant S.Bernard. de Conſid. lib.3., Conc.3., & 4. Lateran. Generalia, & plures Authores alii Eccleſiaſtici, quos mitto. Inde infero principaliter, & primo inductam ad Clericorum modeſtiæ proſpiciendum, ſimulque ad frigus arcendum, dum ſacroſanctis Myſteriis, & Divinæ Pſalmodiæ inſiſterent, quod comprobat indicatum Nicolai Tertii decretum, quo in hyemali tempore tantum ejus delatio præſcribitur; Aucta tamen poſtmodum amplitudine majori, & decore; verum color niger diu manſit, quandoquidem ſic con-

Doctus & ad Dominam digitos flexiſſe lacernam:
Ille ſolet veteres, & quas fuligo labellas
Commendat, totâ impatiens mercarier Urbe,
Callet

NOTÆ.

ceſſas Canonicis Baſilicæ Vaticanæ circà finem duodecimi ſeculi à Summis Pontificibus Innoc. III. apud Torrig. de Crypt. Vatic. ſecun. edit pag.328., & Nicolao III. confirmatas apud Rainaud.ann.1278.num.79.legimus in ipſis eorum conſtitutionibus; tantumque violaceas factas ann.1474. Nicolao V. annuente. Sic paulatim in veſtem religioſam cappa tranſiit, imò in inſigne, indiciumque honoris, & dignitatis Eccleſiaſticę. Canonicis tamen non univerſim tributa, ſed ex Pontificis privilegio aliquibus tantum inſignibus Eccleſiis, atque Cathedralibus. Epiſcopi ea indiſtinctè utuntur cum ſolemniter incedunt. Senatui Apoſtolico Cardinalium tributa, vel cum ſacris ceremoniis publicè aſſiſtunt in Pontificia Cappella, aut alibi, vel in Conſiſtoriis, & ſolemnibus equitatibus, aliiſque ceremoniis, ut ſatis notum. Veſtit, & bis in Anno Summus Pontifex videlicet in Anniverſario omnium mortuorum, & Feria 6. in Cœna Domini, eaque rubri coloris cum caputio pellibus zobellinis intus redimito, quia dies Eccleſiaſtici luctus, ad quem oſtendendum adhibent Cardinales violaceum, ſicuti & in diebus Veneris, invervigiliis, diebuſque quadrageſimalibus, & Aduentus Domini, quia pœnitentię, & mœroris ſunt.

31. *Doctus & ad Dominam &c.* Bayphius de vet. veſtim. putat, & benè probat lacernam eſſe propriè, cum de Eccleſiaſticis agitur, Cappam Magnam de qua ſupra, ductus authoritate Plinii lib.8.cap.25., qui apud veteres ità nuncupatam ait, veſtem exteriorem pluviæ, frigorique propulſandis accomodatam, quæ forma Cappæ magis, quam alteri veſti convenit. Quia tamen interpretatus ſum de Cappa præcedentem verſum, nec ignoro Lacernam poeticè ſumi pro quacumque veſte, etiam fœminea, intelligendum hic puto de veſte talari, quam Præfectus Cubiculi, dum Cardinales ſcalarum gradus aſcendunt

manu

Callet & artificem ſolo deprendere odore,
Sed Muſæ ignorat vel prima elementa Latinæ.
Num poterit ſacras ad plectra ciere Puellas,
Qui ſtatuas, Polyclete, tuas, culpatque labores
Pra-

NOTÆ.

manu decenter ſublevant, ut nullo impedimento incedant, tantoque magis illorum majeſtas niteat.

31. *Digitos flexiſſe &c.* Ideſt, manus aptare ad ſubſtinendam veſtem, quod non poteſt fieri, niſi digitos plicando, flectendoque.

32. *Ille ſolet veteres &c.* Alter, ut dixi, totus in conquirendis veterum pictorum tabulis incumbit, & earum Authores optime callere præſumit. Hæc maxima ejus occupatio, & negocium.

35. *Sed Muſæ &c.* Ulterius addit eum penitùs neſcire Latina carmina pangere. At, ſi vere hic vir ſit, quem fama plenis tubis vulgavit, æquitatis, & juſtitiæ amor me impellit, (quidquid ſit de latino carmine), ut fatear plurimum eloquentia pollere, ut plurima ejus opera adhuc edita, & ſtatim edenda ſuadent; ex quibus ulterius agnoſces non tam bonis artibus, quàm veteri, novaque, prophana, & ſacra Hiſtoria eruditum, ſed optimè in ſtudiis Philoſophicis, & Theologicis verſatum, ac multiplici eruditione, præcipuè circa ea, quæ ad Eccleſiaſticas regulas, & ritus pertinent, imbutum.

36. *Num poterit &c.* En tertium accuſatione Philodemica impetitum, antiquitatis ſtudiis totum addictum, quem ſatis excuſat à culpa nimia occupatio, qua in examinandis eruditis veterum monumentis incumbit, utì ſunt nummiſmata, marmora, & ſimilia, prout agnoſcere eſt ex doctiſſimis ejus lucubrationibus jam vulgatis, & totius Reipublicæ litterariæ commodo, ac incremento receptis.

37. *Qui ſtatuas &c.* Antiquariorum eſt dignoſcere excellentiam veterum marmorum, & ex opere ipſo, an à Græco artifice, vel Latino elucubrata fuerint, quid repræſentent, quam hiſtoriam, ſeu fabulam, cujus imaginem, quem ritum, quod myſte-

Praxitelis, penſatque manu fracta æra Corinthi?
Nec niſi cum ſculpta digitum Chalcedone veſtit,
Inque

NOTÆ.

myſterium exhibeant. Res hæc non minimi momenti, quandiù ſummam antiquæ Hiſtoriæ peritiam ſupponit, ad quam acquirendam irrequietus labor requiritur, & plurimum temporis impenditur.

38. *Fracta æra &c.* Ideſt, fragmenta ſtatuarum ex ære Corinthio fabrefactarum: Æs autem Corinthium pretioſiſſimum, & tanto olim in precio habitum, ut ſepe argenti, nonnunquam auri æſtimationem excederet. Hujus non naturalis, ſed artificio quæſita nobilitas, auro, argentoque æri permixto, quæ metallorum commixtio caſu primum adinventa confuſis ex Corynthi incendio metallis. Totum hoc habet Plinius lib. 24. cap. 2. ſcribens: *Ex illa antiqua gloria Corinthium maximè laudatur; Hoc caſus miſcuit, Corintho, cùm caperetur, incenſa*; quod evenit, ut tradit idem Author, Anno 3. Olympiadis 156. & ab V. C. 608. Porrò hæc penſatio, quæ à noſtro Satyrico manu fieri dicit, ad operis exactum examen refer, non ad ſimplex pondus; nam antiquitatis ſtudioſi ex his fragmentis, ut plurimum, illuſtria documenta afferunt, tam ad rem veſtiariam, quàm ad quamcumque vetuſti moris, ac etiam Hiſtoriæ ſplendorem pertinentia.

39. *Nec niſi cum ſculpta &c.* Ideſt, adeò antiquitatis amans eſt, ut ſpretis pretioſiſſimis margaritis quibuſcumque recenti arte elaboratis, iis tantùm utatur ad annulum, quę antiquitatem redoleant: Et quidem ſculptam chalcedonem optimè dixit, quæ Lapis Chalcidia à Plinio nuncupatur; nam gemmas annulis apponendas, ut plurimum ſculpendas exquiſita arte curabant, ſive eas adhiberent ad annulos, ſive ad ornatum aliquod, ſive tandem ad ſuperſtitionem, ut in amuletis eveniebat. De re fusè Bonarrotus noſter in Proemio libri, cui tit. *Oſſervazioni &c.*, quem conſulat amicus lector: Porrò annulum antiquiſſimum ſcio; at ejus authorem non agnoſco, eum ignorante Plinio lib. 33. cap. 1. Ubi vide plura de annulis, & quomodo ejus

uſus

Inque obolo totum ſtudiorum prodigit aſſem?

An

Notæ.

uſus ad Romanos è Græcis translatus; quomodove *nono Tiberii principatus anno annulorum authoritati forma conſtituta fuerit, C. Aſinio Pollione, & C. Antiſtio Vetere Coſſ. anno VC. 775., decretumque ne cui jus ejus eſſet, niſi cui ingenuo ipſi patri, avoque paterno ſextertia* 400. *cenſus fuiſſet, et Lege Julia theatrali in* 14. *ordinibus ſedendi.*

40. *Inque obolo &c.* De nummis intelligit ad commercium gentium introductis, quorum ſtudium apud eruditos invaluit. Hujus ſignandi apud Romanos primus Author Servius: de quo Plin. lib.33, cap.3. *Servius Rex primus ſignavit æs: Antea rudi uſos Romæ Remeus tradit. Signatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata.* Addit *Argentum* ſignatum eſſe anno Urbis 585. Q. Fabio Conſule quinque annis ante primum bellum Punicum, ejuſque notam fuiſſe bigas. De aureo nummo ait percuſſum poſt annum 62. Alterum & nummorum genus excogitavit Livius Druſius in Tribunatu Plebis, miſcens octauam partem æris argento; & qui à Victoria, qua erat ſignatus, Victoriati nomen adeptus eſt, Lege Clodia percuſſus fuit. At & nummos plumbeos offert Pignorius tract. de Servis. pag.123., quos viliſſimum, & infimum monetæ genus fuiſſe habemus ex Mart. lib.10. epig.74., lib.1. epig.67., Plaut. in Trinum. act.4. ſce.2. item in Caſina, & in Moſtellaria. Ab eorum icones afferendo abſtinemus, quas jam dedit idem Pignorius. Veriſimile attamen eſt monetam plumbeam citò in deſuetudinem abiiſſe, aut ſaltem in nullo pretio habitam, quandoquidem vetera nummiſmata, uti videre eſt apud Bonarrotum in Maximino, Gordiano, Vibio Treboniano, Valeriano, Gallieno, Corneliâ Saloninâ, Probo, Carino, Numeriano, Diocletiano, & Maximiano, ex tribus ſolummodo metallis confici conſueſſe, inde in argumento eſt, quod tres tantùm in illis monetæ inducantur, ad denotanda tria principalia metalla, quibus Romanus Populus ſuos nummos cudebat.

40. *Totum ſtudiorum &c.* Eleganter metaphoram inducit, nam cùm de nummis agatur, aſſem proponit, qui ſive ad libram,

ſive

ſive ad aliud pondus reducatur, ſemper de toto, & integro pondere, & quantitate intelligitur. Unde apud Juriſconſultos, *ex aſſe hæredem fecit*, ideſt, *totius hæreditatis*; Unde & as quoque dictum fuit nummus æreus libralis, qui eſſet unius libræ, de quo Horat.

Vilem redigatur ad aſſem.

Noſter autem Satyricus dicit hunc hominem, eruditiſſimum quidem prodigere totum aſſem ſtudiorum in conquirendo vnico obolo, ac ſi dixiſſet impenſiſſimè hujuſcemodi operę incumbere, ac penitus nullo temporis intervallo, nullo laboris levamine interiecto addictum eſſe.

Inſtruenti mihi notam hanc, exhibitus ab amico fuit liber eruditi viri Laurentii Begeri, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliarii, ab antiquitatibus, & Bibliotheca nomine inſcriptus, ac Coloniæ Brandeburgicæ anno 1697. impreſſus, cui titulus: *Contemplatio Gemmarum quarumdam Dactylothecæ Gorlæi*. Rei amœnitate perculſus, ſtatim opus ipſum revolvere cœpi, attentè perlegere, & diligenter ſcrutari: agnovique rara, atque exquiſita vetuſtatis monumenta eruditiſſimis notis ab eodemmet Authore illuſtrata, necnon ad plurimorum inſignium marmorum fidem luculenter expoſita. At habui, fateor, quid dolerem; temperavit ſiquidem, ac minuit ſolatium, quo in immenſum fruebar, præjudicium quoddam à celebri viro propoſitum de noſtrorum Italorum, ac præſertim Romanorum fide, deque eorum incuria. Pagina ſiquidem vigeſima nona, ubi ipſe agit de nuptiis confarreatis, Romanum marmor inducit, arte anaglyptica ſculptum, è Pighianis chartis erutum, in quo cum certo certius repreſentetur ſimplex ritus feſtivitatis nuptialis, quando confarreationes ſimileſque ab uſu penè receſſerant, inde confarreatas nuptias oſtendere evidenter putat, ſi in manibus cujuſdam mulieris, non longè ab ara ſtantis farreum ſupponat. Utque ſibi faveat, eò Pighianæ ſchedæ fidem extollit, ut Petrum Sanctem Bartolum, qui lapidem eumdem, propè Romana mœnia adhuc poſitum, & aſſervatum in Eccleſia S. Laurentii in campo Verano, delineavit, atque incidit, in jus vocet, falſi arguat, & inauditum ſententia damnationis percellat accuſator, teſtis, & judex; parique, tacitè tamen, cenſura notet celeberrimum, qui tunc inter vivos, Joannem Petrum Bellorium, a quo idem marmor brevibus notis illu-

illuſtratum fuit, & nunquam ſatis laudatum Dominicum de Rubeis Jacobi Fili, nobiliſſimum Romanum Chalcographum, qui cudendum curavit, & inter *Admiranda* (is libri titulus) *Romanæ Antiquitatis, & veteris ſculpturæ Veſtigia* inſeruit. Tam libera, atque abſoluta cenſura parum abfuit, quin mentem meam præcipitanter ad aſſenſum coegerit. At quià noſtrorum hujuſcemodi virorum, plurimi apud eruditos nominis, fidem plus ſatis notam, ac perſpectam habui, ſedulò rem animo volvens, veritatis comparandæ amore ductus, ante quam judicium de re ferrem, locum ipſum adii, opus anaglypticum inſpexi, ac contemplavi, & cum utroque graphio eà, quà par eſt, diligentià comparatum à Pighianis chartis in pluribus diverſum, editis autem à Dominico, à Joanne Petro explicatis, & à Petro Sancte delineatis, ac inciſis omninò convenire certior factus, minimè temperare potui, quin illuſtri Begero aliquantulum iraſcerem, ac inde calamum acuerem, animo tamen à quacumque offenſa alieno, & ad defenſam tantum parato. Nec tamen Sectano noſtro me diſpliciturum exiſtimavi, ſi patrocinium virorum optimè de Republica literaria meritorum ſuſcepturus brevem Apologeticum his notis adderem: hic, inquam, ubi ipſemet Satyricus præſtantiſſimi viri, antiquitatis ſtudiis addicti, falsò accuſati, ac Philodemicis calumniis impetiti meminit; pro cujus, & aliorum trium defenſa acriter, fortiterque inſurgit delatorem injuſtum debellaturus. Provinciam hanc igitur mihi aſſumpturo placuit marmor ipſum, prout eſt, me curante, delineatum, una cum alio à Begero propoſito ponere ob oculos, quos appello cum toto eruditorum cœtu judices, teſtes, & hujus cauſæ patronos; Aliquas autem à Petro Sancte in partibus mutilis reſtitutiones factas, levibus interpunctionibus tantum connotavi, ut ſciat lector, quæ debeat ejus diligentiæ, ac ſummæ in hiſce rebus peritiæ.

Mar-

Marmor ad fidem vetuſti exemplaris delineatum.



Marmor Pighianum Begeri.



Horum inſpectio procul dubio ſatis eſſet ad pleniſſimam Bartoli, aliorumque noſtrorum defenſam, ſed quandiù me hujus cauſæ patronum ſpopondi, ne quidem ceſſandum ab incœpto facinore credidi, quouſque illos tam facti, quam juris evidentia, ab illata injuria vindicaverim. Nec propterea Begero, & Pighii memoriæ injurius ero; nam certè ille, hic fortè lapidem non vidit: Uterque à primo impoſtore illuſus; Idque unum tantum optaſſem in Begero, ut re melius inſpecta, minuſque fretus ignoti hominis ingenio, æquior in noſtros fuiſſet, nec ſe rapi contrà eos injuſtè ſiviſſet. Primum igitur accuſationis caput eſt, lapidi jam ab ætate Pighii mutilo reſtituta per Bartolum integritas, quod ultrò fateor, nec diſſimulat mea marmoris

moris ipſius delineatio. Grande hoc facinus, ac inexpiabile in eo ſitum eſt, quòd primæ imagini, quæ Cybelem, ſeu Urbis genium repreſentat, pars dexteri brachii ſupra cubitum exciſa; mulieri, quæ turturem geſtat, dextra item manus; pariterque homini velato ad aram ſacrificanti ab ipſo cubito cum parte brachii inferiore reſecta, reſtitutæ fuerint; tandemque caput hominis ad columnas ſtantis, quod a Bartolo auctum, & tibicen inde factus. Quid inde? Nouum hoc, inſuetum, illaudabile? Nonne hujuſcemodi ſtudium paſſim proborum, doctorumque hominum favorabili calculo probatum non tantum in ipſis marmoreis tabulis, in ſtatuis, in picturis, inque cœteris ſeu eruditæ, ſeu ſuperbæ, & admirandæ antiquitatis monumentis, ſed in ipſis libris, ac inſcriptionibus, ut, quantum fieri poteſt, emendentur, corrigantur, ſuppleantur, & ad fidem priſcorum authorum, atque artificum veteri ſplendori, ac primævæ luci reſtituantur? Cur ſolus Bartolus in crimen vocatur, tanquam noſtri marmoris adulterator? Cur Bellorius, & Jo. Dominicus veluti ejuſdem delicti conſortes redarguuntur? Cum potius horum amor & diligentia ergà pulcherrima, celebratiſſimaque Romanæ magnificentiæ veſtigia in maxima laude apud eruditos eſſe debuerint: ac ingenium, virtuſque clariſſimi Bartoli omnium meruerit admirationem: Bartoli, inquam, qui ſupplere, & ex humani corporis commenſuratione, atque actione integritatem mutilis membris reddere abſque ullo rei ibi repræheſentatæ damno, quin potius cum ſummo, ſeu hiſtoriæ, ſeu fabulæ, ſeu tandem myſterii temporis injuriis affectorum beneficio priſcum decus, forsàn non ſine fœnore, reſtituere aggreſſus eſt. Sed imagini ad columnam poſitæ auctum trunco caput, & tibicen factus. Optimè, ſapienterque quidem nobilis, & peritus artifex. Vidit truncum hominis corpus cum quadam brachiorum in anteriorem partem prominentia, eaque aptitudine diſpoſita, ut viderentur ipſa brachia in altum flecti, atque jungi debuiſſe. Statim ad trutinam revocavit ſacrificiorum, & nuptiarum ſolemnia, quæ ex antiquo ritu referunt Authores; eaque ſine tibicine nunquam celebrata fuiſſe ſtatim didicit. Tibicinem idcircò, qui in noſtro marmore rectè conjiciebatur jam adfuiſſe, ante quam mutilaretur, efformavit, ſibique veteres lapides imitandos propoſuit, quos pridem ipſe delineaverat, & Joannes Dominicus inter Admi-

randa &c. repoſuerat. Inter hos habes Chiſium marmor ſub num.62. in noviſſima editione relatum, in quo conſpicitur tibicinia cum proxima Cythareda molle feſtum novis nuptis concinens. At magis favet marmor alterum numero 82. conſignatum, cujus exemplar ſervatur in Hortis Mediceis, ubi nova nupta viro tradita dexteram eidem porrigit, fidei, amoriſque pignus: flammeo caput obnubit; Augurijs captis ſacra peragit vir paludatus; Victimarius taurum ſiſtit ad tripodem; Popa ſecuri percutit; Tibicen coronâ redimitus duplicem tibiam inflat; Pronuba Juno utrumque amplectitur adſtante Hymenæo cum accenſa face. Affero compendioſam ejuſdem marmoris imaginem, ab eo enim plurima noſtro lux conciliatur



Et ne ulla antiqui ritus linea deeſſet tibicinem noſtrum ad exemplar Medicæi myrto coronavit, quæ Veneri ſacra, ut habet Ovid. de Arte lib.3. in princip.; ex quo Dea, authore Nicandro in Alexipharm., myrto coronata ad certamen pulchritudinis prodiit, & victoriam retulit; indêque factum, ut conjugiis fuerit dicata, quemadmodum indicat Plin. lib.29. cap.15. inquiens; *Myrti ſpecies Catoni conjugula, fortaſſe à conjugiis;* ex qua ſententia evenit, ut quidam opinantur, quod Catullus Juliam nubentem cum myrto comparaverit. Porrò nuptiales pompas cum tibicine habitas, non tantum marmora, quæ induxi

duxi indigitant .. ſed plurima nummiſmata aperiunt; ex quibus duo tantum profero; primum ex Theſauro q. Chriſtinæ Suecorum Reginæ, nunc Livii Odeſcalchi Sirmii in Pannonia, & Brachiani in Thuſcia Ducis; alterum ex Angeloni hiſtoria Auguſta; ex eo videlicet Hadriani nummum, ubi Tibicen, & Camillus cum acerra; ex hac Commodi nummiſma, in quo pariter tibicen ad templi columnam ſtans apparet, necnon idem Camillus cum urceolo, amboque ſunt in actione ſacrificii, tam ab Hadriano, quam à Commodo Diis exhibiti.

Nummiſma Hadriani ex Theſaur. Chriſtin. Suec. Reg. fol 14.



Nummiſma Commodi ex Angelo. pag. 218. num. 46.



Hæc autem etſi ad nuptias ſpecialiter non ſpectent, cum tamen ea ſine ſacrorum celebritate minimè fieri conſueſſent, ut ſtatim advertam, hinc evenit, ut neceſſariò etiam in feſtivitatibus conjugalibus adhibita fuerint. Adſunt etenim certiſſima Scriptorum teſtimonia, qui ſemper in ſimilibus celebritatibus tibicines inducunt; ex quibus videndi Virgil. eclog. 9., Plaut. in Aulul. act. 3. ſcçn. 6., Terent. in Adelph, act. 5. ſcçn. 7., Cic. lib. 4. Rhetor. ad Heren., Apul. lib. 4. de Aſino, & Claudian. in Epithal.; conſulendique Briſſon. de rit. nupt. pag 83., & Tiraquel. in dies genial. Alex. ab Alex.. Nec tamen ad ſolam feſti hilaritatem id pertinuiſſe cenſeo, ſed etiam ad myſterium: Certum eſt enim Nuptias ante Deorum aras celebratas, &

prævijs ſacris, quemadmodum docent Virgil.4.Æneid., Ovid.5. Metamorh., & Placidius Lactantius, ſeu, ut aliqui nuncupant, Lutatius Placiades ad illum Statii verſum lib.2. Thebaid.

Et aras

Antè omnes.

inquiens: *Quia apud Antiquos antè aras Numinum celebrantur jura nuptiarum;* probatque ex longo Scriptorum catalogo Meurſius in Græcia Feriat. lib.5. in verſ. προτέλεια; ex quibus liquet ritum hunc tam Græcis, quam Latinis communem fuiſſe; quod & perpetuè inter Catholicos religioſè cuſtoditum agnoſcitur, nam inter eos nuptias niſi poſt Sanctiſſimum Corporis Chriſti Sacrificium minimè unquam celebrari debuiſſe, nec ex more celebratas teſtantur, oſtenduntque, quoad Latinam Eccleſiam Tertul. lib.2. ad uxor. cap.9., & Menard. ad Sacrament. S. Gregor. pag.289., & quoad Grecam Goar. in Eucholog. pag.330. Si igitur apud Ethnicos inter ſacra nuptiæ contrahebantur, tibicinem etiam ſemper iiſdem interfuiſſe in comperto eſt, non ſolum ex teſtimonio ſupra relatorum, ſed ex ipſis veterum ſacrificiorum imaginibus, quas plurimas inſignibus marmoribus ſculptas adhuc conſpicimus, præſertim in Trajani coclide, ex qua unicum tantum exemplum, inter plura, quæ ibi exhibentur, ſelegimus, eruditi lectoris oculis exhibendum.



Ex his omnibus conſtat nullaſacra ſine tibicine perfici potuiſſe: cur non etiam nuptialia hoc honore dignanda? Tanto fortius, quod, ſi perſiſtendum ſit in ſententia Bellorii, in imagine

capite

capite turrito decorata agnoſcentis Cybelem, apertè teſtentur Virgil. lib.9. Æneid., & Arnob. lib.7. ſpeciali quodam ritu tibias perpetuò inter ſacra hujus Deæ fuiſſe inductas, cui nuptiales ſolemnitates fuiſſe dicatas indicat idemmet Bellorius, qui ideò illam novis ſponſis præeſſe putat, quod ei vis generationis tributa fuerit, fortaſsè Platonem, Varronem, & Servium ſequutus, qui cenſuerunt in Cybele terram coli omnium rerum fœcundiſſimam matrem, cui, ut eam ſibi propitiarentur, novos ſponſos ſacrificare conſueviſſe, aut cum ſponſa ad domum viri ducenda erat, aut in ipſis mariti ædibus adſtruit Serv. in 4. Æneid. pag.335., & cum Servio Platonis Scholiaſtes in Timæ. comm.5. Quæ enim felicitas major adprecari potuit illis, quam prolis fœcunditas? qualis in Cybele, ſeu terra, de qua Orpheus in hymnis.

> Μήτηρ μὲν τε Θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων
> *Mater Deorum, & mortalium omnium.*

Et Lucret.

> *Quarè magna Deum mater, materque ferarum,*
> *Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis una.*

Unde apud Græcos Πασιθία nuncupata fuit, quod nimirum eſſet πᾶσι Θεοῖς μήτηρ, *omnibus Dei mater*. Quod ſi à ſententia Bellorii abeamus, & in imagine turrita Genium Urbis repræſentatum dicamus, ad oſtendendam populi ex iiſdem nuptiis hilaritatem, ac ipſi Genio paratum Sacrificium, ut in veteri nuptiarum more ſervatum notat Serv. in lib.4. Æneid., dicens tunc ſacra fieri ſolita Diis Civitatis præſidibus; ſtatim ad generalem conſuetudinem, & inſtitutum inducendi tibicines inter ſacra pedem referemus; quandoquidem, ultra relata teſtimonia, conſtat adeo neceſſarium tibicinum uſum inter ſacras ceremonias habitum fuiſſe, ut ex iis frequentiſſimum collegium fuerit Romæ inſtitutum, prout ſuadet vetus lapis apud Gruterum pagina 175. 10., licet in ſiniſtra parte fractus, & mutilus.

COLLEGIVM . TIBICINVM
ET . FIDINVM . ROMANORVM .
Q. S. P. P. S.
T. IVLIVS . TYRANNVS .
MVNIS . PERPETVVS . ET
VLIVS . TYRANNVS . F.
H. C. D. D.
DEDICATVM . K. MART.
RSO . SERVIANO . II . L . FABIO . COS.

Qui ſacris publicis præſto ſunt.

Huic Collegio dedicarunt.

Hæc quoad objectam marmoris integritatem, quod mala fide reſtitutum à Bartolo contendit Begerus. Illud magis mirum, quod noſtro Bartolo alia plura, ac etiam graviora crimina impoſuerit. *Notandum*, inquit, *Sanctem Bartolum, antè aram virum ſacrificantem, & è caniſtro flores, & poma in nuptiis ſpargi ſolita depromentem finxiſſe, quod in noſtro deſit. Notandum ad columnas eum Camillum cum acerra, & tibicinem feciſſe, qui, licet eos non negemus, in noſtro marmore noſci non poſſunt.* De tibicine, quem poſtremum poſuit, jam dixi. Progredior nunc ordine retrogrado à Camillo ad poma, & ad flores. Dicam igitur à Bartolo nequaquam fictum fuiſſe Camillum, ſed ex ipſo lapide ſincera fide delineatum, ac in ſuis chartis publici juris factum, eodem modo, quo iterum illum propono. Camillos appellavere antiqui Ethnici illos, qui Diis, & eorum aris miniſtrabant, quemadmodum docent Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 8., Varro & Feſtus in Camil: hinc perſpicuum eſt ritui perſonam hujuſcemodi convenire, quod etiam indicant evidenter Trajani Coclis, necnon Nummiſmata Commodi, & Hadriani ſuprà relata, in quibus miniſter, ſeu Camillus vel urceolo, vel acerra inſtructus inter ſacra conſpicitur. Talem autem noſtrum eſſe oſtendit acerra ipſa, quam geſtat; ea ſiquidem in ſacris myſteriis uſos eſſe veteres ad recondendum thus pro ſuffumigationibus certum eſt. Fateor hanc non ità ſimplicem, ſicut ediderat Bartolus, ſed vario, decoroque ornatu ordinatam, ut videre eſt. Porrò hominis ætas imagini expreſſæ condecet; nam

munus

munus hoc ingenuis ephœbis tributum fuiſſe habet idem Macrob. loco cit.; indè vides cirratum, & capillo leniter in humeros diffuſo ornatum, ut pueris Romanis in more erat uſque ad conſiſtentem ætatem, quod jam dedi in notis ad præcedentem Satyram, iterumque deduco ex Martial. lib.1. Epigr.22. ibi;

Molleſque flagellent
Colla comæ.

Ex his,ut mihi videtur,funditus evertitur in Bartolum animadverſio; quod ſpero ultrò concedendum à quocumque veritatis amatore, & veterum ſacrorum rituum, atque morum perito. Non poſſum attamen non condolere eidem eruditiſſimo Begero, quod informis Pighiana charta tantum Virum in eum impulerit errorem, ut aſſerere abſolutè non ſit veritus Sponſum ad aram velato capite ſacrificantem ſtare, Sponſam autem capite detecto adeſſe. Quicquid enim ſit de viro, cui procul dubio convenit velato capite ſacrificare ex antiquo, eodemque religioſo ritu, dequo in nota ad hanc Satyr. num.2., quodque ad evidentiam confirmatur duplici nummiſmate Muſæi Odeſcalchi, quorum primum Caligulæ ſacrificantis Auguſto, ſecundum Domitiani ſacra Minervæ facientis, in quorum utroque Imperator velatus altari adſtat in actu libationis, & ſacrificii.

Nummiſm. Caligulæ.



Nummiſm. Domitiani.



Illud adhuc mihi dubitare contingit, an homo ille, quem

ſponſum dicunt tam Bellorius, quam Begerus, ſit potius Auſpex nuptialis: nam plurimum à vultu indubitati ſponſi in noſtro marmore exhibiti, & quidem barbati, hujus vultus imberbis differt: cum cęteroquin ex teſtimoniis plurimorum Authorum apud Briſſon., & Hotmanum de rit. Nupt. illud pro comperto ſit Auſpicem ſemper nuptiis adfuiſſe; unde jocosè Plaut. in Caſinæ Prolog.

Mox herclè verò, tranſacta fabula
Argentum ſi quis dederit, ut ego ſuſpicor,
Ultrò ibit nuptum, non manebit auſpices.

Adſtipulantur Servius in 4. Æneid. pag. 325. & 335., Valer. Max. lib.2. cap.1., Cicero pro Cluent., Tacit. Annal. lib.11. aliique. At minimè Begero aſſentiri poſſum, ubi Camilli vice ſponſam ſolemnibus, nuptialibuſque ſacris ad aram proximam nudato capite omnibus conſpiciendam ponit. Id ſiquidem in noſtro marmore nequaquam videre eſt, imò repugnat veteri, ſacræque hujus feſtivitatis ceremoniæ, quam quotquot explicare conati ſunt, nequaquam taciti ſe præterire poſſe duxerunt novas nuptas operiri ſolitas flammeo, quod eſt velamenti genus, de quo Nonius ait: *Flammeus tegmen eſt, quo matronæ capita operiunt, utique cum nubunt, & matronæ primum dicuntur,* & Plin. lib.21. cap.8., ubi de coloribus veſtium: *Lutei video honorem antiquiſſimum, in nuptialibus flammeis totum fœminis conceſſum:* Ex quibus verbis aperitur ſenſus Juven. qui ſcripſit Satyr.6.

Permutatque domos, & flammea conterit.

Et Satyra 10.

Dudum ſedet illa parato
Flammeolo.

Lucan. lib.2. Pharſ.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Necnon Quintil. declam.306. vetulam nubentem alloquentis: *Operis flammeo canos;* Favent etiam Serv. in 11. Æneid. pag.644., Varro de Ling. Lat. lib.4. pag.18., Feſtus in Nuptias, & in Flammeo, Iſid. lib.9. cap.8., unde nubere, quod propriè velare & operire eſt, uſurpatum ex hoc more pro nuptam viro tradi, *γαμεῖν*, rectèque emendavit Lipſius in Tacit. lib.11. *ſubiiſſe* in *nupſiſſe*. Hoc autem capitis velamentum commune Romanis matronis, dum nuberent, fuit, ut ſimul pudori tenerioris ſexus, & ze-

& zelotypiæ virorum conſuleretur; ſcilicet, ut unius aſpectui pateret, quæ uni deſtinabatur; proptereà forſitan ex hac eadem ratione factum ut diù mos idem apud Chriſtianos ſaltem Latinos perduraverit, ut habent Iſidor. de Offic. lib. 2. cap. 19., Ambroſ. Exhort. ad Virgines, & Menard. ad Sacram. S. Gregor. pag. 289., Græci ſiquidem tantum ſponſas coronare ſueverunt, prout videre eſt apud Goar. in Euchol., & ante eum ait Baſil. Seleuc. in vit. S. Theclæ, quod à veterum Græcorum uſibus ſumptum eſſe minimè dubitò. Adſtipulantur etenim Eurip. in Iphig. Aulid., & in Troad., necnon Nonnus lib. 24. Quin & ſuberat aliqua ominis religio, ac ſi perpetuum futurum eſſet illud conſortium, quod ſub velamento Flamminicæ, cui divortium facere non licebat, contraheretur: Plura hoc confirmant marmora relata inter *Admiranda &c.*, uti ſunt Medicæum, ſub num. 82. quod ſuprà dedi, Juſtinianæum ſub num 56., Farneſianum ſub num. 57., Saccheттum ſub num. 65., necnon celebris, & vetuſtiſſima pictura Pamphilia in hortis Quirinalibus Aldobrandinis aſſervata. Hæc tamen mitto libens, nam Romæ cuicumque proſtant eorum Icones ad Templum S. Mariæ de Pace apud ſæpè laudatum de Rubeis. Addo tantum ex Sponii miſcell. erud. Antiq. lib. I. gemmam à Pyrrho Ligorio mutuatam nuptias Cupidinis, & Pſiches oſtentantem, in qua non tantum ipſa ſponſa penitus velata apparet, ſed ſpeciali, nec alibi hactenus viſo, ritu ſemivelatus idem ſponſus, turturem manu fovens, dum puer pomorum caniſtrum utriuſque capiti ſuperimponit prævio cum face Hymenæo.



Conſociationis hujuſcemodi, & velandi ritum habet etiam M. Aurelii Imp. Nummiſma ex Muſæo Odeſcalcho deſumptum: ubi Imperator publico omnium voto, & auſpice Junone, ſeu Concordia, Fauſtinam ſibi matrimonio jungit, ſiniſtra nuptiales tabulas, dextra dextram ſponſæ prehendens: cui Fauſtina juncta manu fidem, flammeo pudicitiam, digito ori admoto obſequium, & taciturnitatem pollicetur.



Miror Begerum in eruditæ antiquitatis ſcientia tam feliciter verſatum, hæc noſcere diſſimulaſſe, & aperto capite ſponſam ad aram ſtatuiſſe contra veterem morem, & ſancitas, obſervataſque ceremonias. Falſationem alteram noſtri marmoris opponit in pomis, & floribus, quos ſcribit à viro ſacrificante promi è caniſtro ad ſparſionem faciendam, contendens ipſos effictos, ſuppoſitoſque à Bartolo. Lapidem diligenter ſcrutatus ſum, & ſuper aram poſitos flores, & poma optimè agnovi: nullam verò in viro ſacrificante ſparſionem animadverti. Anceps tamen dudum hæſi, an iis ara tantum coronaretur; nam de hujuſcemodi coronis ad altaria, & ad templa plurima ſuccurrunt teſtimonia, habentque dilucidè Pollux lib. 1. cap. 1., & Philoſtrat. de Imagin.; at eam nequaquam coronatam, ſed ex prominenti eorumdem florum, & pomorum faſtigio plenam cum inſpexiſſem, minimè dubitavi ad puram oblationem, ſeu ſacrificium pertinere, idque Diis Nuptialibus exhibitum; quidquid ſit de ſparſione poſtmodum facienda. Nec ſunt extranei à nup-

tiarum

tiarum ritibus, & pompis flores, & poma, oblationeſque eorumdem: quippè apud Sponium in gemma nuptiarum Cupidinis, & Pſiches, quam ſuprà retuli, pomorum caniſtrum ſponſorum capitibus impoſitum videre eſt: Juvat & marmor Burgheſium num.55. *inter Admiranda &c.* in quo juxtà Bellorii interpretationem Proſerpina nova nupta manu tenet aureum pomum prædivitis arboris, ac à puero donatur caniſtro pomorum, & florum, quos deprompſit è campis Elyſiis, quorum amœnitatem, & delicias ſic deſcribit ex veterum Ethnicorum doctrina Prudent. Hymn. 5. Catherh.

Illic purpureis tecta roſariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia,
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis unda fugacibus.

Eadem habent Virgil. 6. Æneid., Pindar. apud Plutarch. de Conſolat. ad Apollon., Sidonius in Paneg. Anthemii, & plures alii, quos mitto; redeoque ad marmor Burgheſium, quod indicavi, cujus partem tantum exhibeo, integrum fortaſsè alibi daturus.



Quamvis, tam poma, quàm flores, quæ in his illuſtribus monumentis viſuntur, nequaquam ſuper aras poſiti ſint (quod in noſtro lapide ſingulare eſt, & plurimum juvat ad illuſtrandos antiquos nuptiales ritus) tamen ad nuptiarum feſtivitatem id pertinuiſſe patet. Nec putarem longè à veritate me aberraturum, ſi, noſtro marmori fretus, dixerim eorumdem oblationem

tionem præceſſiſſe animalium mactationem, & ſacrificium. Certè antè hoſtiæ immolationem oblationem hanc factam habemus; nam adhuc eadem viva ad aram ſtat parato ad occiſionem miniſtro ſacrificulo: Idem habes ex deſtro ejuſdem lapidis latere, ubi pariter inſtructum porcæ ſacrificium adſtante puero, qui alterum pomorum, & florum caniſtrum manibus gerit ad parem, ut veriſimile eſt, oblationem ſacrificium præceſſuram. Lateralem idcircò hanc dextram partem, unà cum ſiniſtra propono; utraque enim ad ritus nuptiales ſpectat, ac eruditis, ut puto, chara erit, utpote adhuc inædita, & quæ plurimum antiquitatis ſtudioſos valeat delectare, & veterum morum connubialium illuſtre præbeat monumentum.



Vides ut in dextra hujus lapidis parte, ſacrificii præparatio ſculpta fuerit. Habes porcam, habes miniſtros ad mactationem progredientes, habes puerum cum floribus, & pomis ad oblationem; Unde diverſis Idolis ſacrificatum ſuſpicari licet ſecundùm particularem viri ſuperſtitionem, ut ſepè factum diſcimus ex Varrone de Re Ruſt., ubi loquitur de Ethruſcis, ac divinare contendit, ex iis ad Latinos ritum hunc tranſiiſſe. Quantùm verò ad latus ſiniſtrum (digredi aliquantulum a recta fas ſit ſtatim redituro) totum ad mundum muliebrem ſpectat. Arculam prima mulier fert ad gemmas ſervandas; conjecturam hanc firmo ex 15. tabula to. 2. ſepulchrorum noſtri Bartoli, in qua ſunt Venus, par columbarum, & arcula, cui deſuper monile,

nile, & acus crinalis; Alteram item hic habes puellam geſtantem vaſculum ad unguenta, & odores, de quibus latè Iſidorus, ubi de muliebri veſte, Tiraquell. de leg. connubialibus, & in Alex. ab Alex. dies geniales: Tertia etiam adeſt, cui præ manibus ſpeculum eadem forma fabrefactum, qualis in pluribus antiquis marmoribus conſpicitur; unico tamen contentus lapidis Signini exemplo, quem novem ab hinc circiter annis mihi communicatum à celeberrimo Bonarroto, nunc primum in lu-



cem profero. Hæc annotaſſe ſufficiat, forſan non injucunda, nec ſuperflua ad propoſitam materiam. Iterum ad poma, & ad flores: Addoque ex Tiraquel. in Alex. ab Alex. adhibitas in nuptiis nuces, caricas, & palmæ fructus ad ſparſionem faciendam; Cur etiam non reliqua poma potuerunt uſurpari? quandoquidem poma indifferenter accepta novis nuptis dono ex quadam conſuetudine miſſa ſuadet Theocrit. εἰδ 3., quod quamquam feſta nuptialia propriè non tangat, attamen iis maximè convenire poſcit ratio, quia ad delicias, & ad hilaritatem ſpectarent, & oſtentarent terræ fœcunditatem, quæ in novis nuptis ad prolis propagationem uberrima deſideratur; indeque in nuptiis & Terra ſacrificatum fuit, ut ſuperius dictum, ex Servio, & Proclo Platonis Interprete. Illud poſtremò addi poteſt, quod inter Deos, qui Nuptiis præerant, erat Venus, ut ſcribit Delrius in princ. Comm. in Senec. Non incongrua autem

con-

conjectura foret putaſſe huic dicata fuiſſe hæc nuptialia ſacrificia, quæ in noſtro marmore repreſentantur; nam in his porca, & agna, ſeu ovis indubitatè mactantur, quorum ſacrificium ex Veterum diſciplina huic Deæ fiebat. De prima probat Athen. lib.3. ex Callimachi teſtimonio: de ſecundo Plaut. in Pœnul. act.2. ſcę.1. Utrumque in noſtro nuptiali ſacrificio ad oculum apparet, agna propè aram, porca in dextro ipſius urnæ latere ad ſacrificium ducta, cui Popa, ſeu quiſquis alter miniſter ſacrificulus adſtat cultro armatus. Hæc ſi vidiſſet Begerus non tantus fuiſſet in conquirendo, cur agna, ſeu ovis ſubſtituta fuerit porcæ, quam eſſe earumdem nuptiarum proprium ſacrificium dicit ex Varro. lib.2. de re Ruſtic., & ex Euſth. in Iliad. τ. Si igitur convenerimus de duplici hac mactatione, & Veneri præſtitum principaliter ſacrificium fatebimur, flores etiam & poma eidem ad ſacri plenitudinem rectè, & ſine reprehenſione tribuemus. Flores ſiquidem ad Veneris Paphiæ aram pertinere, iiſque veluti gratiſſimo holocauſto litari eidem docent Virgil. lib.1. Æneid. verſ. 421., & Valer.6. Argonaut. Hinc dicta ſanguinis expers a Catul. de Coma Berenic.; quia ejus *aræ ſanguinem offundere vetitum* fuit, non tamen quod ſacrificio animalium immolatorum ejus ſacra carerent, quemadmodum monet Tacit. lib.4. Hiſtor. Hinc noſtri marmoris excellentia mirum in modum reſultat, quo totus nuptiarum ritus aperitur, duplex ſacrificium agnoſcitur agnæ, & porcæ, præcedentibus cuique florum, & pomorum oblationibus, quod nunquam ita expreſsè alibi, etiam apud Scriptores. Tantum apparatum inſtituit Begerus, ut ſuam de confarreatis nuptiis ſententiam ex hoc illuſtri monumento confirmaret. Quoniam verò delineatum a Bartolo lapidem ſibi minimè favere animadvertit, totus in ejus fidem minuendo, deſtruendoque fuit. Nil tamen aſſecutus, nam, quod far eſſe ſuppoſuit ex charta Pighiana, Turtur veraciter eſt, ſeu Columba, (utraque enim ex eodem genere eſt) prout delineavit Bartolus, & ſuperius oſtendimus novo, diligentique graphio expreſſam. Eam in nuptiis adhibitam non eſt unicus noſter lapis, qui teſtetur. Junge gemmam Pyrrhi Ligorii apud Sponium, quam ſuperius dedi, ubi amor Pſichi copulatus eam manibus geſtat, & quaſi ſinu fovet. Amantibus hanc avem maxime convenire inde perſuaſum eſt, quod Veneri ſacra fuerit, unde & cum

pro-

proximis Columbis, ſeu Turturibus efficta in tabula ſepulcrali Bartoli ſub n.15., de qua ſupra. Favent Alexis apud Athen. lib.9. ὁ λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περιστερός: *Columbus albus ſum Veneris*: & Artemid. lib.2. cap.20. qui de Columba ait, ἀνακεῖσθαι τῇ Ἀφροδίτῃ, *ſacram eſſe Veneri*. Idem ex earum natura accipe, Græcis etenim dictæ περιστέραι, quaſi, ut notat interpres Apollonii περισσῶς ἐρᾷν, *ſupra modum amantes*. Audiendus etiam Plinius lib.10. cap.34. ſcribens *artem illis* (Columbis) *eſſe inter ſe blandiri*, nec ſe deſerere uſque ad mortem, ſed perſeverare in amore mares cum fœminis, & fœminas cum maribus, ac altero mortuo, qui reliquus eſt, viduum permanere ab Atheneo proditum eſt; Quibus de cauſis, ut amoris, & fidei conjugalis ſymbolum palumbes recepta fuit. His ſic delibatis colligo in noſtro marmore totum celebritatis nuptialis affabrè ritum repreheſentari, videlicet Veneri ſacrificatum principaliter, oblatoſque flores, & poma, item mactatas ovem, & porcam; idem fortaſſe factum Cybeli, ſeu Urbis genio præſentibus: Junonem pronubam, & conciliatricem adſtantem Sponſis inductam eſſe, Sponſos præeunte cum face accenſa Hymenęo dextris ſimul junctos: ſacrificantem ad aram Virum, ſeu Auſpicem ſtare, unà cum tibicine, & Camillo, ſic & mulieres duas turturem, & florum ſerta ferentes. Hæc in fronte marmoris euidenter apparent, latera ejuſdem porcæ ſacrificium cum altera florum, & pomorum oblatione, nec non mundum muliebrem novæ nuptæ debitum oſtendunt. Far pariter propoſuiſſem ſi videre contigiſſet. Hinc infero nuptias has minimè confarreatas fuiſſe, nam nil eorum, quæ ceremoniæ hujuſcemodi debebantur hic videre licet. De iis agens Servius ad lib.1. Georg. pag.64. E. ait, connubiale per confarreationem vinculum à Pontifice Maximo, ſive à Flamine Diali copulari. Addit idem in lib.4. Æneid., *Sellas duas jugatas ovili pelle ſuperinjecta poni, ejus ovis, quæ hoſtia fuiſſet, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione reſiderent, ac, dum ſederent, confarrearentur*. Nil tale in noſtro lapide habetur; quin potius inde contrarium eruitur; nam ſponſos jam ſimul junctos videre eſt ante victimę mactationem, quod confarreatis adverſatur nuptiis, queis præcedere debebat ſacrificium; confarreatio ſiquidem fiebat ex eadem mola, qua in ipſis ſacrificiis jam litatum erat. Potius itaque cenſerem eas hoc noſtro marmore nuptias exhiberi, quæ ex con-

contractu celebrabantur; quibus inductis ceremonias confarreationis, ac coemptionis paulatim ceſſaſſe, aut ſaltem non tam frequenter factas propter ritus difficultatem narrat Tacit. lib.4. Annal. ex oratione Tiberii Imper., qui *de Flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo, ſimul roganda nova lege diſſeruit: Nam* (ſcribit Auctor) *Patricios confarreatis parentibus genitos, tres ſimul nominari, ex quis unus legeretur, vetuſto more, neque adeſſe, ut olim, eam copiam, omiſſa confarreandi aſſuetudine, aut inter paucos retenta, pluresque ejus rei cauſas afferebat; potiſſimam penes incuriam virorum, fœminarumque: Accedere ipſius ceremoniæ difficultates &c. Ita medendum Senatus decreto, aut lege, ſicut Auguſtus quædam ex horrida illa antiquitate ad præſentem uſum flexiſſet*. En igitur confarreationem penè in deſuetudinem miſſam, ac tantum inter ceremonias horridę antiquitatis ab ipſo Imperatore enumeratam. In ejus locum contractus, & tabulę, ut innui, ſucceſſere; Has vides in noſtro lapide manibus Viri brevi volumine conſtrictas; ex quo reſultat ejuſdem marmoris ritum nihil ad confarreationem pertinere, ſed potius ad noviter inductum, de quo idem Tacitus Annal.11., ubi de adulterinis Meſſalinæ cum Silio nuptiis agitur, quibus celebrandi ex recenti, ſolemnique more *adhibiti, qui obſignarent; auſpi.um verba audita, ſacrificatum apud Deos*, quæ omnia in noſtris nuptiis patenter exprimuntur, ita ut ad imaginem earumdem penitus repreſentatæ videantur, veteremque ritum omnino ſapiant, abſque eo quod opus ſit ad confarreationem imaginaria quadam fictione confugiendi. Parcat Begerus, ſi veritatis amor, & noſtrorum illuſtrium virorum notiſſima fides, ac diligentia eo me duxit, ut ab ejus ſententia diſcederem, falſitatemque Pighianę chartæ evidenter oſtenderem, Bartoli, de Rubeis, & Bellori defenſam arrepturus. His hoc unum tandem addo, me ſumma veneratione Tranſalpinos ſcriptores perpetuò proſequutum, non tamen plus æquo; peregrina ſtudia admiratus ſum, non ideò ſum adulatus; itaut Italicis prætulerim ingeniis, ac diſſimulaverim, exteras nationes, ſi quicquam eruditionis, ac politioris literaturæ habeant, nobis debere excuſſam barbariem. Licet enim Romanum Imperium fatis cuncta immutantibus ceciderit, ſuperſunt tamen priſcæ illæ, vividæque animorum vires, idemque Cœli benignus aſpectus, quo nutrimur, atque educamur; ſuperſunt

inau-

An ſatyram orditur, qui tantùm putida novit
Noſtrorum reſponſa Patrum, vel jura Senatus
Con-

Notæ.

innumera antiquitatis veſtigia, quæ toti terrarum orbi æternam hanc Urbem præferunt,& vetus dominium in gentibus, ſi non armorum potentia, certè literarum præſtantia,perpetuò retenturam promittunt.

41. *An Satyram orditur &c.* En quartum, quem Satyrarum Authorem excogitavit, ac apud Prætorem accuſavit Philodemus; Optimæ quidem indolis juvenem, ingenii præſtantia notiſſimum, ac ad omnia literaria experimenta aptiſſimum: ſed quid? ait Sectanus: poſtquam ad Legum ſtudia ſe tranſtulit, eo iis ſe devovit, ut Muſis, & cuique liberali arti renunciaverit.

41. *Qui tantum putida novit &c.* Putida reſponſa ponit pro conſultationibus, tractatibuſque noſtrorum Juriſprudentum, hac tantùm ratione, quod etſi latinè dictentur, non vetuſtum, elegantemque ſermonem ſapiant, ſed barbaram, illamque prorſus latinitatem redoleant, quam Dù Cange in ſuo Gloſſario appellat infimam, plenaque ſint omnia quibuſdam idiotiſmis in jure receptis, qui nullo modo conveniunt politiori Latinæ linguæ, ſed tantùm vim ſignificandi habeant ex placito.

42. *Vel jura Senatus &c.* Genericè de quibuſcumque legibus, ſeu uſu, ſeu Principis juſſu Romæ receptis. Porrò Senatus conſultum quid eſſet, quomodove, & quibus ceremoniis, ritibuſque ſanciretur, recenſet Vauchopius de Vet. Pop. Rom. Tract. ſect.21., ex quo hæc breviter annotanda ſuſcepit. Re exposcente publica, a miniſtris publicis, ſeu uti vocabant viatoribus ex agris vocabantur. Senatores Magiſtratus, qui Senatum habiturus erat, tenebatur prius auſpicari, hoſtiam immolare, ſupplicareque thure, ac mero apud aram ejus Dei in cujus templo conveniebat; referebatque prius de rebus divinis, quàm humanis. Hinc vocabantur Senatores in Curiam per edictum, cujus hæc circumferuntur verba: SENATORES, QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. Mox eorum percenſitis nominibus, ei mulcta indicebatur,

batur, qui cùm in Senatum venire deberet, non adeſſet, ſi modo abſentiæ cauſam non probaſſet, nec ſuprà ſexageſimum annum eſſet, tunc etenim nec multabatur, nec in Curiam venire cogebatur. Ubi in Senaculo Senatores conſediſſent, tum, qui conſulebat, primum ſummatim id exponebat, de quo ſententiæ eſſent ſumendæ, ac Senatusconſultum faciendum. Fiebat S. C., aut per diſceſſionem, ſi conſentirent, in qua Præco dicere ſolebat: QVI HOC CENSETIS, ILLVC TRANSITE; QVI ALIA OMNIA, IN HANC PARTEM: aut, ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias conquiſitas. Deinde perrogatis omnibus, & unà aliquà ſententià comprobatà, ad pedes, & ſubſellia Conſulis, Prætoris, aut alterius, qui Senatum habere, conſulere, rogareque poterat, Senatus decretum ſcribebatur; cui ſolebat adſcribi dies, locus, nomen rogantis, ejus, in cujus ſententiam S. C. factum foret, illiuſque, qui eidem S. C. intercederet, adnotarique authoritates, ſive nomina eorum, qui decreto preſto fuiſſent. Quod Conſultum Senatus ità demum firmum, ſtabile, & ratum eſſe conſuevit, ſi lex, aut interceſſio impedimentum non attuliſſet. Lex autem impediebat, ſi ante ortum, & occaſum Solis factum: ſi definitus lege Senatorum numerus (quadringentorum tempore Auguſti, tercentorum priſcis temporibus, uti refert Prudentius contra Symmachum) non adeſſet. Impediebatur pariter per interceſſionem, & ejus, qui majorem poteſtatem habebat, vel parem cum eo, qui S.C. facere vellet, & à Tribuno Plebis, cui curæ erat Plebis cum defenſio, tum utilitas. Quapropter mos increbuit, ut hujuſmodi clauſula S. C. adderetur: SI QVIS INTERCESSERIT, SENATVI PLACERE AVTHORITATEM PERSCRIBI, ET DE EA RE AD SENATVM, POPVLVMQVE REFERRI. Ubi relata ad ſe S. C. populus probaſſet, ſic ad Senatum plebs per Tribunos ſuos referebat, QVOD SENATVS MAXIMA PARS CENSEAT, QVI ASSIDETIS, ID VOLVMVS, IVBEMVSQVE. Tandem his omnibus peractis, qui Senatum habuit, in hæc verba cunctos Senatores dimittebat: NIHIL VOS MORAMVR PATRES CONSCRIPTI. Addimus Senatus Conſulta in ærario repoſita; primis autem temporibus arbitrio Conſulis ſupprimi, atque nuntiari; idcircò in ſecunda ſeceſſione plebis, ubi primum Decemviri ſe Magiſtratu abdicaſſent, M. Horatius,

Conſulti, juratque ſacri per nomina Baldi?
Hæc benè cum noſcas, & ſit tibi cognitus Author,
45. *Inque oculis habeas, veteres, Philodeme, ſodales*
Traducis: Calabræ tanta eſt veſania frontis!
Exclamare libet; modicâ mercede Tribuni
Per-

Notæ.

tius, & L. Valerius Coſſ. legem popularem tulerunt, ut Senatus Conſulta in ædem Cereris ad Ædiles Plebis referrentur. Hæc ſatis.

43. *Juratquè ſacri &c.* Ideſt præcipuorum expoſitorum, & interpretum Legum, inter quos etiam Baldus eminet. Jurare autem per nomen, eſt habere in ſumma veneratione aliquem, prout eſt Baldus apud juriſconſultos; nam non juratur, niſi per charos, & per eos, quos nobis ſuperiores, & patronos agnoſcimus, & colimus; juramentum etenim propriè ad religionem pertinet, unde primariè ad Deum relatum: Hinc veteribus jurare per Deos; nobis per Deum, & Sanctos, eos in teſtes veritatis invocando. Sacrum porrò Baldum dixit, quia juris peritorum voto, & conſenſu conſecratus inter præcipuos legum doctores, & plurimum ejus ſententia in dirimendis litibus apud Judices polleat.

44. *Hæc bene cum noſcas &c.* Tria ſupponit à Philodemo cognita, videlicèt, hæc quæ dicta ſunt eſſe veriſſima, quod ipſi Satyrarum Author notus ſit, & tandem quod ſemper præſentem, anteque oculos adſtantem habeat. Hinc iram juſtiſſimam concipit, cur amicos, & quidem ſodales malitioſè, & pervicaciter criminis incuſare aggreſſus ſit falſiſſimus delator: Iram auget ex animadverſione hujuſcemodi ſtultitiæ; Hinc primo quaſi admirabundus, perfrictam Calabri frontem conſiderandam producit; fortaſſe in homine nationis genium arguens, & in ipſa illius Provinciæ gente ſurculum iſtum, nec degenerem, nec humilem, ſed altum, ramoſum, & fœcundum hujuſcemodi fructuum productorem:

47. *Exclamare libet &c.* Exclamatio ſpectat ad ſignificatio-

m nem

Perjuræ nugas poſthac conducite buccæ,

Et

NOTÆ.

nem indignationis, & iræ, teſte Cic. lib.4. ad Herenn. Uſus eſt etiam Virgil. 2. Æneid. verſ. 535. Idem ſonat *clamare*, ut eſt apud Liv. lib.3. *Clamant fraude fieri, quod foris teneatur exercitus*, & apud Terent. Adelph. *Clamant omnes indigniſſimè factum*; item & *clamor*, ex Virgil. lib.2. Æneid. verſ.336.

Talibus Otriadæ dictis, & numine Divum
Inflammas, & in arma feror, quo triſtis Erynnis,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.

Ex ſimili affectu exclamat Sectanus ira percitus contra Philodemum.

47. *Modica mercede &c.* Ideſt; O Judices cavete, ne perdatis argentum, quod inſumitis in comparandis hujuſmodi falſis delatoribus, qui vobis mendacia inſinuant, veritatemque neſcientes, aut diſſimulantes, innocentes, ut propriæ perfidiæ ſatisfaciant, ſtudent vexare.

48. *Perjuræ &c.* Nempe mendacis, & perfidæ ad ſenſum Virgil. 2. Æneid.

Talibus inſidiis, perjurique arte Sinonis.

Et Silii lib.16.

Perfidiam fugio, & perjuram ab origine gentem.

48. *Nugas &c.* Delationes futiles, & nullius momenti.

48. *Conducite &c.* Precio ne comparetis, ex imit. Plaut. Epid.

Fidicinam nummo conductam,

Et in Aulul. act.3. ſce.6. de Servo.

Cædundum illum ego conduxi.

Nec non Cic. Pro Cel. *Domum conduxit in palatio.*

48. *Buccæ &c.* Bucca eſt propriè oris concavitas intrà malas à mento ad oculos, quæ ſpiritu à pulmone revocato, & oppreſſis labiis retento inflatur: Sic intelligendus Horat. lib. 1. Sermon.

Quid cauſæ eſt meritò, quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet?

Hinc lux noſtro Satyrico, qui de Philodemo falſo relatore non

os

Et delatori ſit ſportula curta poetæ.

Ne

NOTÆ.

os ad loquendum poſuit, ſed buccam vento inani, ideſt futilibus verbis plenam, & forſan erumpentibus cum quodam turpi ſonitu, quem ſcloppum nuncupat Perſius Saty.5.verſ.13., ajens,

Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Omnia dicta ſcopticè, & reſpexiſſe crederem, ac ſibi ſumpſiſſe illud Cicer. ad Attic. *Si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, ſcribito*; ſic Bionem ineptè dictorum arguens.

49. *Et delatori &c.* Etiam iratus jocum proſequitur, inſinuando, quod etſi mercedem aliquam ei tribuendam opinati fuerint, eam modicam, ac tenuem eſſe debere: In vocibus porrò *Delatori poetæ* ludit, vel quia novum hoc, & uſque huc inauditum, vel quia incompatibilia ſimul ſint, & poetico decori minimè deceat hujuſcemodi turpe exercitium.

49. *Sportula &c.* Sportula diminutivum eſt a ſporta; in qua quoniam pecunia, quandoque etiam cibus, in quotidianum uſum deferri ſolebat, factum eſt, ut ſportula pro iis cibis, & pro eà pecunià acciperetur, quæ à magnatibus quotidie dabatur iis, qui ipſos officii gratià eſſent concomitati, aut domi ſalutaviſſent. Habet in hoc ſenſu Juven. Saty.1.

Nunc ſportula primo
Limine prima ſedet turba rapienda togatæ.

Et Saty. 3.

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?

Vox hæc in uſu Eccleſiaſticarum rerum recepta pro iis menſurnis diſtributionibus, quas Epiſcopi Eccleſiarum miniſtris Clero adſcriptis erogare conſueverant, prout opus eſſet, quemadmodocet S. Cyprian. Epiſt.34. ad Cler. in fin., ex quo Clerici, qui hujuſmodi ſportulàm acciperent, *Sportulantes* dicti, teſte eodem Cypr. epiſt.66. Id ab ipſo Eccleſiæ primordio obtinuit, ex S. Pauli ſanctione 1. ad Corinth.7. *Ita Deum ordinaſſe iis, qui Evangelium annunciarent, ut ab Evangelio viverent*; Praxis autem, hujuſcemodi decreto conſona, inſtituta fuit exemplo ducto ab ipſomet Domino, qui cùm munus prædicationis obiret, ab his, quæ dabantur (ut dicitur Joan. 12.) unà cum ſuis

m 2 victum

victum capiebat; nec non ab ipſis Apoſtolis, qui poſt ejus Aſcenſionem ex fidelium oblationibus victitabant, prout habetur Act.2. Aucto Chriſtianorum numero, Clericorum numerus inde major etiam factus; Hinc proſpectum, ut quibus una menſa commodè parari non poterat, certæ ex Eccleſiæ theſauro diſtributiones, quibus alerentur, tribuendæ eſſent, quibus ſportularum nomen impoſuere. Epiſcopo talis diviſionis tributa plena poteſtas, quem circa hanc nullis aliis legibus obſtrictum legimus, quàm juſtitiæ, & charitatis; quemadmodum videtur innuere S. Ambroſius Offic. lib.2. cap.21.; licet menſuram, modumque aliquem impoſuiſſe agnoſcamus Conſtit. Apoſt. lib.8. cap.31., à quibus præſcribitur, *ut Epiſcopo partes quatuor, Presbytero tres, Diacono duæ, reliquis autem Hypodiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, aut Diaconiſſis pars una dentur.* Quæ verba (etiam ſi in Apocripha, ut decrevit Gelaſius, & cenſent Eruditi, Conſtitutiones ipſas reiiciamus) mirè vetuſtæ Eccleſiæ diſciplinæ conveniunt, de qua teſtatur S.Cyprianus lib.4. epiſt.5.; unde diſcimus abundantiores ſportulas à Presbyteris, quàm à reliquis inferioribus Clericis accipi ſolitas, ni tamen horum aliquis, vel meritis, vel virtute ſibi paritatem cum ipſis Presbyteris comparaverit, ut habet de Celerino, & Aurelio Lectoribus, quibus (eo quod glorioſà Chriſtiani nominis confeſſione ætatis imbecillitatem, & perſecutorum immanitatem ſuperavere) S. Epiſcopus *honorem presbyterii deſignavit, ut ex ſportulis iiſdem cum presbyteris honorarentur, & diviſiones menſurnæ æquatis quantitatibus partirentur.* Alius tandem obtinuit proventuum Eccleſiaſticorum modus initio quinti ſeculi, quandoquidem ea plurium canonum decretis ſolidata invaluit diſciplina, ut Eccleſiæ redditus in quatuor portiones diſpertirentur, quarum duæ, ut habet Simplic. Papa epiſt.3. ad Sever., Eccleſiaſticis fabricis, & peregrinorum, pauperumq; erogationibus, una Epiſcopo, ultima Clericis pro eorum meritis, & prærogativis dividenda, tribuerentur; ſic tamen, ut has diſtributiones, eas etiam, quæ abundantius diſpartiebantur, vix ſuffeciſſe victui, ac veſtitui honeſtè comparandis, habeat S. Cyprian. lib.1. epiſt.10., indeque omnem luxum plenius exulaſſe ad normam Apoſtolicæ doctrinæ, quæ has Evangelicis præconibus debitas, ut viverent, non ut luxuriarentur, tradidit. Modernæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ à veteri differentiam

50. *Ne vos decipiat gens fallere docta bifronti*
Ingenio, & ſanctas faciat peccare ſecures.
Quo ſequar in centum mutantem Protea vultus?
Accu-

Notæ.

tiam circa adminiſtrationem, & diſtributionem Eccleſiaſticorum redditum hinc perſpicuè vides. Utrique praxi ſua laus, & excellentia, tempori, & Eccleſiæ ſpiritui mirificè accomodata; Utinam recto noſtrorum omnium Beneficiatorum uſu æquè ſancta, & commendabilis.

50. *Ne vos decipiat &c.* Fallacibus, ac ſpecioſo, licet adulterino colore fucatis delationibus.

50. *Gens fallere &c.* Perita in hac arte ex proprii ingenii verſutiâ.

50. *Bifronti &c.* Metaphor.; Bifrons enim, qui duplici facie præditus, ut de Jano dixere veteres, quem Bifrontem pinxere, quia alteram faciem ſuo loco, alteram à tergo haberet. Non inſiſto, utrum in hoc Numine Solem, ſeu mundum repræſentaverint, ſeu verius annum, eo quod ex ſe initium faciens fini occurrat. Qui noviſſe deſideret, Mythologos adeat, & Poetas: Janum novi, quantum ad hiſtoriam pertinet, antiquiſſimum Italiæ regem fuiſſe, quem geminam faciem ferunt prætuliſſe, quod ad regis prudentiam, ſolertiamque referendum eſt, qui & præterita noſceret, atque proſpiceret futura; unde Bifrons dictus: Hinc Perſ. Saty. 1. verſ. 58.

O Jane, à tergo quem nulla ciconia piuſit.

Relativè ad hæc per translationem ingenium Philodemi bifrontem nuncupavit, ſed diverſa ſignificatione, qua vulgari quodam adagio dicimus de homine vafro, & ſubdolo, habere duplicem faciem, ideſt ad quæcumque etiam minus honeſta perpetranda aptam, & verſatilem.

51. *Et Sanctas faciat &c.* Et Sacroſanctam juſtitiam, quæ reis puniendis incumbit, ad peccandum falsà inſinuatione cogat in damnatione innocentum.

52. *Quo ſequar &c.* E Prætorio in ſcenam prodeuntem Philodemum ſequitur Sectanus, ea nimirum mente, ut iterum im-

 manis

Accuſator eras nuper, faſceſque ſeveros
Gaudebas tractare manu lictoris amicus;
Nunc

NOTÆ.

manis petulantiæ illum arguat, Anceps primò videtur eſſe de homine ſubdolo plenè agnoſcendo; nam quæ relatio Prætoris ad ſcenam?

52. *In centum &c.* Inſtabilitatem primò obiicit, atque ingenii ad omnia prompti mutabilitatem: Ex his Proteum centum vultus mutantem nuncupat, ex antiqua fabula, qua veteres Mythologi effinxere Proteum Marinum Deum, Oceani, & Thetydos filium, Neptuni Phocas in mare paſcentem, eumdemq; vaticiniorum peritiſſimum, & in quamlibet formam ſeſe tranſmutantem: De quo lege Virgil. Georg. 4., & Ovid. 8. Metamorph. Hinc benè Clem. Alex. lib. 3. Paedag. circà initium fabulam hanc transfert ad hominem omni vitiorum genere imbutum; Lucian. lib de Saltat. ad ſaltatores, & hiſtriones deflectit, qui ſe referunt in varias formas: nam ait Deum illum *fuiſſe ſaltatorem, hiſtrionemque, qui ſcierit ſe in omnia tranſmutare, & convertere:* Caſſiodo. lib. 5. epiſt. 34. fabulam Protei accomodat homini fractæ, & inſynceræ fidei: Plat. in Jon. homini varias ſubindè mutanti opiniones, quo tenore S. Hiero. Jovinianum, lib. 2. adverſ. illum, Proteum nominat, intelligens de fallaciis, & aſtutiis hæreticorum in opinionum varietatibus: Euſtath. in 4. Odyſs. adulatoribus comparat, qui cupidi aſſentandi varias animi formas induunt; quod & facit S. Baſil. Orat. de legen. lib. Gentil.; Heliodor. tandem lib. 2. Hiſt. Æthiopicæ, qui eam traducit ad hominem deducentem alios à propoſito, & facientem illos aberrare. Adduxi has Mythologicas explicationes, ex eo quia, cum ſit iudubitatum Satyricum noſtrum in quæcumque vitia acriter, & fortiter ferri, ac proprerea hominem iiſdem inquinatum finxiſſe, ut haberet, quem profundo, atque immedicabili vulnere fauciaret, agnovi eas omnes, ſi rectè perpendantur, quæ huc uſque in Satyris dicta, & erunt in poſterum dicenda, mirificæ loco, & propoſito quadrare, & menti authoris accomodatiſſimas eſſe.

53. *Accuſator eras &c.* Senſus clarus eſt, ac etiam patet ex

55. *Nunc ſcęnæ indulges, reſolutaque pectora curis*

Ad

NOTÆ.

ex dictis: Unum addo faſces in veteri Republicà Romanà prælatos Conſulibus à lictoribus; Hi ex virgis ſimul colligatis componebantur, in quorum medio conſtricta ſecuris, qua puniientur nocentes.

55. *Nunc ſcænæ indulges &c.* Theatra frequentas, iisqe delectaris plus æquo, & honeſto. Theatri veteris deſcriptionem non aſſumo, qui velit, adeat Julium Cæſarem Bullengerum, penès quem integrum, doctumque tractatum, quem dilucidè compoſuit, inveniet; ejus iconem ex Gordiani celebri numiſmate Carpineo publici juris fecit meus Bonarrotus ſub pag. 13., ab eo mutuum accepi, & in gratiam lectoris iterum propono.



Habes Theatri topographiam ſemicircularem, habes gradus, & ſcęnam, quam plurimum à noſtra differre ſtatim agnoſces, optimèque percipies. Vitruvium lib. 5. cap. 8. conſule, ubi ejus nobilitatem in heroicis actionibus explicat. Ut enim verum fatear, ſcęnarum proſpectus ita conſtitutus, ut gradatim, & eo, quo nunc ordine procederet, Veteribus non fuit, ſed columnæ, cæteraque illuſtria hujuſcemodi ædificiorum orna-

menta ita ſigebantur, ut in rectum protenderent, eà tamen admirabili arte, decore, atque ſumptu, ut proſpicientes ad admirationem evocarent: cùm tamen in reliquis, ut bene obſervat Bonarrotus ex Ign. Dan., quaſdam tantùm rudes, & malè compactas machinas, in quibus Dii producerentur, inductas haberent, quas nos modò videmus noſtrorum tantùm proavorum ætate in praxim deductas. Sçena porrò originem, inſtitutionem, & ortum habuit in agris, at in Urbibus educata: ferunt, quod ruſtici, cùm ſe oblectarentur, theatra tunc non habentes, ex frondibus arborum ſpatium, locumque adornaſſe, qui locus ſcena dictus ab umbra, ἀπὸ τῆς σκιᾶς. Mox illatis in Urbem comediis idem nomen remanſit. Indè frequentiſſima per Urbes theatra ad feſta, & ad ludos; eaque ad urbis cujuſcumque ſplendorem, & nobilitatem ſpectaſſe credita ſemper fuere, quo circa cives iis maximè incubuere ad majorum, & magis conſpicuarum urbium æmulationem, prout habet Dio Chriſoſt. orat. 38. 40., & 45. Sanè Roma, in qua Imperii ſedes, & Urbium Principatus, etiam reliquas in Theatrorum magnificentia, pretio, atque luxu ſuperavit; Ejus, quod Marcellus ædificavit admirandæ molis veſtigia adhuc ſuperſunt: Theatrum Scauri temporis invidiæ penitùs ceſſit, tantumque ſupereſt ejus mentio apud Plin. lib. 36. cap. 15., qui ſic de eo ſcribit: *Hic fecit ædilitate ſua opus maximum, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis deſtinatione. Sçena ei triplex in altitudinem 360., in ea civitate, quæ ſex Hymettias non tulerat ſine probro civis ampliſſimi. Ima pars ſcenæ, è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ.* Ubi nota Hymettias columnas celebratiſſimas ex Hymetto monte, quarum cùm ſex haberet Craſſus, dictus eſt Marco Bruto cum ingenti probro, *Venus Palatina*. Reliquis ludis veteris Romæ Chriſtiana pietate abrogatis, uſus theatri ad ſolas comedias reſervatus eſt; Eminuit in Urbe paucis ab hinc annis inſigne apud Tyberim theatrum, conditum loco dicto *a Tor di Nona*, mira ad normam hodiernæ conſuetudinis amplitudine, ac magnificentia fabrefactum: Verùm neſcio quo fato, ſeù difficili temporum conditione deletum flevit Romanus populus, innocuum curarum lenimentum, virtutiſque potius, quàm vitiorum receptaculum.

55. *Reſo-*

Ad ludos transfers, & Stoica dogmata rides.
Sic olim rigidos Romana Orcheſtra Catones
Spe-

NOTÆ.

55. *Reſolutaque pectora &c.* Ex imit. Virgil. lib. 1. Georg.
Invitat Genialis hyems, curaſque reſolvit.
Catul. in Epigr.
O quid ſolutis eſt beatior curis?
Martial. lib. 10.
Non nox ebria, ſed ſoluta curis.
Et Sapphus in Aſmate ad Venerem.
Ἐλθέ μοι, καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον
Ἐκ μεριμνᾶν
Veni mihi, ô nunc Venus, & gravibus ſolve
Curis.
Itaut ſenſus ſit: O Philodeme jam ſcenam frequentas, & liber ab omni graviore cura ludis incumbis, & oblectaris.

56. *Et Stoica dogmata &c.* Ideſt ſtudia ſeveriora; niſi malis intellexiſſe Sectanum de ea Stoica inſenſibilitate, tam ad proſpera, quam ad infelicia, de qua Seneca in lib. de Tranquill. animi, & Diogenes Laert. in Zenone: Forsàn hoc ſapit jocum in hominem, qui ex ſuperius plurimis in locis dictis Philoſophiam profiteri oſtentavit pallio, & verbis tenus, ſed quaſi mimum agens, veterem hominem induit, ſtatim ac fabula ad finem perducta, & à ficta ſeveritate ad priſcam vivendi rationem occaſio ſe obtulerit redeundi.

57. *Sic olim &c.* Quid? Scenæ forsàn adeſſe præſumpſit Bion eadem cenſoria gravitate, poteſtateque, qua vetus Cato, aut ſi aliquis alius ad morum cenſuram evocatus eſſet veteri Romanorum imitatione. Nil minus, ridenda ambitio, ut ex ſequentibus dabitur intelligi: Interim ſciendum Cenſoriam poteſtatem Romæ inſtitutam fuiſſe ann. Urbis 311.; Munus autem ejuſdem ad extimationem facultatum, & morum pertinuit: Duo numero fuere cenſores, primo ad quinquennium duraturi, mox ex diſpoſitione legis Emiliæ annui, aut ſemeſtres, Dignitas autem maxima, parque poteſtas, nec vi quidem,

Spectavit, timuitque Remi turba improba naſum
Cenſorem morum; nam tota micabat in illo
Roma

NOTÆ.

dem, ſed honore etiam ſuprà Conſules ipſos, quorum omnia etiam inſignia habebant Cenſores præter lictores. Quod autem ad rem noſtram attinet, etiam opera publica erigendi, inſpiciendi, probandi iis jus erat; talia porrò theatra, ludi, ſolemniaq; feſta erant; unde benè Satyricus noſter priſci moris peritiſſimus ad Scenæ probationem Cenſoriam poteſtatem indicat evocandam, aut præſentem ſtatuendam in Philodemo hominum nugaciſſimo.

57. *Orcheſtra &c.* Orcheſtra hodiè ſumitur pro loco antè ſcenam proximè ſito, ſeptoq; ſeu ligneo, ſeu lateritio clauſo, ubi inſtrumentorum muſicorum fit concentus. Aliter apud veteres, quibus hic locus, ſeu orcheſtra inter ſcenam, & cuneos Senatoribus ad ſpectandum deſignatus erat, in quo pulpitum quinque non amplius pedibus altum, quod Græci θυμέλην nuncupabant, & λογεῖον, in quo chorus comediarum, & tragoediarum (quandiù comoediæ chorum habuerunt), ipſique etiam cytharœdi, & aulœdi, quotquot perſonam ex fabula non agebant, actioni ſubſerviebant. Dictamque orcheſtram tradunt Grammatici ἀπὸ τοῦ ὀρχέομαι, hoc eſt, à ſaltando, quod in ea Geſticulatores, Hiſtrionibus in ſcenam abditis, populum ſaltando detinerent. Conſule, ſi plura cupias, Bullengerum loco ſuperius indicato.

58. *Timuitque &c.* Ideſt acerbam irriſionem, ex notiſſimo, proverbio apud Horat. Satyr. 6. lib. 1. *Naſo adunco ſuſpendere*, quod eſt vafrè, & ſubdolè aliquem irridere; ſeu potius dic, timuit ſagacitatem, metaphora ducta à canibus, qui narium olfactu abſtruſiſſima quæque inveſtigant. Quo reſpexit Perſ. Sat. 1. verſ. 118.

Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

59. *Nam tota &c.* Nempè ex ejus ſeveritate, gravitateque Roma mores ſuos componebat, ut cenſuram effugeret. Supercilium etenim pro ſeveritate non infrequenter ſumptum,

unde

60. *Roma ſupercilio. Sed tu perfrictus in orbem*
Eri-

NOTÆ.

unde ſupercilium Cenſorium apud Valerium Max.; ideſt, gravitas, ſeveritaſque Cenſore digna. Huc convenire poteſt illud Juven. Sat.6.

Si cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.

Ubi de muliere patricio ex ordine prognata, quam etſi primo notet à ſuperbia, non tamen excludere videtur gravitatem, & ſeveritatem: Poteſt, meo judicio, dici Romam micare, ideſt pendere ab eo ſupercilio, videlicet à nutu hominis illius graviſſimi, quandoquidem, ut ait Cicer. 1. Officior. *Ex oculorum obtutu, ſuperciliorum remiſſione, aut contractione, ex meſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, & cæteris ſimilibus facilè judicamus, quid aptè eorum fiat, quid ab officio, naturaque diſcrepet.*

60. *Sed tu perfrictus &c.* Pudore depoſito, quod exprimitur à Cic. 3. Tuſcul. per illud, *Os perfricuiſti*, à Plin. in Præf. lib.2. *Perfricui faciem*, & à Martial. lib.11.

Aut ſi perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

Ideſt verecundiam removit à fronte, quæ ſedes pudoris, ut benè obſervat Schrevelius ad illud Perſ. Sat.5. verſ.104.

Exclamet Melicerta periiſſe
Frontem de rebus.

60. *In orbem &c.* Erigere vultum audacem in orbem, eſt vultu erecto, & impudenti ſe huc illuc inverecundè vertere, quod eſt nota hominis procacis, effrontis, atque temerarii. Propriè enim loquendo vultus eſt habitus, ſive ſtatus faciei, qui pro animi affectibus alius, atque alius oſtenditur; Quod fit, ut advertit Cicero 3. de Orat., *Imago animi vultus*; huic loco in totum, & forſan magna ex parte perſonæ, quadrat illud ejuſdem in Piſon. *Non nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit, quibus erat ignotus, decepit &c.*

61. *Ocu-*

Erigis audaces vultus, oculiſque procaris
Pulpita, quæ nuribus fulgebant culta Latinis:
Quodque magis miror, non te tabulata morantur
Vltima, ubi molles maturant ova columbæ,
Et

NOTÆ.

61. *Oculiſque procaris &c.* Et hoc ad impudentiam, imò ad effrenatam libidinem attinet; Oculos *animi indices* dixit Cic. 3. de Orat., qui quoniam ad amoris, ſeu odii indicium referuntur, etiam de libidine intelliguntur, ſi id ſubiecta materia exigat; In noſtro igitur caſu idem eſt oculis procari, ac laſcivire.

62. *Pulpita &c.* Hodierni theatri ea diſpoſitio eſt, ut ſpectatoribus non aſſignentur, ut antiquitus in uſu erat, gradus; ſed quidquid extrà ſcenam, iis conceditur, totum multiplici pulpitorum ordine diſtribuitur; Hæc autem inter ſe ſeu muro, ſeu tabulato diſtincta, ut plurimum in vſum, & commodum illuſtrium Matronarum, ac mulierum cedunt; Ita tamen, ut ſecundus, ac tertius, & forsàn quartus ordo Patriciis deſtinetûr; reliqui vulgarioribus fœminis tribuantur. De his, qui vulgò *palchetti* nuncupantur, intelligit Satyricus noſter, cum mulierum ibi morantium aſpectu procaciter delectantem Philodemum inducit.

62. *Quæ nuribus &c.* Ex imit. Ovid. 2. Metam.

Nuribus mittit geſtanda Latinis.

Ideſt pro fœminis Latinis; Vox ſiquidem hæc frequenter poetis pro ſexu poſita, licet in ſuo proprio ſignificatu filii uxorem connotet. Benè quidem Sectanus, nam noluit fortaſsè quaſcumque fœminas indigitare, ſed juniores, pulchrioreſque; adeo Philodemi genio adulari ſtudet.

62. *Fulgebant &c.* Fulgorem hunc, ſeu ad pulchritudinem, ſeu ad earum ornatum referas, nil moror.

63. *Non te tabulata &c.* Senſus eſt: Non intuitum ſiſtis, ò Philodeme, in viliorum fœminarum vultibus, quibus aſſignata ſunt extrema pulpita, & tabulata in theatro, & proximè ad tegulas morantur; non delectaris neque iis, quibus ordo quintus, & ſextus tribuitur; ſed ultrà juventam, & pulchritudinem exigis

gis nobilitatem Matronarum, quas oculis procari feſtinas. Apage ſtulti, ac temerarii hominis vecordiam! Sed explicationem hujus loci per partes exequamur. Tabulata ultima in noſtris theatris plebeis fœminis reſervabantur, dicebanturque à vulgo *la piccionara*, exemplo ducto à columbis, quæ in ſuprema turrium, ſeu ædificiorum parte ſolent ova ad fœtum pullorum producendum fovere, unde rectè noſter Author ex vulgari idiotiſmo, dixit ubi *maturant ova columbæ*: & quia ſtatim ſub tecto poſita, eleganter addidit, ibi criſtas, ſcilicet mulierum capitis ornamenta, quæ ab aliquibus *creſte*, ab aliis *ſcuffie* nuncupantur, peſſundari. Quod autem è ſuperioribus porticibus theatri ex veterum inſtituto tenujores ſpectarent ludos, teſtis eſt Dio, qui vocat *τὴν ἀνωτάτω θεάτρου ἁψῖδα*, & tecto munitas aſſerit, ut Solis ardor arceretur, Tertull. lib. de Spectacul. cap.28., cui dicuntur *Apuliæ*, *ἀπὸ τοῦ ἡλίου*, quaſi à Sole averſæ. Nec prætereundum in Romanis theatris, atque etiam amphitheatris, licet lapideis, & immani marmorum ſtructura ſuperbè, ac magnificè exædificatis, ſummum mœnianum ligneum fuiſſe. Id noſtris Authoribus ignotum, & ideò ſilentio preſſum, tandem ex veteri lapide emicuit; Hic è ruderibus antiqui, ſplendidique ædificii via Hoſtienſi quarto ab Urbe lapide ſemifractus erutus fuit, & exhibet illuſtre monumentum Actorum Fratrum Arvalium; inter quæ enunciantur loca eis in Amphitheatro Titi aſſignata, inter quæ legimus non tantum ſummum mœnianum ſimpliciter, quod debuit eſſe marmoreum, ut & reliqua, ſed ſummum mœnianum in ligneis, quod coronare debebat opus. Marmor hoc videre eſt apud Petrum Cardinalem Otthobonum, cujus animi, atque virtutis præſtantiam, nedum Romæ, ſed exteris, longinquiſque nationibus optimè agnitam, & probatam, futuro ævo immortalem ſpondent tot clariſſima geſta, eaque illuſtris munificentiæ decora, ac pignora, quæ non ſine admiratione quotidiè contemplamur. Nos partem lapidis tantum damus, eam ſcilicet, quæ ad noſtrum propoſitum pertinet: Integram exhibuit Abbas Philippus de la Torre eruditæ antiquitatis celeberrimus Interpres, ad calcem libri nuperrimè in lucem editi, cui titulus: *Monumenta Veteris Antii*.

LOCA

Et vicina Lapæ peſſundat tegula criſtas;
Sed de Nobilium gradibus, tignoque ſecundo
Quam

NOTÆ.

LOCA. ADSIGNATA. IN. AMPHITHEATRO
AELIO, PLAVTIO. LAMIA. Q. PACTVMEIO. FRONTONE.
COS. ACCEPTVM. AB. LABERIO. MAXIMO.
PROCVRATORE
PRAEF. ANNONAE.
L. VENNVLEIO. APRONIANO. MAG. CVRAT. THYRSO.
L. FRATRIBVS. ARVALIBVS. MAENIANO
I. CVN. XII. GRADIBVS. MARM. VIII. GRAD. VI. P. V.
GRAD. VIII. PED. V. S. Ɔ. E. PED. XXXIIS.
GRADV. I.
VNO. P. XXIIS. ET. MAENIANO. SVMMO. II. CVN. VI.
GRADIB. MARM. IV. GRAD. I. VNO. P.
XXIIS. ET. MAENIANO. SVMMO. IN. LIONEIS. TAB.
LIII. GRADIBVS. XI. GRAD. I. PED. V.
S. GRAD. XI. PED. V. S. Ɔ. F. PED. LXIIIS. S
SVMMA. PED. CXXVIIII. S.

65. *Et vicina Lapæ &c.* Vulgaris mulieris, & tenuis conditionis nomen, fortè derivatum à λαπαρὸς, quod eſt *tenuis*, vel etiam à λαπάρας, quod eſt *inanitus*, *& libidinoſus*.

66. *Sed de nobilium &c.* Gradus, qui Nobilibus, & Patriciis deſtinabantur mirè, lateque explicant Bullenger. de Theatro, & Lipſius de Romano Amphit., idcircò ſuperſedeo. De hodierna praxi ſatis dixi not. 62. in verſ. Pulpita hujus Satyræ Addo ex hoc loco bene colligi in Romano theatro fuiſſe ſeptem hujuſcemodi pulpitorum ordines, tres videlicet, ſecundum,

ter-

Quam ſequeris pendere ſolet; generoſaque fruſtrà
Corda petit jaculum, ſi fluxit ab ordine quinto,
Nec ſextæ obtutu dignaris fulcra coronæ.
Ob ſi Romuleis iterum dare jura theatris
Lec-

NOTÆ.

tertium, & quartum in uſum Patriciarum, primum, & ceteros ſuperiores à nobilibus feminis deſpectos: Hinc Satyricus de Philodemi arrogantia, atque vanitate appoſite ait, tantum eam, ſeu eas Matronas, quas ſequebatur, in ſecundo ordine manere, utpotè qui colere dedignatus ſit illas, quas priſca nobilitas, & Senatorius ſanguis non commendet.

67. *Generoſaque fruſtrà &c.* Scopticè, Generoſa corda dicit pro petulantibus, atque impudentibus.

68. *Jaculum &c.* Cupidinem arcu, & ſagittis armatum finxere Poetæ; rationem dat Iſidor. lib 8. cap. 11., qui ſic deſcribit: *Cupidinem vocatum ferunt propter amorem. Eſt enim dæmon fornicationis. Qui ideò alatus pingitur; quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur. Puer pingitur, quia ſtultus, & irrationabilis amor. Sagittam, & facem tenere fingitur. Sagittam, quia amor cor vulnerat: Facem, quia inflammat.* Brevius Apul. lib.4. *Cupido nominatur puer pennatus, & ſatis temerarius, flammis, & ſagittis armatus.* Quia igitur cor eſt amoris ſedes, inde cor ſagitta, ſeu jaculo vulnerari dictum. Hinc ad rem noſtram Virgil. 4. Æneid. de Didone.

Tacitum vivit ſub pectore vulnus.

Græcus poeta ſignate de amoris vulnere *ὑπὸ καρδίον ἕλκος*, & apud Nonn. lib.6. Dionyſ. *Amor Bacchum feriens.*

Εἰς καρδίην κατέπηξεν ὅλον βέλος
In cor infixit totum telum.

69. *Coronæ &c.* Pro conventu mulierum circumſtanti im in ſexo tabulatorum ordine, de quo ſuprà, ad ſenſum Cic. pro Milon. *Non corona veſter conſeſſus cinctus eſt, ut ſolebat.*

70. *Ob ſi Romuleis &c.* Romanis videlicet, à Romulo Urbis conditore. E jocis ad iras; & quaſi furens exclamat; O utinam iterum lex illa inſtauraretur, qua cuilibet ad normam pro-

Lectius, Oceanuſque queat, quam credo migrares
Hinc longè! Surgat Calaber. Quid, ſtulte, moraris?
Eja,

NOTÆ.

propriæ conditionis loca in theatris tribuebant, certe ô Philodeme, à loco expulſus, quem occupas, ad viliorem ſeſſionem depellereris.

71. *Lectius, Oceanuſque &c.* Ab initio Reipublicæ Romanæ commixti Equites plebi ſpectabant ludos, uſque ad L. Roſcium Othonem, qui primus à plebe diſiunxit, legem theatralem ferens, ut pauperes, & ſervi ſepararentur à divitibus, & ne quis in quatuordecim gradibus ſpectaret, cui non eſſet cenſus equeſtris; Huic alluſum à Juven. Sat. 3. verſ. 159.

Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.

His Equitum in theatro gradibus ſervandis præficiebantur aliqui, ex quorum numero fuere Lectius & Oceanus à Martiale memorati.

Quadringenta tibi non ſunt Chæreſtrate; ſurge:
Lectius ecce venit: ſta, fuge, curre, late.

Et alibi.

Eſt & in hoc aliquid, vidit me Roma Tribunum,
Et ſedeo qua te ſuſcitat Oceanus.

Ex quibus liquet eorum munus fuiſſe ſummovere plebei ordinis homines in ſedibus Equitum ſedentes: Quod & innuit Juven. inquiens.

Et de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit.

71. *Quam credo migrares &c.* E ſedili, utpotè non tuo, nec tuæ conditioni congruo.

72. *Surgat Calaber &c.* Vox theatrarii præfecti ad ordines diſponendos, cui conſonè Martialis, & Juvenal. ſupra relati, ac jubentis Philodemo à loco uſurpato abire. Imitatio ſic dialogizandi videtur ſumpta ex optima imitatione Perſii Sat. 1.; idque maximè ad Satyricum pertinere, ut veterum authorum exemplo notum ſit.

73. *Min*

Eja, ſurge, inquam. Min tù iſtud ais? Tibi;
Cur non?
Surge, & in eſtremo ſedeas, Philodeme, tigillo.
Sed quoniam leges periere, & crimine fati
Mix-

NOTÆ.

73. *Min tù &c.* Ex eodem Perſ. Satyr. ead. uſurpatum.

M. Quis leget hæc? P. Min tù iſtud ais?

Quæ verba ſunt Philodemi, theatralis monitoris voce quaſi attoniti, & obſtupefacti: Ita eleganter, & jocosè Sectanus, non tamen ſine aliqua indignatione ei illudere proſequitur.

74. *Et in extremo ſedeas &c.* Ubi plebi locus deſtinatus eſt. Tigillum nuncupat, nam ſedilia non, ut olim, marmorea, ſed ut plurimum lignea ſunt.

75. *Sed quoniam leges &c.* Vel ex contraria conſuetudine, vel diverſa Principis, ſeu Magiſtratus diſpoſitione abolitæ fuerunt.

75. *Et crimine fati &c.* Sonat idem ac Italica dictio, *per noſtra diſgrazia, e per noſtro cattivo deſtino*: Quæ loquendi formula nil ſonat, quod ſuperſtitionem, ac fidei Chriſtianæ adverſum ſapiat, ſed tantum alicujus infortunii expreſſiva eſt. Nequaquam enim concipiendum de illo, prout ſenſere veteres Philoſophi, & Poetæ, ineluctabili fato, quod homines effugere non poſſe dixit Joſeph. de Bell. Judaic. lib. 7. cap. 12., etiam ſi providerint, & præviderint; imò & ſuper Deos poſuere, quemadmodum docent Homer. 6. & 13. Iliad., Calaber lib. 11. & 13. ad finem, ac Cicer. in Catil.. Irriſit autem, ac muliebribus nugis tribuit Plat. in Gorgia reprehendens ſententiam illam, *ὅτι τὴν εἱμαρμένην οὐδ' ἂν εἷς ἐκφύγοι, à nemine poſſe fatum vitari*, quippè quæ providentiam excludat quamcumque, ac Chriſtianæ religionis principiis omninò contrarietur, præcipue cum in diſpoſitione ſyderum, in qua quiſque conceptus eſt, vel natus, fatum poſitum cenſuerint, ipſamque ſeriem, ſeu diſpoſitionem cauſarum eſſe ſecundum ſe neceſſariam dixerint, ita quod omnia ex neceſſitate contingerent propter hoc, quod quilibet effectus habet cauſam, & cauſa poſita neceſse ſit ef-

n fectum

Mixtus Eques ſervo, Proceres cerdonibus aſtant,

Et

NOTÆ.

fectum poni. Quæſtionem hanc latè tractat S. Thom. par. 1. quæſt. 116. Ipſum conſule, ſi vis ab errore quocumque in pari materia immunis eſſe.

76. *Mixtus eques ſervo &c.* Abuſum hunc vidit etiam vetus Roma; correctus à P. Othone, ſed paulatim lex optima abiit in deſuetudinem, & ad primævam corruptelam aditus denuò apertus eſt. Utinam ſuperſit noſtris temporis ſpes aliqua redintegrandæ hujuſcemodi legis. Quod porrò equitem ſervo opponat noſter Satyricus, non ſtrictè intelligendum puto de ſervili conditione, cujus ne quidem umbra Romæ ſupereſt; quin potius plebejam ſolummodò denotare voluiſſe autumo, nam ſervorum vices hodiè ſupplent famuli mercede conducti, qui ex ordine plebejo nati. De Romanis Equitibus aliqua congeſſimus ſuprà, nec aliquid addendum exiſtimamus; habent enim Authores, quæ ad ſatietatem ſatis faciant; ideo mittimus, ſicut & ordines Equeſtres, qui nunc vigent, quos lib. 1. Satyr. 2. verſ. 33. leviter delibavimus. Illud tamen non prætereundum ducimus, Equeſtrem ordinem ad illum honoris gradum deveniſſe, ut eo inſigniri ipſis è regia ſtirpe genitis, ac regibus etiam fuerit in maximo precio. Id apud Longobardos, ac Francos obtinuit: De utriſque enim habemus, minimè Regiis liberis patriæ menſæ aſſidere permiſſum, niſi poſt Equeſtrem gradum adeptum. De illis teſtatur Paul. Vuarnefridus de Geſt. Longobard. lib. 1. cap. 23., de his Author Chronici Gallico idiomate ſcripti, cui tit. *Entreveve de Charles IV. Empereur, & de Charles V. Roy de France* relati à Franciſco Redi in annotat. Italicis ad ſuum Dityrambum, cui tit. *Bacco in Toſcana* pag. 179. & 180. Vetuſtiſſima ergo hæc militia fuit, eaque procul dubio, quam agnovere idem Redi pag. 149., & Bocaccius in Decam. novell. 9. die. 8., appellantes eos, qui eadem honeſtati eſſent, Equites Baleneatos: Hos autem in honore primos, talemque gradum maxima cum pompa conferri ſolitum, certiſſimum eſt ex teſtimoniis nobiliſſimorum monumentorum: Plurimæ ſiquidem decoræ tum regulis, tum ritibus equeſtribus ceremo-

remoniæ ad hoc inſtitutæ fuerunt, quarum prima, præcipuaque balneatio erat, ideſt lotio in quodam balneo ab ipſis equitibus parato, ſicut referunt Chronicon Monſei SanDionyſianum de Ludovico ſecundo Rege Siciliæ, Briſſeus in not. ad Uptonum de ſtudio militari, & de Nicolao Laurentii, vulgò *Cola di Riento*, Joannes Villani, qui Eques à Populi Romani ſyndico armatus fuit ad altare S.Petri, cum anteà balneatus fuerit in Laterano in rariſſimo vaſe marmoreo, quo ferebatur Conſtantinus baptiſmatis Sacramento lotus fuiſſe, ſicuti narrat Author vitæ ejuſdem Nicolai his verbis: *Allora fù celebrato un ſolenne Ufizio per lo Chiericato, e puoi l'officio, entrò nel Vagno, e vagnauſe nella Conca dello Imperatore Coſtantino, la quale ene de porfiriſſimo paragone: Stupore ene queſto a dicere: Molto fece la jente favellare. Uno Cittadino di Roma M. Vico Scuotto Cavaliere li cienze la ſpada; e puoi ſe adormio en uno venerabile lietto, e jacque in quel luoco, che ſi dice le fonti di S. Jvanni.* Hec habet laudatus Redi pag.250. & ſeqq., ex quo ulterius diſcimus, poſt plura exempla, inſtitutum hunc tandem Etruriam occupaſſe jam à ſeculo decimo tertio, quo Aretii Eques balneatus armatus fuiſſe legitur in veteri membrana, apud Franciſcum Seta Piſanum ſervata, Ildebrandus Giratafca, ac ſeculo decimo quarto nondum deſiiſſe, ſiquidem ann.1388. hoc honore inſigniti fuerunt Jo., & Gualterius Panciatichi, prout refert hujus ceremoniæ diſtincta narratio inter ſchedas Comitis Ludovici Magalotti. Qui plenè cognoſcere cuncta, quæ ad rem pertinent deſiderat, adeat ipſum Redum, ubi ritus, myſteria, & munera hujuſmodi inſtituti enucleat; nobis hæc delibaſſe, ac ex eo contraxiſſe ſatis ſit. Unum obſervamus Gualterium in actu hujus ordinis aſſumendi nomen mutaſſe ob memoriam Patris, ac Bandinum propterea fuiſſe ex tunc in futurum denominatum. Ex hac illuſtri familia prodiit Bandinus Cardinalis Panciaticus, qui poſt plurima munera egregiè, & integerrimè functa, tandem Cardinalatus honore inſignitus à Summo Sapientiſſimo Optimoque Pontifice Alexandro Octavo, & ab eodem Apoſtolicæ Datariæ præfectus datus, eò excellet integritate, virtute, prudentia, præſtantia, ac reliquis tum corporis, tum animi dotibus, ut vix valeat digno, meritoque elogio commendari, quod eſt par ſit. Dicam tamè muneribus ab eo præſtitis, ac dignitatibus adeptis, non minimam lucem ex ejus electione acceſſiſſe, ac officio, hono-

Et cum Tongillo ſpectant aulæa Metelli,

Ac

Notæ.

honorique hominem quæſitum, qui dignè, ac eminenter, tum pari ſapientia, conſtantiaque calleret exequi, & decorare, ac Eccleſiaſtica jura tutari invicto corde minime expaveſceret. In hujus ſummi viri laudibus totus libenter eſſem, quia veritati & juſtitiæ obtemperare eſt, in iis diffundi, debitumque, nequaquam gratuitum eſt, præſtantiſſimo Cardinali obſequium aliquod tribuere, cum ſeſe aliqua præbet de eo loquendi occaſio. His perfunctoriè delibatis, unum addo, Bandinum noſtrum ex imitatione, ſeu potius æmulatione veteris Gualterii, nomen Nicolai in Bandinum mutaſſe, fortè certo quodam, optimoque inter illuſtres hujus familiæ viros preſagio, quo ad eminentiores dignitates appellantur. In ſola Anglia mos hic creandorum Equitum Balneatorum adhuc viget, referente Thoma Smitho in Angliæ deſcriptione cap. 17. per hec verba: *Equites Balnearii in ipſis Regum ſacrandorum celebritatibus, non ſine prolixis, & curioſis ceremoniis inſigniuntur.*

77. *Et cum Tongillo &c.* Viliſſimę, ac infimæ plebis perſonę ſpectant uno, eodemque loco ſimul aſſidentes ſplendidos hujuſcemodi apparatus ac Metelli, id eſt nobiliſſimi, quales fuerunt in Romana Republica Metelli, ſeu mavis dicere cum Tongillo nullius pretii, nulliuſque decoris viro aſſident Metelli virtute præſtantes, quod magis proprium eſſe videtur ad Sectanicæ ſententiæ explicationem, ut effugiamus quamdam *ταυτολογίας* umbram.

77. *Aulæa &c.* Accipe pro inſigni ſcenæ, theatrique apparatu: aulæa dicta fuiſſe noſcimus, quæ modo *panni d'arazzo* nuncupamus. Eorum uſum vetuſtum ex Plauto in Pſeud. act. 1. ſcen. 2. diſcimus, qui ait verſ. 13.

Ut ne periſtromata quidem, æque picta ſint campanica
Neque Alexandrina belluata, conchyliata tapetia:

Quæ enim belluata tapetia, niſi quæ haberent belluas vel acu, vel arte æxtoria pictas? Forte de iiſdem capiendi S. Hieronym. ad Letam: *In quibus non auri, & pellis Babylonicæ vermiculata pictura,* & Tibull. lib. 1. 2. qui *ſtragula picta vocat.* Sed magis

præ-

Ac coram Lepidis eructat Scurra Falernum;
Te palpare audes, & prima ſedilia turpi
Ambitione tenes: cubito rixaris, & illum

Atque

Notæ.

præſtat audire Sidonium, qui admodum bellè depingit talia tapetia lib. 9 epiſt. 13., & carm. 15. An ad hanc ſpeciem referenda ſint aulæa Attalica, ab aula Attali Aſiæ Regis, in qua primum inventa traduntur, dicta, determinet eruditus Lector.

78. *Et coram Lepidis &c.* Ulterius progreditur etiam infimæ gentis audacia, ut non contenta aſſidendi nobiliſſimis, & virtute præſtantiſſimis hominibus, etiam coram eis indecorè, & fędè ſe gerat, ructus ex ebrietate per os, quod maximè indecens, & incivile, emittendo, & efflando.

79. *Te palpare audes &c.* Ideſt tibi ipſi adulari.

79. *Et prima ſedilia &c.* Duplex ſenſus poteſt his vocibus ineſſe: Vel accipias prima ſedilia, ut primæ, & præcipuæ nobilitatis viris debita, & hinc ambitio Philodemi arguenda venit; vel intellige de primo ſedilium ordine in theatro, eoque orcheſtræ, ſcenæque propiore, & indè agnoſce ipſius vanitatem, qui locum illum occupat, ut facilius ex luminum proximitate ab illuc convenientibus videatur. Ità frequenter, quandiù ſtetit theatrum, ſcimus factum à pulchellulis quibuſdam, quorum veſania eo uſque proceſſit, ut putarent in ſui amorem circumſtantes matronas rapere poſſe, ſi earum obtutui ſe eſponerent, eo loci, quo luminis refractu facile conſpici poſſent. Cur non etiam licuit Philodemo, quem alibi diximus eſſe *il Cicisbeo della Sig. Hermopila?* Primum intellectum hujus loci attamen ſequor, quia ad ambitionem reiicit Sectanus, ſecundum etiam non reſpuo, quia genio Philodemi ex ſuperioribus apprimè accomodatum.

80. *Cubito rixaris &c.* Nempè, cubito contendis, ne te proximiores conſtringant; ita in ſimili Plaut. in Stich. act. 2. ſcen. 1. verſ. 13.

Cubitis depulſa de via.

Agit de diſcurrente per viam maxima populi turba plenam;

 idcir-

Atque hunc expungis; preſſis convicia labris
Ingeris, & podium longis clamoribus imples.

Nunc

NOTÆ.

idcircò ad eam perrumpendam cubitorum opem inducit, pro quo Horat. 2. Sat 6. dixit:

Facienda injuria tardis.

In Epiſtolis Epicuri non abſimile ξαυλικός εἰμι ἀποδιδῶσαι. Melius noſter Satyricus, qui ad petulantiam Philodemi exprimendam, cubitalem actionem à Plauto accepit, injuriam ex verbo rixari ab Horatio uſurpavit, & ex utroque optimam ſententiam conflavit.

80. *Et illum &c.* Moleſtus his, qui tibi proximè aſſident, ſis, eos cubitorum innixu expungendo: Hinc ambitioni, petulantiæ, atque vanitati ejus videtur à Sectano tribui, quod aliis injurius factus fuerit, vulgò *impertinente*; quod magis inſinuant, quæ ſequuntur, ubi ob tacita convicia, quæ ingerit in ſibi vicinos, in crimen vocantur, ac repræhenditur.

82. *Et podium longis &c.* Imò & locum omnem contentioſus, & clamoſus homo ſuis vocibus inquietat, ac turbat. Benè de theatro agens podium nominat, quod eſt locus ad ſpectandum habilis, ſed nobiliſſimis conceſſus ex veteri inſtituto, quidquid hodie ſit, & diverſimodè fiat. Id ſuadet Juven. Satyr. 2. verſ 147. inquiens:

Omnibus ad podium ſpectantibus.

Agitur quippe ibi nominatim de Capitolinis, Marcellis, Catulis, Fabiis &c. primæ, vetuſtæque Romanæ nobilitatis viris gladiatorium ludum ſpectantibus: Unde bene Lubinus podium hunc, locum arenæ gladiatoribus proximum cenſuit fuiſſe, ex quo Principes, & Nobiliſſimi, & Senatus adeo, & Magiſtratus ſpectabant: Certè hic primus ſubſelliorum ordo: Factum enim decretum, ut ait Sueton. in Aug. cap. 44., ut, quoties quid uſquam publicè ſpectandum proponeretur, primus ſubſelliorum ordo Senatoribus vacaret. Crediderim tamen verbum hoc ad totum theatri locum, quo ſpectatores conveniunt tribuendum, partemque ipſius pro toto à noſtro Satyrico elegan-

ter

Nunc quereris tibi plus æquo conſtare papyrum,

NOTÆ.

ter poſitam: Potes & referre ad ipſa pulpita, ſeu tabulata circum conſtructa, ſi quidem proprie, & in ſuâ genuina ſignificatione podium eſt locus inſtar pulpiti extrà domorum parietem porrectus, mutilis è mamore ſuppoſitis, qui apud Romanos appellatur *Ringhiera*.

81. *Longis clamoribus &c.* Ideſt magnis, magis intenſis, & maiore cum impetu prolatis.

83. *Nunc quereris &c.* Querrimonia de non ſervata œconomia, & male inſumpta pecunia in redimendo papyrum, quo oſtenſo portarum theatralium cuſtodibus, datur in theatrum acceſſus. Hunc papyrum, ſeu chartam Itali nuncupant *il bullettino*, nihilque aliud eſt quam parva charta, arte graphica impreſſa cum alicujus imaginis, ſeu figuræ repreſentatione; ea ut plurimum quinque obolis ſolita erat emi, ac dabatur quaſi teſſera, qua pateret ingreſſus comœdiam freqnentare cupientibus. Illud etiam obtinuit apud veteres Romanos, ut aliquid penderetur, & indicant verba Suetonii in Caligula cap. 26. *Inquietatus fremitus gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit.* Ergo ſi hæc ex voluntate Imperatoris gratuita, aliquid aliàs pendendum erat. Certè Plautinus Prologus id indicat receptum in ſervis:

Servi ne obſideant, liberis ut ſit locus:
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt,
Domum abeant.

Græci hæc Ὀπτήρια appellaſſe videntur, quæ explicant in Callimaco Scholiaſtæ, τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα; *Munera, quæ ſpectandi cauſa dantur*. Nec in ſervis hoc tantum, ſed receptum etiam in aliis à plebe opinor, qui Locariis, neſcio, quid pro ſedibus pendebant. Ità enim Martialis appellat, qui loca deſignabant. In Hermetis gladiatoris laudibus.

Hermes ſuppoſititius ſibi ipſi,
Hermes divitiæ Locariorum,
Hermes cura, laborque ludionum.

Hac Lipſius de Amph. cap. 15. à quo mutuavi.

Qui reſerat valvas, & denſas milite portas;
85. *Nunc cœlo inſultas, ſi frontibus unà reductis*
Scena minus celer eſt; aut ſi teſtudine chordas
Durius intorto percuſſit pectine dextra;
At ſi forte tuos titillant carmina lumbos,

Et

Notæ.

84. *Et denſas milite &c.* Morem tangit, quo, ut tumultui alicui, qui in tanto populi concurſu non difficilè poſſit aboriri, proſpiciebatur ex Principi juſſu, & providentia.

85. *Nunc Cœlo inſultas &c.* Contumelioſè ſe in Cœlum habet, & quaſi blaſphemat.

85. *Si frontibus &c.* Frons ſcenæ anterior ejus pars, vel principium, imitatione ducta ex Virg. lib. 1. Æneid. verſ. 170.

Fronte ſubadverſa ſcopulis pendentibus antrum.

85. *Una reductis &c.* Ideſt, ſimul replicatis, & invicem obſiſtentibus: ad ſenſum Virg. 4. Georg. verſ. 420.

Inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.

Scęna ſiquidem (cùm aliquod impedimentum occurrit) recurrit, & retroducitur, & id frequenter evenire ſolet, quia cùm penè ſimul conjungantur, hinc oritur, ut altera alterius motui obſiſtat.

86. *Aut ſi teſtudine chordas &c.* Altera Philodemici clamoris, & impatientiæ cauſa inſtrumentorum muſicorum diſſonantia, quæ delicatas ejus aures offendit.

87. *Durius intorto &c.* Veniam damus hoc loco Philodemo, Romaniſque auribus, quippè aſſueti divino Archangeli Corellii plectro, moduliſque, pluſquam mortalibus, cæteros in arte peritos, licèt egregios, faſtidiunt. Hic ille Archangelus animorum arbiter, & noſtri ævi non mendax Amphion, qui edito nuper modulorum libro, & Sereniſſimæ Sophiæ Carlottæ Electrici Brandeburgicæ, bonarum artium amantiſſimæ dicato, exteras quoque nationes in ſui amorem, & admirationem pellexit.

88. *At ſi fortè tuos &c.* Habes optimam imitationem Per. Saty. 1. verſ. 19., ibi:

Hic

Et mento implumis cantaverit hiſtrio, neſcis

Sta-

NOTÆ.

Hic neque more probo videas, neque voce ſerena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbos
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.

Hic agnoſcis eumdem ſenſum, nec omninò diverſum loquendi modum. In Perſio nobiles, Principeſque Romanos ad carminum prolationem, quaſi effectum eorumdem libidinosè recitatorum, præ libidine obſceno corporis motu ſubſilire contra bonos mores, & ſeveritatem majorum, imò & trepidare, & Venere inflammari. Vis etenim laſcivorum carminum, fœdarumque vocum ea eſt interiores renum receſſus ingredi, ad intima libidinis adyta penetrare, & illa incendere. Renes porrò ſunt in lumbis, qui libidinis, & Veneris ſedes, & officina σπέρματος. In Sectano autem eadem de Philodemo ſupponuntur, qui dicit carmina titillare lumbos, ſicut eos intrare dixit Perſius: Forſan noſter elegantius, & magis propriè, licèt alter efficacius. Titillatio ſiquidem eſt levis attrectatio alarum, aliarumve corporis partium, ex quo, cùm per translationem ad quovis modo blandiri, & voluptate afficere optimè referatur, hinc eſt, quod aptè ad ipſius libidinis effectus indicandos vox ipſa applicatur.

89. *Cantaverit &c.* Hi Hiſtrionum modi, ideſt laſcivi, quemadmodum notavit Cic. de Orat. *Ut laſcivia verborum hiſtrionales modos exprimant.* Bene autem *cantaverit*, dixit, cum relatione ad veterem uſum, quo Comœdi ſemper canebant fabulas; unde *locare vocem* à Juven. Saty. 8. dictum de iiſdem. Duplex autem modus eas repræſentandi hodie viget, vel eas recitando, vel cantando: ad hunc ultimum habet relationem Authoر noſter.

89. *Hiſtrio &c.* Hiſtriones actores, qui perſonati in ſcenis fabulas agunt eſſe, notum eſt; Hos ab Hiſtria regione primum veniſſe, indeque nomen ſortitos tradit Feſtus, refragantibus Livio, Valerioque, qui ſcribunt nomen hiſtrionis derivatum ab *Hiſtro* Tuſco verbo, quod latinè *Ludionem* ſonat. *Ὑποκριτὰς, καὶ μίμους* Græci dixere, eo quod ſimulent, & imitentur alterius perſonam, vel quod choro reſpondeant, aut etiam quod

ſcur-

90. *Stare loco, & ſpurcâm labro ſorbere ſalivam;*

Atque

NOTÆ.

ſcurras agant. Artem hanc cum tota antiquitate deteſtatus eſt Juvenal. Saty.8., quam lege, ſi lubet. Hos non tantùm ex Urbe, ſed ex Italia pepulit Tiberius anno vigeſimo tertio, ut placet Dioni lib.57., vel vigeſimo quinto, ut ſcribit Tacitus lib.4. Annalium, referens; *Variis dehinc, & ſæpius irritis Prætorum quæſtibus, poſtremò Cæſar de immodeſtia Hiſtrionum retulit, multa ab iis in publicum ſeditiosè, fœda per domos tentari: Oscum quendam ludicrum leviſſimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum, & virium veniſſe, ut authoritate Patrum coercendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italia.* Hiſtriones infamia notat non tantùm jus civile, quàm Canonicum; inde lex 1. §. ait Prætor ff. de his, qui notant inf. indicit: *Eos, qui quæſtus cauſa in certamina deſcendunt, & omnes propter premium in ſcenam prodeuntes, famoſos eſſe Pegaſus, & Nerva reſponderunt*; Militeſque tale crimen perpetrantes capite damnat l.quadam ff. de Pœnis. Simili infamia notat lex Eccleſiaſtica ex Conc. Carth. 7. relat. 4. quæſt.1. can.1., & ex Conc. Aurel. relat. de Conſecrat. diſt.2. can. *pro dilectione*; Unde tales prohibentur à promotione ad quemcumque ſacrum Ordinem ex Conſtit.S.Greg.M. 53. diſt. *Maritum*, cùm etiam à corpore Chriſti ſacramentaliter ſumendo arcendos definierit ſupracitatum Concil. Aurel. d. can.

89. *Neſcis &c.* Habes explicationem hujus loci ſupra not. 88., ubi de obſceno corpori motu ex concepta libidine.

90. *Et ſpurcam labro &c.* Eſt apud Italos adagium; *Gli viene l'acquarella alla bocca*, cùm de homine agitur, qui libidinis tentigine, ſeu rei alicujus viſæ vehementi deſiderio, aut voluptate tenetur; Sane dictio hujuſcemodi ad hominem mollem, & effeminatum pertinet; uti in ſimili Perſ. Saty. 1, verſ.104.

Summa delumbe ſaliva
Hoc natat in labris.

Nam Satyricus ille indignationis plenus vanitatem Poetarum vehementer perſtringens, illud hoc in loco eis exprobrat, quod

molli

Atque iterum cantare jubes, iterumque, ſuperbè
Protinus exclamas. Quid quod nec ſubligar illi
Profuit, & triplici femoralia condita nodo?
Nam caſto fruſtrà multum luctata metallo
Sæpe

Notæ.

molli, tenera, & liquata voce ſua carmina pronunciare conentur, & quod in lingua, & labris verba effeminent, molliter expreſſa, & in ſumma ſaliva natantia. Humida etenim lingua, & multo humore, & ſaliva ſcatens, non fortiter aliquid, ſed molliter, tenerè, & enervatè pronunciat.

91. *Atque iterum &c.* Morem tangit, qui invaluit, ut quoties Hiſtrio aliquid jucundius canat, iterum idem cantare jubeatur, quod fit multiplici auditorum exclamatione, per illa verba vehementer, & plaudente ore repetita: *Vn'altra volta.* Hoc, quod ad plauſum pertinet, neſcio an in veterum uſu fuerit obſervatum: Certe tunc acclamationes in theatris frequentiſſimæ fuere, prout libido, & nullis vinculis obſtricta illorum temporum peccandi libertas permittebat. Hoc paſſim apud Authores; unde de re notiſſima diſſerere ſuperſedeo. Illud tantū addo, aliud tunc fuiſſe genus acclamandi, & plaudendi in theatris, quod ad viros Principes, ſeu virtute clariſſimos, ac etiam gratia, & dignitate præcipuos pertinuiſſe evincit Lipſius lib. 2. Elect. cap. 10., idque obtinebat, ſtatim ac in ipſa theatra venirent, indeque compoſito plauſu excipiebantur, iiſdemq; aſſurgebant. Utrumque honoris habendi cauſa, & promendi favoris, cùm è contra eos, qui infames, aut ingrati, ſibilo, aut paſtoricia fiſtula reiicerent, & ſegregarent. Exempla, monumentaque plurima ſuppeditat idem Author, quem, oro, adeat eruditus lector.

92. *Quid quod &c.* Obſcenæ actionis ſatiricè Philodemum arguit; quod ſcilicet eo laſciviente juvenem, & cantantem molliter hiſtrionem ſubligar ipſum minimè juverit, ideſt ſubligaculum illud, quo pudenda teguntur, imò nec ipſa femoralia, quamvis multiplici nodo conſtricta, & arctiſſimè juncta,

93. Ni-

95. *Sæpe Tarentino diſcincta eſt fibula ſoldo;*

Dum

NOTÆ.

95. *Fibula &c.* Diverſas fibularum ſpecies enumerat Ferrar. de Re Veſtiar., cui conſentit Philander Caſtilionius ad cap.2. lib.10. Vitruvii, qui iis addit fibulam architectonicam, quam Græci περόνην vocant, veluti axiculum, ſive ſubſcudiculam, aut claviculum, quo traiiciuntur tignorum capita, ut duci poſſint, quo imæ partes divaricentur. Quæ autem ad rem veſtiariam pertinent, veſtes ſubnectebant; de his Prudentius in Hymn.

Rex ipſe Coos æſtuantem murices
Lænam revulſa diſſipabat fibula.

Revellebatur autem acus, quæ vocabatur. Harum fibularum apud Cæſares is numerus fuit, ut inter Miniſteria Palatina legatur alicubi Præfectus A FIBLIS, qualis fuit Theopræpon Auguſti libertus; cujus meminit marmor Gruterianum pagina 474.4. Ab his diverſæ fibulæ, de quibus hoc loco Satyricus noſter agit; intelligit tantùm de is, quæ uſui fuere ad reprimendum coitum. His infibulabantur Cytharedi, atque Hiſtriones præcipuè, tum qua ſtus, tum vocis gratia, cum etiam alii ad ſanitatem. Infibulandi rationem monſtravit Cornelius Celſus lib 7. cap.25., qui hoc idem ſæpius inter ſupervacua, quàm inter neceſſaria eſſe teſtatus eſt. Præſtat eum audire: *Cutis, quæ ſuper glandem eſt, extendebatur, notabaturque utrinque lateribus atramento deinde remittebatur. Si glans a notis libera erat, quæ notæ erant, cutis, acu filum ducente transverberabatur, ejuſque fili capita inter ſe deligabantur, quotidieque movebatur, donec circa foramina cicatriculæ fierent. Hæ ubi confirmatæ erant, exempto filo, fibula addebatur.* Hujus fibulæ bis meminit Juven. Saty.6. verſ.73.

Solvitur his magno comœdi fibula

Et inferius verſ.378.

Si gaudet cantu: nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Item Mart. lib.9. Epig.

Cujus refibulavit turgidum faber penem.


Unde

Dum cupis unciolam digito penſare ſalaci,
Et mollem tenerâ ſemper lanugine pubem.

Ma-

Notæ.

Unde apud eundem non ſemel hæc vox uſurpata, pro fibulam ſolvere, eos juvenes mordens, qui ſe laſciviæ dederant. Æream hujuſmodi fibulam vidi non plurimis ab hinc annis apud eruditum, laudatumque Philippum Bonarrotum, cujus imaginem ſub numero 2. exhibeo ex tunc delineatam, & diligenter apud me ſervatam. Aliam, quæ prima eſt, ex Pignorio ſumpſi, quem minimè in eo probo, quod omnes fibulas veſtiarias eſſe cenſuerit, & tantum ad penem pertinuiſſe circellos æreos, ſeu argenteos, ſeu aureos, utpotè leviores ſcripſerit; nam, etiamſi circellos non negem, fibulas tamen admitto, ne a genuino authorum ſenſu diſcedere cogamur; nec ulla ratio prohibeat, quin & leviuſculæ efformarentur, quam illæ, quæ ad rem veſtiariam deſtinabantur.



96. *Dum cupis unciolam &c.* En ſolutionis fibulæ cauſam, ex Philodemi laſciviâ; Loquendi formulam hauſit Sectanus ex Martial., quem vide.
Habet quid Simile Juven. Satyr. 1. verſ. 40.

Unciolam Proculejus habet, ſed Gillo deuncem;
Parteis quiſque ſuas, ad menſuram inguinis hæres.

Ubi Author Iudit in ambiguo, nam & ſi Proculei unciola, & Gil-

Maſturbatorem caveas, Marcelle, Seleucum
Vendere ſi curas populo, gentique togatæ;
100. *Nam de plebe Numæ modulis cantare periti*
Penè

NOTÆ.

Gillonis deunx referenda ſint ad hæreditatis partes, quibus a vetulâ, laſcivâque fœmina donati ſunt; attamen cum pendeant ex eodem uſu loquendi, & ad Satyram adequati, de quo Martialis primum relatus, videtur in eo jocum poſuiſſe, ut hæreditatis partes ab ipſius inguinis menſurâ metiendo, quamdam proportionem etiam in ipsâ vi verborum conſtituiſſe, ut unciola, & deunx tam de hereditate, quàm de inguine fuerint concipienda.

98. *Maſturbatorem caveas &c.* Maſturbator, Maſtuprator, & Maſcarpio idem ſunt; Philoxenus in Gloſſ. explicat *Maſturbat, manu turbat, δέρει, δέρεται, ἐστὶ δὲ ῥῆμα κοινὸν, penem pelle nudat, eſt enim verbum obſcœnum*. Sanè Maſturbare Græci dicunt χειρουργεῖν, q. d. *manibus operari*; ità tranſtulit in Diogenis apophtegmate ejus interpres. Maſcarpionem dixit Petron. in Satyr. pag. 486. edit. Amſtelod. ann. 1669. Manſtuprare habet Onomaſticon, quaſi *manu ſtuprare*, vel potius *proſtituere ad impudicitiam*, hæc enim genuina ſignificatio verbi μαστροπεύειν, niſi malis a μαστροπὸς derivare, quo ſignificatur *leno*, vel *lena*, itaut maſtuprare propriè ſit, ſui ipſius lenonem eſſe, ac ſecum libidinosè agere. De hoc ſcelere plura Martialis, qui lib. 11. epig. 23. aliter accipit, & ad hominem impudicum vocem refert, ephœbum, non verò ſe ipſum manu turbantem.

98. *Marcelle &c.* Nomen, ut puto, viri noſtris temporibus noti, qui comædiis repreſentandis incumbebat, conductis cantatoribus, & pretio ab auditoribus habito, ut inde lucrum aliquod perciperet.

99. *Vendere ſi curas populo &c.* Si cupis pretium tuarum comediarum, & præcipuè ejus, quæ Seleucus inſcribitur, ubertim recipere a concurſantibus ſpectatoribus.

100. *Nam de plebe Numæ &c.* Videlicet Romani a Numâ veteri Romanorum Rege, ante quàm Reſpublica fieret.

100. *Mo-*

Penè omnes; Horum auriculas exulcerat error
Vel minimus, raucoque expenſas gutture voces
Plus horrere ſolent, quam circum Epirhedia mur-
mur.

Alte-

Notæ.

100. *Modulis &c.* Tacitè Romanam juventutem reprehendit, quæ, cum pronuncibantur hujuſmodi Comędiæ, penè omnis muſicæ incumbebat, ſeque plenè muſicorum modulorum peritam uſque ad excellentiam jactabat.

101. *Horum auriculas &c.* Adeò delicatam etiam fingit, ut ex minimo non tantum errore, lapſuque ejus exulcerentur aures, ſed ex quavis raucedine vocis ipſorum Comicorum horreat; Porrò ex actibus Venereis vocem peſſundari plus ſatis notum, indè ad eam in ſuis hiſtrionibus ſervandam veteres adhibuere fibulas, de quibus ſuprà, vt laſciviam eorum continerent. In his Sectani verbis agnoſce etiam ſuos ſales, & quandam dicendi energiam, quæ noſtri Satyrici propria eſt: nam in verbo *auriculas* videtur arguere quamdam ſpectatorum mollitiem, & ſi enim illam particulam de totâ aure accipiat, ſcimus in ſua genuina ſignificatione mollem illam denotare partem, quæ etiam infima, & ima auris appellatur. Quod autem pertinet ad vim conceptorum verborum, quid fortius & efficacius quam illud *exulcerat, & plus horret;* hæc etiam magis aucta ex proximâ paritatem convincitur.

103. *Quam circum &c.* Antè quam ulterius progrediar, explico ſenſum, & pando morem. Societas Florentinorum, quæ ſub titulo S. Ioannis Decollati, Romæ inſtituta fuit, patibulo damnatos ſolari, & ad pie moriendum diſponere ſolet, necnon ad patibulum certis quibuſdam precibus conceptis, & cantu quodam flebili, pronunciatis aſſociari. Certe tragica hujus ſpectaculi ſpecies quodam quaſi terrore non minus oculos, quam a tres adſtantium afficit: Hinc noſter Author anſam accipit exagerandi horrorem illum, quem ex raucedine talium hiſtrionum concipit Romana Juventus, inductione alterius cantus, qui verè fit & ex occaſione, & ex vocis ipſius pronunciatione in omnium horrore.

103. *Epi-*

Alternum, tetroque liquata piacula metro,

Quæ

Notæ.

103. *Epirhedia &c.* Epirhedium vehiculi genus, de quo Juven. Satyr. 8. verſ. *66.*

Tritoque trahunt epirhedia collo.

Veterem formam eorum neſcio, uſum autem ad onera ferenda probo; unde minime dubium quin Sectanus nomen hoc traxerit ad indigitanda vehicula illa, quæ denominamus *Carrettoni*, uno tantum ducta equo, quæ ad ligna, aliaque humano uſui neceſſaria vehenda aptiſſima ſunt, utpote quæ, etiam ſi maximo onere gravata ſint, facillime circumducuntur, ampliſſimis, quas habent, rotis totam molem ſuſtinentibus, & prompta verſatione ad motum impellentibus. Inventum hoc debemus Michaeli Angelo Bonarroto Florentino Civi, qui nomen Divini ob eximiam in pictura, ſculptura, ac architectonica excellentiam adeptus fuit; ejuſque exemplar affabre depictum ſervatur inter admirandas plurimorum inſignium pictorum tabulas apud Burgheſios Principes in Villa vulgo *Mondragone*. His ſuperimponi ex Romano hodierno more ſolent rei morti damnati, cum ad furcas ducuntur.

103. *Murmur alternum &c.* Flebilis cantus, de quo ſuperius, qui alternis vocibus pronunciatur.

104. *Tetroque liquata &c.* Velim ſcias ad Chriſtianum, Catholicumque ritum pertinere, ut ſic canentes preces tantum inducant, quo Deum morienti propitient; inde preces hæ ſub nomine piaculorum nuncupata: Nam piaculum quidquid agitur, ſeu præbetur pro ſatisfactione peccati, beneque trahitur ad actionem, qua in reo pœnitentia, & conſtantia à Deo debet implorari. Liquata autem bene dicuntur ex imitatione Perſ. Satyr. 1. verſ. 35.

Vatum & plorabile ſi quid eliquat.

Quamvis enim ibi accipiat poeta de voce molliter flexa, & laſciva, tamen eam proprietatem dictionis innuit, ut ad tragicum quid referenda veniat, & quaſi ſtrangulate ſit pronuncianda, nec aperto ſono verba efferat; translatum à colo vinario,

quo

105. *Quæ facit occiduis pietas Etruſca galeris.*
At quo feſtivo me raptat pulvere currus?
Ogigii diſcincta Dei plebs ſacra frequentat,
Tota-

Notæ.

quo vinum tranſmittitur ad defecandum, quod guttatim fluit, & vix ejus procidentia in ſubiectum vas auditur.

105. *Quæ facit Occiduis &c.* Florentinorum ditio maximam Ethruriæ partem occupat, unde Supremus illius Provinciæ Dominator, Magni Ducis Ethruriæ nomen ſortitus eſt, cujus Metropolis Florentia, ubi Principis Sedes, quam feliciter implet Coſmus Tertius Mediceus Magni Ferdinandi filius, cujus pietatem, & religionem cetera exornant principatus decora; illique venerationem & amorem non minus ſibi ſubjectæ gentis, quam exterorum conciliant.

105. *Galeris &c.* Maximos, eoſdemque hinc inde à lateribus pendentes ferunt in capite galeros hujuſmodi Societatis Confratres, dum damnatos ad patibulum aſſociantur, ut alibi dictum eſt.

106. *At quo feſtivo &c.* A Theatro ad Bacchanalia ſe confert Sectanus, quid in eis ageretur inſpecturus. Videtur tamen ad ea ferri, inſcius, quo ducatur, & quaſi invitus; admirabundus enim loquitur, & interrogandò quærens, ubi nam feſtivo curru veheretur.

106. *Feſtivo pulvere &c.* Ideſt curru, ſeu Rheda pulverulenta; non quia vilis, & vulgaris, ſed quia has ſordes contraxerat (licet decora eſſet, & mirum in modum ornata) ex ipſo Romani ſoli vitio, quod evenit ex nimio equorum, & rhedarum attritu, ubi plurimus earum concurſus, ut fit per Flaminiam viam hiſce Bacchanalium diebus.

107. *Ogigii &c.* Ogigius Deus Bacchus eſt, àb eo Bacchanalia dicta fuere ejus Sacra, in quibus viri per noctem fœminis, & teneræ ætatis virginibus turpiter miſcebantur per dolum. Hæc primum apud Græcos invaluere, ac Athenis deſinente hyeme, & ineunte vere quolibet triennio celebrabantur, ut annotat Ariſtoph. interpres; vocataque fuere *Διονύσια*, quia Bac-

chus etiam agnoſcebatur ſub nomine Dionyſi, quaſi ὁ Διὸς, ποτὲ ὁ νῦν, νόσων. Hunc Bacchum Ogygium vocat noſter Author, Thebanum videlicet, ut ab Indico diſcriminet, quos plerique Authores confundunt, utrorumque facta, res, & cul tum miſcentes: nam Thebani idem, ac Ogigii ab Ogige eorum primo Rege, ex cujus progenie Semeles, quæ dicitur ex Jove Bacchum concepiſſe.

107. *Diſcincta &c.* Cinctum eſſe, erat modeſtæ diſciplinæ argumentum, unde apud Horat. *Cinctuti Cethegi*, & apud Plaut. *Cin Iiculo præcinctus*. Hinc è contrà diſcinctum eſſe mores diſſolutos arguebat. Facit Sueton. in C. Cœſare, apud quem Silia de eodem jam puero: *Male præcinctum*, inquit, *puerum caveatis*, quod fluxiore cinctura uteretur: Addo Perſ. Satyr. 4. verſ. 22.

Cum benè diſcincto cantaverit ocyma vernæ.

Refer etiam diſcinctos ad negligentes, authore Servio, ut ut contrà *accincti* ſint induſtrii, apud Phœdrum fab. 36, *alticinctus Atrienſis*, Petron. *Statores altius cincti*: Vetus Gloſſar. ἀνεσταλμένος *alticinctus*. item ὑψίζωνος, & εὔζωνος *expeditus*. Etiam penes Senec. epiſt. 33. *alte cinctos* legas ſtrenuos, & ad ſudores. Habes igitur molles & negligentes nuncupari diſcinctos, cujus ea ratio, quod ii dimiſſis, diſcinctiſque veſtibus uterentur, tunc cum longa toga apud Romanos erat in uſu, quando ſtrenui, & induſtrii, ut eſſent ad res exequendas promptiores, ſuccincti incedebant. Secundum hunc ſenſum ait Perſ. Sat. 3.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ.

Horat. Epod. Ode 1. *Nepotem diſcinctum*, ideſt omni luxuria diffluentem; Ovid. 1. Amor.

Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaque in ocia natus.

Plebs igitur diſcincta Sectano eſt eadem, ac laſciva, intemperans, & ocioſa.

107. *Sacra frequentat &c.* Sacra Bacchi, ſeu Bacchanalia nuncupat ex quadam veteris moris imitatione, non verò ex ſimilis ſuperſtitionis obſervantia, quæ à Chriſtianis inſtitutis ab iis terret: Alludit fortaſſe ad licentiam quandam, quæ toleratur in hiſce diebus, lætitiæ, & ad animum à gravioribus curis remittendum tributis, ut promptior ſit ad dies pœnitentiæ adjectos, qui ſtatim ſequuntur, hilari mente proſequendos. Tolerantiæ hujuſcemodi libenter adhæret ocioſa juventus, quæ thea-

tra

tra ad comœdias audiendas frequentat, choreas ducit, perſonata per Urbem incedit, non autem ex tali iſtituto audet iis criminibus ſe polluere, quæ ad vetera Bacchanalia pertinebant, ſacriſque legibus mulctantur. Habent igitur iis tantum conforme, quod cum aliquo tripudio, & ſtrepitu celebrentur, ut de Bacchicis ſacris paſſim authores, à quibus ſaltantes, & choreas ducentes illi, qui iis adſtant, inducuntur: Habent etiam, quod eo tempore comœdiæ repræſententur, quod & iis ſacris erat in uſu, nam Ariſtoteli in Problem. Hiſtriones Dionyſiaci artifices dicuntur, & lib.6. Polit. Διονυσιακὸν θέατρον, quod propè Piræum fuit Athenienſium. Item & Thucydidi Διονυσιακοὶ ἀγῶνες *certamina*, quæ & σκηνικοὶ, καὶ μουσικοὶ ἀγῶνες dicebantur, de quibus intellexit Pollux Ariſtophanem in Achar., inquiens: Ο' ἐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών. Nullos verò perſonatos illis interfuiſſe unquam legi; Id ſiquidem ad alia feſta ſpectabat: puta Quinquatribus minoribus Minervæ Sacris, Idibus Juniis celebratis, quo tempore Tibicines perſonati per Urbem incedebant, in memoriam, quod olim ebrii ex Tybure Romam reducti fuere, ut cum non omnes eſſent, viderentur omnes ſimul aliis ignotis, & perſonis admixti. Ita Ovid. in Faſtis, dicens:

Cur vagus incedat tota tibicen in Urbe,
Quid ſibi perſonæ, quid toga longa velint.
Callidus, ut poſſit ſpecie, numeroque ſenatus
Fallere, perſonis imperat ora tegi.
Admiſcetque alios, uti & hunc tibicina turba
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.

Sed & perſonæ in Megalenſibus quoque aſpiciebantur, de quibus Herodianus in Commodo ſic ait. *Veris initio, ſtato, ſolemnique die, quem Megaleſia vocant, Romani pompam Matri Deum celebrant, prælata divitiarum magna pompa: permiſſumque cuique perſonas eo die inducere, quas cuique libitum, cujuſve magiſtratus, aut hominis imaginem effingere, ante ſimulacrum ejuſdem Deæ ludere.* Perſonatos habuit & Comœdia, ſed extra has pompas, & celebritates nullus alius uſus; quare nullibi in hoc noſtra Bacchanalia cum veteribus conveniunt, nec aſſimilari poſſunt. Potius tamen inde nomen ſervaſſe dixerim, quod in proverbio eſſet Bacchanal exercere, cum aliquem delirare dicere vellent. Ita diſcimus ex Plaut. in Amphitr. act. 2.

Bacchanal ſi exercitare cœperit, ſenex.

Totaque Flaminiæ laſcivit Roma feneſtris.

Inſa-

NOTÆ.

Unde ad ea deliramenta tranſlatum, quibus hoc tempore juventus otioſa agitatur; imò & aliquorum licentiæ tribuendum, qui, ut ait, Juven. Sat.2.

Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Ideſt continentiam fingentes, cum aperta facie procedunt, omnium ſcelerum ſeminarium ſunt, ac perſonati incedentes, nec agniti ad omne nefas convolant: Utinam à nobis ſemper abſit hujuſmodi Hypocritarum longiſſima ſeges, qui in hominum conſpectu ſanctitatem, temperantiam, & continentiam mentientes, ut indè favorem, famam, & utilitatem capiant, nocturna clam inter vina, & epulas nefanda ſtupra, & adulteria admittunt. Sed ad rem: Vetera feſta Bacchanalia Romæ noctu tantum facta, ac tandem prohibita ex Senatus conſulto, tanquam mores corrumpentia docet Livius lib.40.; quis Roma Chriſtiana eorum aliquam imaginem turpi ſucceſſione rediiſſe profitebitur? Potius comparaverim feriis ſtultorum à Quirino inſtitutis: Quin & aliquam Saturnaliorum umbram agnoſco, in iis, quæ Saturni feriæ in veteri inſcriptione apud Gruter. pag.133. nuncupantur. Originem eorum aſſignat Dionyſius Halicarnaſſeus lib.3. Tullo Regi; Livius autem lib.2. poſt exactos Reges feſtum id conſtituit inductum A. Sempronio, & M. Minutio Coſs. ac Decembri aſſignat. Certè non alia dies privatim, publicèque hilarior apud Romanos, jocorum, & conviviorum plena, in qua & aliquo modo ſervi perſonati contemplabantur, Dominorum perſonas mentientes, ut habet Macrob. lib.1. Saturn. cap.7.

108. *Totaque Flaminiæ &c.* Romanum noſtri ævi morem tangit, quo ſupradicta feſta maximè frequentantur in via Flaminia, vulgò *il Corſo*. Unde & ornantur pretioſis aulæis domorum feneſtræ, necnon, quæ ex ipſarum parietibus prominent, pulpita: & replentur tam viris, quam mulieribus ad hujuſmodi ſpectaculum viſendum convenientibus. Benè autem dicit iiſdem feneſtris laſcivire totam Romam, nam fœminæ ſolito comptiores præſto ſunt, & tam ipſæ, quam viri lætiore

appa-

Inſanire licet ; nulla eſt cenſura Quirites :
Donec ſacrato conſperſi pulvere crines

Poſt

NOTÆ.

apparatu , ac vultu ſe conſpiciendos exponunt : Laſcivire enim non eſt ſemper petulanter agere , ſed aliquantulum exhilarari , exultareque , quod modeſtiam non vulnerat , nec lædit.

109. *Inſanire licet &c.* Vide quæ diximus not. 107 præced. in verſ. *Sacra frequentat* ; ubi ſtultorum antiquas ferias tetigimus, & Bacchanal exercuiſſe ad deliramenta hujuſcemodi rectè ſpectaſſe oſtendimus.

109. *Nulla eſt cenſura &c.* Ad tolerantiam hujuſmodi corruptelæ refer , qua hiſce diebus ſtultus eſſe ; aut monſtrari permittitur citrà pœnam extrà illos ſic inſanientibus conſtitutam.

110. *Donec ſacrato &c.* Terminum Bacchanalium, & numerum dierum deſignat : Illum ad primum Quadrageſimæ diem protrahit , hos tantum octo enumerat. Quot dies in Baccanalibus , & ſtultorum feſto celebrandis inſumerentur à Romanis non mihi compertum : Unus Saturnaliorum ab initio dies fuit teſte Macrobio loc. cit. . Manſit uſque ad C Cœſarem , à quo tres celebrari cœpti : Quartum quis addiderit , incertum ; probabiliter Auguſtus , ut coniicit Lipſ. Satur. lib. 1. cap. 3 , ultimis tamen ejuſdem annis creſcente luxu , & plebe eam auctionem volente. Quintum diem junxit Caligula , qui quemadmodum ſcribit Sueton. in ejus vita : *Ut lætitiam publicam in perpetuum augeret , diem adiecit Saturnalibus , appellavitque Juvenalem* ; Clarius Dio lib. 59. τά τε Κρόνια ἐπὶ πεντεημέρας ἑορτάζεσθαι ἐκέλευσε, id eſt, *Saturnalia per quinque dies celebrari juſſit.* Tamen ille quintus dies poſt Caii cædem abolitus , ſed reſtituit Claudius , docente eodem Dione lib. 60. *Saturnalibus quintum diem, à Cajo inſtitutum , poſteà omiſſum, reſtituit .* Quod ſi ſeptem dies Saturnalibus tributos legeris apud Lucian. in Chroniis , & Martialem , qui ait ;

Saturni ſeptem venerat ante dies .

Id dictum puta , quia quinque Saturnalium diebus , Sigillario-

rum bini ſubſequebantur: Quæ feſtivitas, quia non abhorrens à lætitia priori, illique continens erat, factum, ut confusè numerarentur Saturnales ſeptem, quod & agnovit idem Martial., cujus verba ſunt;

Et jam Saturni quinque fuere dies.

Et alibi.

Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

Octo autem dies nunc Romę ante Quadrageſimales dies publicę lætitię dantur, nec ulterius Pontificia indulgentia in his tripudiis, feſtiſque tolerandis ſe extendit; Initium autem accipiunt Sabbato immediato ante Sexageſimam, ac quarta feria Cinerum terminantur; Undecim dies vides; at ſi dempſeris dies Dominicas duas, ac diem Veneris Paſſioni D.N.J.C. dicatum, quibus, ut Sectani utar voce, inſanire non licet, octo remanere, ſicut dictum, perſpicuum eſt.

110. *Conſperſi pulvere &c.* Ritus Eccleſiaſticus, quo cinere fidelium capita conſperguntur die quartæ feriæ, quæ initium Quadrageſimalis jejunii ſumitur, provenit ex veteri Eccleſiæ praxi, quo Pœnitentes ad publicam admittebantur pœnitentiam in diebus ante Paſchalibus, ac cilicio veſtiti, cinereque fœdati peccatorum veniam à Deo, ab Eccleſia abſolutionem, atque reſtitutionem ad priſtinum Communionis ſtatum deprecabantur: Publicę pœnitentiæ ritu quaſi penitus poſt duo decimū ſæculum deſtituto, in cinerum traditione ejus quaſi quædam umbra remanſit, & quoad diem nihil immutatum fuit, priſca remanente conſuetudine: Additum & illud quod daretur ad noſtræ mortalitatis reminiſcentiam, undè ſubduntur verba; *Memento homo, quia pulvis es &c.* relativè ad primi Parentis creationem, qui è luto à Deo in hominem efformatus fuit, quemadmodum habetur Geneſ.1., cui etiam dictum fuit, *Cinis es & in cinerem reverteris* ab ipſo ſui Creatore Geneſ.4.; Faciunt ad utrumque Job cap.ult., ubi dicitur pœnitentiam egiſſe *in favilla, & cinere*; Judith 3., ubi legitur, quod *Filii Iſrael humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & cinis ſuper capita eorum*; Conſona ſunt, quæ habentur Micheæ 1., Geneſ. 18., Heſter 4., Thren.4., Eſaiæ 58., Hierem.25., Jonæ 3., & paſſim alibi: Hinc quaſi invitatio ad pœnitentiam dici poteſt, conveniuntque myſterio orationes, quas induxit Eccleſia, de quibus in libris Eccleſiaſticis. Porrò Quadrageſima jejuniorum,

&

Poſt octo mentem jubeant reſipiſcere ſoles.

Ecce

Notæ.

& pœnitentiæ habet authoritatem, non tantum in veteribus libris, ex jejunio Moyſis, & Heliæ, ſed ex Evangelio Matth.4., & Luc.9., quod & inquit Auguſt. epiſt.119.; Quo circà Quadragefimale jejunium commendant S. Ignatius M. Epiſt. ad Philipp., S.Hieronym. Epiſt.54. ad Marcell., S.Leo Serm 4.6. & 9. de Quadrag., Theophilus Alexandrin. epiſt. 1. Paſch. in fine, Tertull. ad verſ. Pſych. cap. 13., Origines homil. 10. in Levit., S.Baſil. orat.1. de Jejun., & plurimi alii ſacræ Antiquitatis Patres, quos recenſere ſuperſedeo: Verum non ubique, ut nunc, ſemper iidem numero dies Quadrageſimales fuere; Longè enim pauciores dies quoſdam jejunaſſe teſtantur S. Ireneus apud Euſeb. lib. 5. Hiſtor. cap.24., S.Auguſtin. epiſt.118. cap.4., aliique; quin & diverſas fuiſſe diverſarum Eccleſiarum conſuetudines, ut aliæ ſex, aliæ ſeptem, aliæ tantummodo tres ante Paſcha Hebdomadas jejunarent, Sozomen. lib.7. cap.19. eſt author; In Eccleſia Orientali Sabbatum æquè, ac Dominica dies à jejunio Quadrageſimæ excipiebatur, quod & in Occidente ſervaſſe Eccleſiam Mediolanenſem ſcribit Ambroſ. de Elia, & Jejun.. Communior attamen praxis ea fuit, ut Quadrageſimæ dies quadraginta duo ſacrarentur, quod ſemper obſervavit Eccleſia Romana, ſed ex iis tantum triginta ſex jejunabantur, quia ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtraherentur, & quod eo dierum numero (ut notat Gregor. M. homil.16. in Evang.) quaſi anni noſtri decimæ Deo perſolverentur. Additi poſtmodum quatuor dies ad explendum numerum dierum quadraginta, quod Nicolao I. S. Gregorii M. ſucceſſori fortè tribuendum eſt: Falluntur ſiquidem illi, qui ipſi S. Gregorio hanc additionem aſſignant ex can. Quadrageſima 15. de Conſecr. diſt.5.; nam ea verba in quibus quadragenarius numerus ſtatuitur minimè Sanctiſſimi Pontificis ſunt, at de ſuo, quod non ei inſuetum, Gratianus addidit, ut ſe ſui temporis inſtituto accomodaret. De hac re latè Menardus ad S. Greg. Sacrament.

111. *Poſt octo ſoles &c.* Eleganter ſoles pro diebus dicit ex

 imi-

Ecce autem geminos Princeps auriga caballos
Exagitat, flectitque manu quatiente lupatum;
Fronti bracteolas, & tintinnabula talis

Impi-

NOTÆ.

imitatione veterum Poetarum, tam Græcorum, quàm Latinorum: Inter illos ſelegi Callimachum (uti putat Henric. Steph. in lib. de Lipſii Latinitate) habeturque lib. 3. Antholog.

ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι
Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν
Memini autem quoties uterque
Solem in cantilena condidimus.

Ex Latinis Perſ. Sat. 5.

Tecum etenim longos memini conſumere ſoles.

Et Virgil. 3. Æneid. verſ. 203.

Tres adeò incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago.

Et Senecam in Theb.

Nate poſt multos mihi
Remiſſe ſoles.

Hinc Pind. Ode 13. Olymp. ἀλίῳ ἀμφὶ ἑνὶ: *ſole in uno*; & apud Stob. Euphorion. ἠελίους τριηκοσίους *tercentos ſoles*, ideſt unum, & tercentos dies.

112. *Ecce autem geminos &c.* Ad particularia deſcendit; Principemque aurigam agentem, & bigæ junctos æquos moderantem inducit: Jocus eſſe poteſt in voce *Princeps*, non quod is ſit, ſed quod perſonatus Principem mentiatur. Verius aurigandi artem inſectatur ad exemplum Juvenalis, ubi de Laterano jam Conſule ait Saty. 8.

Præter majorum cineres, atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus,
Ipſe rotam adſtringit multo ſuffiamine Conſul &c.

114. *Fronti Bracteolas &c.* Eorumdem æquorum ornatum ex more deſcribit: Primum bracteolas, vulgo *feſtuccie, ò naſtri* proponit, quibus crines, tam qui à fonte, quàm qui à collo pendent, intexuntur, atque ornantur.

114. *Et tintinnabula talis &c.* Item & tintinnabula, ſeu potius, ut Italicè dicuntur, *ſonagli:* Hæc æquorum tibiis apponuntur ornamenti cauſa, pelli auratæ, vel inargentatæ aſſuta, ut ſonum edant, & magis ſpectabilem virum hunc plebi ſuadeant. Has bracteolas, necnon tintinnabula veteres Romanos in ſuis ludis, quantum ſciam minimè adhibuere; Non habent marmora, neque numiſmata, maximumque optimorum Scriptorum ſilentium eorum uſum non pandit. Habuere tamen Phaleras, bullas, plurimaque alia ornamenta, & inſignia. *Equum phaleris inſignem* habet Virgil. 5. Æneid., & Juvenal. Satyr. 2. *Ut phaleris gauderet equus:* Item ex Græcis Plutarchus inducit Sertorii equum φαλάρων ἀνάπλεων πολυτελῶν, & Appianus in Lybicis ἵππον χρυσοφάλαρον: Has in equi uſum dono mitti equitibus honorabile fuit, ut habent Sveton. in vit. Anguſti c.25., Liv. lib 39. & alii: Nam inter dona militaria accenſitæ fuerunt, prout apparet ex iiſdem Scriptoribus; quo trahendum exemplum, de quo Xenophon. lib.4. *Cum accepiſſet* (Ageſilaus) *phaleras, quas pulcherrimas habebat in equo, Ideus pictor, detractas illas viciſſim puero dono dedit;* quod & narrat Plutarch. in vit. Ageſilai. Addo & bullas, de quibus eſt inſignis locus Virgil. 9. Æneid.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditiſſimus olim
Quæ mittit dona, hoſpitio cum jungeret abſens
Cædicus, illi ſuo moriens dat habere nepoti.

Erant in equorum ornatu monilia, ſeu torques, item balthei, ephippia, frena, & his affinia: Enumerat Apul. lib. de Deo Socrat., ubi ait: *Neque enim in emendis equis phaleras conſideramus, & balthei polimina inſpicimus, & ornatiſſimæ cervicis divitias contemplamur: ſi ex argento, auro, & gemmis monilia variæ gazæ dependent: ſi plena artis ornamenta capiti, & collo circumjacent: ſi frœna cœlata, ephippia fucata, cingula bullis aurata ſint.* Nomen, ſplendorem, & pretium hujuſcemodi ornamentorum habes, non uſum: Luxum auxit oſtrum, purpura, & aurum; ſic equus Didonis *oſtro inſignis & auro*, & Ovid. 6. Metam.

Conſcendunt in equos, Tyrioque rubentia ſucco
Terga premunt.

Quin & pictura inſigni acus arte facta; de qua Virgil. lib. 7. Æneid.

Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis.

Et

115. *Impoſuit,pexitque comas, & mandere iuſſit*
Den-

NOTÆ.

Et Ovid. l.8. Metamorph.

Purpureuſque albi ſtratis inſignia pictis
Terga premebat equi, ſpumantiaque ora regebat .

Ad uſum tranſeo: Phaleras ſunt qui cum cæteris ornatibus confundant , & qui ab iiſdem ſepararent: In his Agellius lib.5.c.5. cum ait : *Equitatum frænis, ephippiis , monilibus , phaleris præfulgentem*. In illis Plinius , nam lib. 37. cap. 21. loquens de gemma quapiam : Quondam tantæ magnitudinis fuere , ut equis Regum in Oriente frontalia , atque pro phaleris penſilia facerent : Ubi vox *penſilia* refertur ad monilia Apulei , Agelli , & ad torques Dionyſii lib. 10.,quæ propendebant equorum pectoribus . Eadem mens Servii; nam ait pectus equorum ornari ſolitum phaleris , non frontem , aut maxillas . Ab utroque diſſentiunt Suidas , & Herodotus , quem Suidas ipſe advocat; interpretans enim phaleras , ità inquit : *Frontis ornamenta ſcutula ea, quibus frons equorum exornatur : Apud Herodotum verò circà maxillas tegumenta* . Vides igitur , ut phaleræ Suidæ ſint ornamenta frontis equorum , Herodoto maxillarum ; Plinio , & Servio pectorum . At & jubarum ornamenta fuere , nam Homerus ex ſui temporis more Iliad.13.dat Neptuno equos *aureis jubis comantes* , & Euripides deſcribens equos Rheſi, & illorum ornatum, inquit .

Aurea autem bulla collum jugalium
Equorum claudebat nive candidiorum.
Pelta verò in humeris , figuris junctis aureis
Fulgebat . Gorgon verò veluti in Palladis clypeo
Ferrea, fronti equorum illigata
Cum multis tintinnabulis terribilem ſonitum edebat .

Unus hic auctor , qui tintinnabulorum meminit , frontique , non tibiis equi apponit ; Græcus ipſe Græcum fuiſſe morem deſignat; Romani , ut dixi, non habuere; unde in Latium tranſlata temporibus poſterioribus compertum eſt . Bracteolarum etiam recens uſus eſt , nam hæ nil cum phaleris , monilibus , torquibus , aliiſque ornamentis equorum, de quibus diſſerui .

115. *Et mandere juſſit &c.* Similis in Virgil. locus Æneid.7.

Fu-

Dente aurum. Forſan jumentis ſerò ſolutis
Hordea cribrabit. Noſcis, Gradive, nepotes;
Ho-

Notæ.

Fuluum mandunt ſub dentibus aurum

Affinis Claudiani in Epigr.

Sanguineo virides morſu vexare ſmaragdos.

116. *Forſan jumentis &c.* Et hæc verba duplicem ſenſum admittunt, videlicet, quod, qui Principatum perſonatus mentitur, exuta perſona ad vile exercitium cribrandi hordei pro ipſis equis redeat: Melius dicas, acrius inſanum aurigandi, & equos alendi ſtudium à Sectano in Romana juventute inſectari, quæ quaſi rem egregiam gerat poſteà equos paſcit, eis manipulos fœni proponit, laſſis avenam, & hordeum infundit: Simile quid in nobili Laterano reprehendit Juven. Satyr.8.

Finitum tempus honoris
Cum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
Sumet, & accurſum nunquam trepidabit amici
Jam ſenis, & virga prior annuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea laſſis.

117. *Noſcis, Gradive, nepotes &c.* Gradivus idem ac Mars ſic à gradiendo in bello ultrò, citròque dictus, vel à κραδάω, *haſtam vibro*: Ex eo Rheam, ſeu Iliam genuiſſe Romulum, & Remum Romæ conditores ſcriptum fuit; unde Romani Martis nepotes nuncupati fuere à Juvenale Satyr.2. v.128.

Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.

Et ipſa Roma Martia dicta à Martial lib.5.

Pulchrior, & major quo ſub duce Martia Roma.

Virgil.1. Æneid. v.280.

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia.

Et Symmach. lib. 10. epiſt. 28. *Ab exortu penè Urbis Martiæ.* Degeneres à veteri virtute Romanorum animos indignatur, & ex ipſa indignatione graviſſimè commovetur nullo in dicendo adhibito exordio, ut iratum decet. Habet autem iſta oratio, ut in ſumma iracundia, gravitatem, & admirabilem in ſe expri-
men-

Hoſce tuos? Vos ò Veterum ſimulacra parentum

Lum

NOTÆ.

mendo vim, maximæ junctam elegantiæ. Romam ipſam teſtem interpellat tantæ corruptelæ, moreſque modernæ juventutis, ut à primævis diſſimiles, quippè corruptiſſimos, in patulum producit, ideoque optimæ Parenti nepotes ſuos adhùc ignotos prædicat, quia, ut dixi, degeneres, & non amplius ſimiles iis, qui bellica virtute, artibus politicis, rerum gerendarum peritia, ac literarum excellentia clari in Romana Republica emicuerant. Id ut efficacius aſſequatur interrogando exprimit; ſenſus ex ſe patet, itaut ulteriori non indigeat explicatione.

118. *Vos ò veterum &c.* Etiam in indignatione perſiſtit, & eam progrediendo auget: Ipſas clariſſimorum Parentum imagines, quamvis marmoreas ad avertendos vultus ab hujuſcemodi poſteris invitat, quippe eorum memoriæ injurii, & à priſca virtute degeneres, namque putantes ſatis eſſe, quamvis miſerum ſit, ut ait Juven. Satyr. 8.

Alıorum incumbere famæ

toti otio marceſcunt, luxui vacant, & ludis dant operam. Affinis huic loco eſt ille Juvenal. Satyr. 13. v. 114.

. . . . . . *Audis*

Juppiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem

Debueras vel marmoreus, vel æneus?

118. *Simulacra &c.* Quantus ſtatuarum numerus fuerit in veteri Roma dignè ſcribunt Caſſiodor. lib. 7. *Statuas primum Thuſci in Italia inveniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas, penè parem populum Urbi dedit, quam natura procreavit*, & P. Victor, qui finem ſuæ deſcriptionis claudit, *tabulæ, & ſigna ſine numero*. Hæ autem ubique poſitæ, tantoque luxu, & incremento, ut neceſſe fuerit ambitionem plurimorum reprimere; quod factum edicto Claudii Imperatoris, prout teſtatur Dio. lib. ult. Is enim *pleraſque jam poſitas loco movit, & alio tranſtulit; edixitque ne quis in poſterum Privatus poneret, niſi Senatus permiſſu; excepto ſi quod opus publicum faceret, reficeretve*; ſic cohibiti, qui æternitati (inquit Ammian. Marcell. lib. 16.) *ſe commendari poſſe per ſtatuas exiſtimantes, eas ardenter affectabant &c.* Hoc tamen

Dum fora prætereunt ſanctos avertite vultus,
E Pario quamvis rigeatis marmore, forſan
Dimidii, ruptâque nate exierit caprificus.
Non hæc, Brute, tibi facies, aut forma lacernæ,
Cum

Notæ.

men ad publicam earumdem expoſitionem pertinuit, quæve publica authoritate viſa foret confirmata, quoties tolerarentur. Nam & aliæ in atriis, & inſigniori domus parte ſuſpendebant, & earum multitudine, jactantiaque nobilitatem oſtentare, atque metiri ſolebant. Ex hoc more Juvenalis initium dedit Satyr 8., anſamque accepit inve… ndi in eos, qui talibus gloriabantur, cum ceteroquin vitiis inſordeſcentes nil hæreditarium præter virtutis memoriam, quàm fœdis moribus corrumpebant, accipere videbantur. His in veteri Republica Romana nobilitatis, & Patriciatus gradus comprobabantur; quod in principio eis Magiſtratus, & honores illi, ex quibus nobilitas comparari ſolet, patuerint. Nam Conſulatum, Dictaturam, Cenſuram, Ædilitatem, Quæſturam, Præturam primum habuerunt. Deindè etiam plebeii, ubi ad honores Curules aſpiraſſent, nobiles vocari cœperunt. Quippè tum non ex genere, ut ante, ſed ex imaginibus nobilitas habebatur. Quandoquidem ii nobiles fuere appellati, qui majorum imagines habebant. Imagines autem ſui ponere, & poſteris tradere non poterant, niſi qui Magiſtratum curulem geſſiſſent, quorum primus eſſe cœpit Ædilitas Curulis, ſecundus Pretura, tertius Conſulatus, poſtremus Cenſura; quia Cenſores è Conſularibus tantùm viris creari conſueverant; Hos enim Magiſtratus patricii ante, quàm plebeii iniverunt. Hinc perſpectum eſt honorom, & nobilitatem nactos eſſe, qui ad Magiſtratum honorarium pervenerunt, non habita ratione, ad eum ne vi, gratia, largitione, an virtute adſpiraſſent. Nam ſolus Magiſtratus in Republica nobilitatem dabat, & populus honores. Ità Vvauchop. de Vet. Pop. Rom Tract. ſect. 28.

122. *Non hæc Brute &c.* Brutum veterem Conſulem Romanum in exemplum adducit, qui filios cum aliis adoleſcenti-

bus,

Cum vati jugulum legi, patriæque ſacrares;
Nec gravis armillâ, vel pelle nitebat odorâ
Quæ ſuper Ethruſcis fumavit dextra favillis.
Sed properare juvat; nam tergo proximus hæret
Ventidius, ſtringitque rotis carpenta malignis;
Ventidius, nuper quem vendere vidimus unctas
Candelas, oleum, ſalſique tomacula porci,
Balſama nunc redolet cervice, & cruribus aptat
Phy-

NOTÆ.

bus, de recipiendis Regibus poſt Tarquiniorum expulſionem tractantes, & contrà patriæ libertatem conjurantes, ſecuri percuti juſſit, ſe tantæ executioni præſente, ac *eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium*, ait Livius lib. 2. Itàut ſenſus ſit: Non hujuſmodi luxus, non hæc effrons vecordia, non perſonatus vultus, non demiſſus, & ocioſus animus fuit Bruto illi, qui legum rigori, ac patriæ libertati ſuum in filios amorem poſtpoſuit, ac ſevera cenſura, egregiaque virtute immortalem ſibi famam acquiſivit, quam mollis hic perſonatus deperdit.

124. *Nec gravis &c.* Exemplo altero ulteriùs exagitat noſtrorum adoleſcentium mollitiem; Mutii ſcilicet Sceuolæ, de quo ſatis hiſtoria Romana; ac ſi diceret; Certè vir hic illuſtris, cum manum igni ſuperpoſuit ad oſtendendam Romanorum virtutem Ethruſcorum Regi Porſennæ, non jam exhibuit dextram odoratis chirothecis indutam, nec brachium gravi, eademque pretioſa armilla circumdatum: ut faciunt hodie quidam molles, & effœminati adoleſcentes.

125. *Ventidius &c.* Secunda perſona eſt Ventidius, Bis Ventidius apud Grut., ſcilicet pag. 1088. 8., & 1138. 22. Ex his ejus conditio minimè patet, ſed tantùm dignitas Flaminis Martialis. Firmiter igitur inhærendum noſtro Satyrico, qui eamdem inferiùs connotat.

130. *Balſama nunc redolet &c.* Ideſt; Hic qui prius ſpurciſſima, & fœtidæ arti incubuerat, nunc non ſolùm totus optimè

olet,

Phacaſium, ſiſtrumque tenet. Cupit ille videri
Bar-

NOTÆ.

olet, ſed candidis, & delicatis calceamentis utitur, & inſtrumentorum muſicorum concentui indulget.

130. *Cervice &c.* Antiquitatem vox hæc omninò ſapit, tunc etenim cap t maximè unguentis ſolebat deliniri. Hinc Diogenis Cinici jocus apud Laert. lib. 6., quippè nactus unguentum, eo pedes jniunxit præter morem publicum, & id demirantibus dixit; *Quoniam unguentum capiti infuſum exhalatur in aerem, à pedibus autem aſcendit ad nares*; alterque ejuſdem ibid. in quemdam adoleſcentem capillos Balſamo delibutos habentem; *βλέπε, εἶπε, μὴ ἡ τῆς κεφαλῆς σου εὐωδία δυσωδίαν σοι τῷ βίῳ παράσχῃ*; *Vide, inquit, ne capitis tui ſuave olentia vitæ maleoolentiam adducas.* De unguentorum luxu lege Bernart. ad lib. 1. Sylvar. Statii. Ab ampliſſima provincia abſtineo; Antiphanem tantùm audi ex Athen. l. 15. cap. 11., ubi improbat illius ætatis luxum, & unguentorum abuſum, quod pro ſingulis humani corporis membris ſingula excogitaverint ungnenta.

Lavatur autem rectè aliquis
In aureo quodam ſolio, unguento
Ægyptio pedes linit, & crura.
Phœnicino buccas, & ubera:
Siſſimbrino verò utrumque brachium;
Amaracino ſupercilium, & comam:
Serpillino, cervicem, atque genua.

Quia tamen ejus uſus ad Venerem excitandam, & fovendam plurimum juvare notant Clem. Alex. l. 2. pedag. c. 8., S. Hieronym. ad Demetriad., & alii, ideò in univerſum reprehenſus, & maximè in Viris Eccleſiaſticis ex ſpeciali canone XVI. Conc. VII. Oecumenici, quo poſt monitionem contumaces, & in malo perſeverantes epitimio tradi jubentur. Quoniam tamen infundendorum capiti unguentorum mos deſiit, hunc locum accipiendum putarem de pulvere odorato, quo capilli ad luxum conſperguntur, & forſan de oleo, atque aliis odoramentis, quibus coma leniter ungitur, ne pulvis ipſe protinùs decidat.

131. *Phœcaſium &c.* Genus calceamenti mollis, & candidi,

Barbarus, ut timidas poſſit torquere puellas.
Cedamus properè. Cum turba, obè cave, dixit,
Ir-

Notæ.

di, à quo Phecaſii Sacerdotes Athenienſium, & Alexandrinorum denominati ſunt, ut habet Schrevelius in not. ad Satyr. 3. Juvenal. n. 218.

131. *Siſtrumque tenet &c.* De aliquo ex inſtrumentis muſicis intellige; ſiſtrum ſiquidem jam in deſuetudinem abiit; Hoc crepitaculum erat eneum, quo Ægypti Sacerdotes in Iſidis ſacris uti ſolebant, ità dictum ἀπὸ τοῦ σείειν, hoc eſt à quatiendo, propterea quod concuſſum, argutum, ſonorumque edebat tinnitum. De eo mentio apud Ovid. 2. Amor., Virgil. 8 Æneid., & alios: Ejus imaginem habes ex antiquo marmore apud Spon. in Miſcel. erud. antiq., apud Pignorium de ſervis. Siſtrum eneum paucis ab hinc annis in Villa Corſina ad Montem Janiculum repertum fuit exquiſitè, ut accepi, elaboratum, quod hodie in Strozziano Muſeo à Leone, de antiquitate optimè merito, diligenter cuſtoditur.

131. *Cupit ille videri &c.* Ideſt veſte Barbarica indutus, & ad morem Orientalium populorum, quos Barbaros ſemper denominavimus; maximè ex quo Othomanorum, Maomethanorumque dominatio tyramnica regiones illas invaſit, legitimis Dominis, & vera Religione expulſis: In voce *Barbarus* ambiguus eſt ſenſus, & æquivocationem indubitanter admittit: quaſi dixerit eum affectare ex veſte barbarus agnoſci, ideſt è barbara gente prognatus; verùm & eodem tempore etiam barbariem ipſam oſtentare, nempe quamdam ſævitiam, & feritatem, qua puellarum tenerum, & molle cor amore ſui diſcruciet, & torqueat.

133. *Cedamus properè &c.* Ideſt citato curſu currum ſuum ducentem effugiamus, ne nos lædat.

133. *Cum turba, obè, cave &c.* Vox hæc eſt hujuſcemodi hominum aurigas agentium, cum inter viam obſtantes avertere volunt, ne equorum, rotarumque incurſu offendantur. Ità exclamant *Obè obè*, non tamen accepta voce ex interjectione ex-

cla-

Irruit, & miſeros volucri terit apſide ſervos.
Nec violenta poteſt avertere funera duplex
Linea: Plebs clamoſa ruit ſub tartara, nullo
Plan-

Notæ.

clamantis, qui jubeat modum imponere, ſed ei indita quadam proprietate, & efficacia ex hodierna conſuetudine, quæ tale quid ſignificet, huic rei tantùm applicabile; itàut audita ipſa voce homines ab inſtante equo, ſeu rheda ſibi ſtatim cavendum intelligant: Ità & illud *cave*, quod reſpondet alteri uſitatiſſimæ in ſimili voci *A voi*. Ut ſenſus ſit, vix Ventidius hic talia verba protulit, cum irruit, nec circumſtantem turbam calcare, & offendere veretur, quandoquidem ejus ad contumaciam refert, quod non ſtatim ſuo imperio obedierit. Superbiam, & vecordiam hujus viri videtur arguere Sectanus.

134. *Et miſeros &c.* Qui pedeſtres comitantur Dominos Flaminiam viam occaſione talium feſtorum frequentates.

134. *Apſide &c.* Apſis propriè curvatura rotæ; eleganter partem pro toto ponit.

135. *Nec violenta poteſt &c.* Duplicem lineam intelligit, quam hinc indè à recta, lataque via ductam videmus ad uſum pedeſter procedentium, appellamuſque *Muriccioli*. Hos veteres, & Conſulares viæ habuere, aliqua enim eorum rudera in Via Appia ſuperſunt, ſatiſque providè factos jam fuiſſe cenſendum eſt, ut ſi fortè currus, atque aliqua alia impedimenta in ipſis itineribus ſimul occurſantia obvenirent, haberent homines, quo ſine vitæ diſcrimine ſe reciperent, nec ab incœpto itinere impedirentur.

136. *Plebs clamoſa &c.* Ideſt querula, & quæ in his maximè caſibus ſolet ſtrepentibus clamoribus vociferare: Ubi adverte non rarò evenire in hoc magno, indiſcretoque rhedarum concurſu aliquem rotarum vi ad terram deiici, ac pondere earum uſque ad mortem comprimi: Frequentius olim hoc malum, cum ſimul junctis ſex equis præcipitanter ferrentur perſonati homines, ſed Summi Pontifices iam à Clemente hujus nominis Nono ea, qua præſtant, providentia, & pietate in miſeros,

Plangente occaſum. Maiori Pica dolore
Scilicet effertur, tumulo quam condidit Alba
Et mirrham, & titulum, & luſtralia verba paravit.

En

NOTÆ.

id effecere, ut tantùm bigæ incederent, à quibus tanta mala timenda non ſunt, licet non omnia effugiantur, ac ut par eſſet, evitentur.

137. *Nullo plangente &c.* Abuſum, impietatemque hanc vidimus inviti in funeribus perſonarum miſerabilium, ac plebejarum; quarum mortem, licet enormiter perpetratam, nobiles irrident; utinam hujuſcemodi reatus ſeveriori pęna plecterentur, ut ulterioribus delictis daretur modus, & finis.

137. *Majori Pica &c.* Ideſt majori dolore Picæ, ideſt viliſſimæ belluæ, quam hominis plebeii funus auditur.

138. *Effertur &c.* Efferre verbum funerale eſt: indè Livius: *Depugnabunt pro te ipſi, ac morientur, ſeſe ultrò efferent*. Cic. 2. de Orat. *Cum caſu in eadem cauſa funere efferretur anus Junia*, & Petron. in Satyrico: *Hæc ergo cum virum extuliſſet.* Donat. in Andr. Terent. ait: *Efferri propriè cadavera mortuorum dicuntur*. Fortè efferri derivatum ab extrà Urbem ferre: ſquidèm apud veteres ſolebant extrà Urbem ſepeliri &c. Totum hoc, quod de Pica dicitur ad exagerationem quamdam pertinere cenſeo, nàm quis adeò inſanus, ut belluas, irrationaliaque animalia ſimili honore dignetur? Dolorem admitto tamen, præcipuè in feminis, quæ in rerum etiam minimarum, & quas chariſſimas habuere, deperditione, impatientiſſimè ſe gerunt. Id unum animadverto totum in his paucis antiqui funeris ritum pandi: Vides enim primò elationem, de qua ſatis dictum.

139. *Et Mirrham &c.* Cadavera aromatibus condiri ſolita, apud Ægyptios præſertim, cui non notum? Hi, ut ſcribit Herodot. l. 2. in more habebant diſſecto ventre ditiorum exenterare cadavera, extrà proiicere in profluentem, in eorumque locum Caſiæ, Mirrhæ, aliorumque pretioſiorum aromatum magnam vim indere; Mediocris autem fortunæ mortuos non ità

ſum-

ſumptuoſè curabant; cedrio ſolum, ſeu cedria interanea imbuentes, reliquum ſaliebant corpus. Irà Iudei cadaver pro demortui conditione, ac facultatibus aromatibus ſuaviſſimi odoris conditum, & unguentis delibutum pretioſiſſimis linteis, & faſciis involvebant, obnubebantque ſudario caput, & ità curatum inducebant in ſepulchrum. Talis Cadaverum curatio minimè apud Romanos fuit, quippè apud eos in uſu illorum crematio; Poſtquàm ea ceſſavit ſub Antoninis, ut notat Raphael Volat. in Philolog., curatio prædicta ſucceſſit, maximèque apud Chriſtianos, ut confirmari poteſt innumeris exemplis, quæ referuntur apud Surium, Baronium, & alios. Affero aliqua: Prudent. in Canthemer. de exequiis defunctorum.

Aſperſaque myrrha Sabæa
Corpus medicamine ſervat.

Et Corippus lib.3. in laudem Juſtini Minoris

Centum aliæ ſpecies, unguentaque miraferuntur
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Quod ſanè etiam in primordiis naſcentis Eccleſiæ factum fuiſſe conſtat ex Tertullian. in Apolog. *Thura plane non emimus. Si Arabia quæruntur, ſcient Sabæi pluris, & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis ſumicandis.*

139. *Titulum &c.* Titulum rebus ferè omnibus, quas antiqui feciſſent, ſcilicet carmen aliquod, verſumque inſcribi ſolitum, puta ſepulchris, marmoribus, ædibus, Deorum templis, aris, victimis, donariis, trophæis, ſtatuis, animalibus, quæ Diis ſacrabantur, pontibus, aliiſque hujuſmodi, adeò patens eſt, ut teſtimoniis non indigeat; Cum quiſque propriis oculis non tantùm videre poſſit, ſed & agnoſcere ex Grutero, Fabretto, aliiſque, qui tot myriades inſcriptionum pari fide, & diligentia collegerunt. Duplex autem in his titulis ſcribendis mos fuit. Prior, quod non contenti unico titulo, eumdem ſæpè iterabant; hinc Pindar. Ode 7. Olymp. Diagoram victorem laudans.

Ἐν Μεγάροισι τ᾽ ἐκ ἕτερον λίθινα ψᾶφος λόγον
Apud Megaram non aliud nomen lapideus habet calculus.

Quaſi dicat; Nullius nomen pluries inciſum, aut ſculptum in lapidibus, & columnis, quàm Diagoræ. Poſterior: hic titulus diverſis linguis ſolebat ſcribi. Livius lib.28. extremis verbis: *Propter Junonis Laciniæ templum æſtatem Annibal egit, ibique*

 aram

140. *En Matrona potens, & flectere docta quadri-*
gas
Lora quatit. Ride, nam de temone Latino
Excidit, & ſtrictas nudavit faſcia mammas.
Cætera ſecreto velum bombice tuetur,
Ser-

NOTÆ.

aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo Punicis, Græciſque literis inſculpto. Julius Capitol. in Gordia *Gordiano ſepulchrum milites apud Ciricum caſtrum fecerunt, in finibus Perſidis, titulum bujuſcemodi addentes, & Græcis, & Latinis, et Perſicis, et Judaicis, et Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur. Divo Gordiano, Victori Perſarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatum, Depulſori Romanarum Seditionum, Victori Germanorum, ſed non Victori Philipporum.*

139. *Luſtralia verba &c.* Puta ex priſco more conclamationes, evocationes manium, & alias ſimiles voces, de quibus Gretſerus de jure manium, & Kirchmannus de funeribus &c.,

140. *En Matrona potens &c.* Etiam apud mulieres aurigandi ſtudium tranſiit, exemplum hujus matronæ profertur, cujus lapſum ità perbellè pingit Sectanus. Artem hanc veteribus feminis ignotam fateri ex Authorum ſilentio cogor. Ad ſpectacula ſæviora tamen prodeuntes legi, ac in arena gladiatoriam pugnam exercuiſſe compertum eſt, de quibus Tacit. lib. 16. inquit. *Fœminarum, Senatorumque illuſtrium pluret per arenam fœdati ſunt.* Cum quo conſenſit Dio in rebus Neronis. Fœminas pugiles inſtituiſſe Domitianum refert Sueton. c. 4. *Nam venationes, gladiatoreſque, & noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo pugnas, ſed et fœminarum pugiles dedit:* Spectaculum hoc exhibitum die kalendarum Januarias connotat Statius 1. Sylvar. Habet etiam Martial. lib. 1., nec obſcurè indicat Juven. Saty. 1. Id & apud Græcos invaluiſſe probat teſtamentum illud privati hominis apud Athen., quo cavit *γυναῖκας ἀξιωτάτας μονομαχῆσαι*, ideſt *pulcherrimas mulieres gladiatoriam pugnam edere.* Inhibuit, repreſſitque abuſum Severus Imperator edito Senatus conſulto

-κημ

Servavitque ſuum mulier braccata pudorem.
145. *Quò properas auriga? volant hinc candida circum*
Miſſilia, & dulci feriuntur grandine mitræ,
Per-

NOTÆ.

μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν, *non ultra fęminam ullam adgladium depugnare.*

144. *Mulier braccata &c.* Habitu, veſteque virili induta; ex quo factum, ut in lapſu ſecretas corporis partes nudas ſpectantis populi non exhiberet obtutui. Ironicè ſatis dictum, & ad illud Juvenalis videtur reſpexiſſe.

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem.

145. *Quò properas &c.* Aurigam ſuum alloquitur, ut curſum ſiſtat, curioſus videndi ea, quæ mox ſequuntur.

145. *Volant hinc candida &c.* Uſum deſcribit in hiſce feſtis, quo ſibi invicem perſonati dulciaria jaciunt, & quamdam lepidæ, honeſtæque pugnæ ſpeciem repræſentant; candida porrò miſſilia ſunt, quæ vulgus appellat *confetti* ex ſaccharo compoſita. Quod antem miſſilia author nuncupet, indè cenſeo factum, quod facilè mittantur, vel quod nomen hoc ad donaria pertineat; undè & inditum muneribus iis, quæ à Principibus populo ſpargebantur, ut linteis, odoribus, unguentis &c., de quibus Sueton. in Caligula *ſparſit & miſſilia variarum rerum.*

146. *Et dulci &c.* Profuſionem immodicam hujuſmodi dulciariorum proponit, item & vim in jaciendo, quibus dicuntur, quaſi dulci grandine peſſundari mitræ, collum, ſinuſque expleri, & capillus turbari: Comparatio deſumpta ex Virgil. Æneid. 10. verſ. 803., ubi tela grandini comparantur.

Ac velut effuſa, ſi quando grandine nimbi
Præcipitant.

Ex Ammian. lib. 14. *Ritu grandinis undique convolantibus telis*, & Senec. epiſt. 45. *Tela grandinis more diſſultant.* Quæ magis loco aptantur, quia ipſa tela etiam dicta fuere miſſilia, prout habet laudatus Virgil. eod. lib. 10. verſ. 81.

Telaque coniiciunt, proturbant eminus hoſtem
Miſſilibus.

146. *Mitra &c.* Muliebris capitis ornamentum, idemque ac criſta, de qua ſupra verſ.65. Ad eumdem uſum, qui antiquitùs ſervabatur revocatum; undè non tantùm mitra fœminarum fuit, ſed molliſſimorum hominum. Firmo teſtimoniis, nàm de mulieribus Catullus, ubi de Ariadna:

Non flavo retinens ſublimem vertice mitram

Plinius lib.35. cap.9. *Polygnotus Thaſius, qui primus mulieres lucida veſte pinxit, capita earum mitris verſicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit.* Et de Helena Moſchus.

Τὴν μὲν χρυσόπλοκος περιέστεφε κυκλόσε μίτρα

Hanc autem texta auro mitra circumcoronabat.

Nonnus pariter lib.26. dat illi feminæ laudatiſſimæ, quæ patrem nutrivit ſuo lacte. Diximus tributam etiam eſſe mollibus, & effœminatis viris; ſiquidèm dant Arabibus Claudian. Paneg. 1. Stilicon., & ante eum Plin. lib.6. cap.28. Dabatur & Baccho Deorum molliſſimo, ut habetur apud Prop. lib.4., Stati. lib. 1. Achil., & alios. Eamdem Agathias lib. 3. enumerat inter luxurioſiſſima ornamenta Regum Lazulorum, καὶ μίτρα ὁμοίως χρυσῷ τε, καὶ λίθοις πεποικιλμένη: *Mitra ſimiliter auro, et lapidibus variata.* His obiter dictis ad mulieres redeo, & de mitræ forma quæro. Bonarrotus noſter, ſummum literariæ Reipublicæ decus, in ſuo lib. ſæpius citat. pag. 412. faſciam fuiſſe ſcribit, quæ capiti circumvolvebatur in gyrum, auro, atque gemmis diſtinguebatur, peneque diadematis figuram exhibebat, undè & vittis ligabatur, quas idcircò dixere *anademata, & redimicula*. Vnus tamen Catullus laudatus id ſuadere videtur, quod à vertice mulierum in ſublime ferretur, & faſtigiata appareret, ubi *ſublimem mitram* appellat; Fortè & uſus Eccleſiaſticus idem arguit, quod ornamentum vetuſtiſſimum, & ſacrum capitis Epiſcopalis in ſublime porrectum mitram nuncupet, ſimili quidem nomine, & in altum porrectione, non quidem origine, & myſterio. Si tamen aliquid ponderis ſit huic conjecturæ, vetus hoc mulierum ornamentum in noſtris revixiſſe dicam, quamvis aliquantulum immutatum, nàm & totum caput obnubit, & anteriori tantùm parte prominet, & faſtigiatur. Ceterum non in eo tantùm caput muliebre luxuriatur, ſed in ipſis redimiculis, & vittis, quibus hodiè non ſolùm conſtringitur, ſed ornatur, ex quo hujuſmodi vittarum luxus in tantum increbuit, ut auro, ac materiam ipſam ſuperante opere laſciviant, & inte-

gra

Perque ſinus, & colla fluunt, turbantque capillos.
Ferte citi cruſtas, & mala aurantia. Vicit
Ille tamen, picto qui feſtinante Liburno
Alacer auratis depromit liba caniſtris:
Vicit, & ingenuo perſonam detrahit ore,
Attollitque oculos, totâ agnoſcendus arenâ:
Ne

NOTÆ.

gra patrimonia abſumant. Quo ad veteres pertinet, vittas, ſigamina, reticula, zoſmata, anademata habuere, ut diſcimus ex Achil. Alexand. lib. 3., Nonno lib. 26. Propert. Eleg. 29., & aliis, ſed minimè inter pretioſos ornatus poſuerunt.

148. *Ferte citi &c.* Vox mulieris imperantis ſibi etiam paria dulciaria afferri, ut perſonato viro reſponſare poſſet.

148. *Vicit &c.* Victoriam pro homine tandèm ſtetiſſe declarat.

149. *Picto qui feſtinante &c.* Videlicet vectus rheda, quæ Liburnum repræſentaret. Hanc vulgari voce dicimus *Barchetta*; Liburnus ſiquidem inter naviculas agnitus, de quo ſuperiùs; ex ejus ſimilitudine nomen ad vehiculi genus translatum à Juven. Satyr. 4.

150. *Auratis &c.* Argento, vel auro ornantur caniſtri ad dulciaria ſervanda ad ſimilem ludum.

159. *Liba &c.* Nolim accipias liba in ſua genuina, ſtrictaque ſignificatione, itàut ſint ea arte confecta, quam inſinuat Cato de re ruſtic. cap. 75., ſcilicet ex caſeo, melle, farre, & oleo: Sed ad exquiſitiſſimum dulciarii genus refer, quo matronam perſonatus eques donavit.

151. *Vicit et ingenuo &c.* Scilicet jàm factus victor à facie perſonam detraxit, & ſe agnoſcendum eidem præbuit, non jàm è plebe aliquem, ſed ingenuum, & ex equeſtri ſanguine progenitum.

152. *Totâ agnoſcendus arenâ &c.* Translatè à theatro, ſeu amphitheatro, ubi ludi ſpectacula exhibebantur, ad locum, ubi etiam, etſi diſſimili ordine, & praxi, ludi pariter repreſen-

P 4 tan-

Ne doleas Quintilla ; manu muſtacea frange ;
Inuenies chartam, quam non legiſſe maritus
Fas ſit ; ſed legit , & dictat reſponſa maritus.
Ob qui concurſus hominum! Quantuſque cachinnus
Cir-

NOTÆ.

tantur . Nàm idem fuit arena , ac theatrum, quod ſub eo nomine agnitum fuit, ex quo arena ſterni cepit in gladiatoriis actionibus: Conſule Lipſium de Amphitr. cap.3.

153. *Ne doleas Quintilla &c.* Quintillæ nomen dedi Sat.2. verſ.190.ex Petronio,& Juvenal. Vide . Senſus jocum ſapit, ac artem amatorum pandit in homine hanc Quintillam adamante ; quippè ſeriò excogitans , qua nam ratione ſe ei per epiſtolam inſinuaret , & forſan expaveſcens , ne hæc à caſtiſſima femina reiiceretur ; pugnam hanc inſtruxit , ac eamdem epiſtolam in muſtaceo conditam tutè, quia eà ignorante, in eius manibus depoſuit . Hinc eleganter Sectanus illam victam ſolatur , quaſi amiſſę in dulci conflictu palmæ, Amor, potentiſſimus inter Deos, author fuerit , ex quo ſibi victoria major de illuſtri viro parata .

154. *Invenies chartam &c.* Abſconditam , & quidem amatoriam , quæ hac ex cauſa marito celanda eſſet .

155. *Sed legit &c.* Si ſatyricum genium animadvertas , habebis quid in homine arguas : Si decorem matronalem , atque maritalem , nil tibi deerit , quin credas , ac dijudices reſponſum hoc omninò honeſtati, honorique amborum conjugum conſonum fuiſſe . Reſpuendam hic cenſeo eorum ſententiam , qui putant hunc locum referri poſſe ad abuſum illum, qui hodiè invaluit , quo feminæ ſuis amatoribus converſari ab ipſis maritis tolerantur , eiſque reſpondere ſub nomine *di galanteria* , undè etiam Italicum verbum *galantiare* : Qui in feminarum affectibus mediocritatem credit , toto celo aberrat .

156. *Ob qui concurſus &c.* Maximo apparatu novam ſcenam ingreditur : primum grande aliquid ex ſpectatorum concurſu ſupponit : ſtatim tamen ridiculum ſpectaculum exhiberi addit : Locum primo deſignat , videlicet è fronte cujuſdam domus , cujus portæ imminet pulpitum , ferratis dentibus ſubſtentatum ,

ex

Circum tecta fremit, porrecto ubi fornice porta
Suſtinet æratos dentes, totamque videre eſt
Flaminiam! mirari deſine: Comptulus illinc,
Pulvinoque ſuper tumidus Philodemus equeſtri
Deſpectat fatui ridens triſcurria vulgi.
Non impunè tamen. Tenſo ſtat pollice contrà
Chironomus, fingitque decem manus improba cunnos;

Mox

NOTÆ.

ex quo totam Flaminiam, ubi feſtum celebratur, uno intuitu videre eſt.

159. *Mirari deſine &c.* Ac ſi diceret; non magnum aliquid eſt, quod admireris, nam tantus plebis plauſus, riſuſque de re futili, & inani: At quid hoc ridiculum?

160. *Comptulus &c.* Audi: Huic pulpito inſidet Philodemus totus ornatulus, ut pulchrior appareat, & ut dignitatem, & nobilitatem mentiatur equeſtri, ideſt ſerico pulvino innixus non minus celebritatem ſpectat, quam ſe ſpectandum aliis præbet tumidus, & ſuperbus.

161. *Triſcurria &c.* Sumptum ex Juven. Satyr.8., qui triſcurria appellavit ludos admodum ſcurriles, liberoque homine indignos; nam particula τρὶς pro ſuperlativo Græci, & Latini utuntur. Verba Juvenalis ſunt:

Qui ſedet, & ſpectat triſcurria Patriciorum.

162. *Non impunè tamen &c.* Hinc ridendi occaſio; nam tantus faſtus, tantaque ſuperbia minimè impunita manſit.

162. *Tenſo ſtat pollice &c.* Digitum pro digito poſuit, ideſt pro indice pollicem, quo tenſo certum hominem, certamque rem deſignare dicimus; ita geſticulator hic Chironomus tenſo digito ſtare ſcribitur Philodemum indicaturus.

163. *Chironomus &c.* Qui inter ſaltandum manibus geſticulatur propriè Chironomus dicitur; impropriè ad reliquos corporis geſtus transfertur; Hinc Chironomia manuum geſticulatio inter ſaltandum, vel ſaltationis quoddam genus, de qua

Quint.

Mox longas digitis aures imitatur aſelli,

Aut

NOTÆ.

Quint. lib.1. cap.9., quod manuum geſticulationem habebat adjunctam, qualis olim fuit Pyrrhica. Chironomi meminit Juven. Satyr.6.

Cheironomum Ledam molli ſaltante Batillo.

Vox ipſa à Græco χεὶρ manus, & νομος lex derivata, quaſi certis legibus manus moverentur ad tacitam pronunciationem, ut fit in Hiſtrionicis; Vide Galenum in Aphoriſmis.

163. *Fingitque decem &c.* Æquivalet Italico adagio, *far le fiche in faccia*; Id ad ſannas pertinet, cum pollicem inter indicem, & medium interpoſitum in aliquem ingerimus, & prominentem oſtentamus. De hæc ad calcem ſecundæ Satyræ aliquid diximus; Hic addendum ducimus, hoc ſannarum genus veteribus ignotum fuiſſe, inter recentiores tamen uſitatiſſimum, præcipuè apud Italos; Meminere Dantes Aligherius cant.25., quo Infernus deſcribitur, & plures alii; Actum porrò hunc ad offenſam pertinuiſſe ex eo patet, quod Florentini Cives anno 1228. armis ſibi id ulciſcendum duxerint contra Carminianenſes, qui in arcis ſuæ ſummitate prægrandem ſtatuam poſuerant manibus in Florentinam Civitatem protenſis, ſimilique modo, ac diſpoſitione efformatam, prout ſcribunt Joannes Villanus, Scipio Ammiratus, Ricordatus Malaſpinus, Bartholomæus Scala, aliique Florentinarum hiſtoriarum Authores; unde & inter vetera Urbis ſtatuta viginti ſolidorum pœna decreta legitur contrà deliquentes, habeturque propterea Rubrica capiti, legique præfixa *de facientibus ficum*; Materiam hanc eruditè digeſſit, & enucleavit Fiornicetus Carinus in quadam Epiſtola ad Comitem Joſeph Sette Caſtelli, quam Antonius Bulifonus, qui non minus uti excellens Typographus, quam uti literarum amator ſummoperè commendandus eſt, inter ſuas, quas quarta collectione edidit, memorabiles epiſtolas inſeruit, Neapolique anno 1697. impreſſit. Sub nomine vero Fiorniceti Carini ſcias volo uſque huc occuluiſſe inſignem virum Vincentium Capotium, cujus eruditionem, doctrinam, atque ingenium utinam dignis laudibus proſequi liceret.

164. *Mox longas digitis &c.* Addit & alterum ſannæ genus,

que

Aut plicat articulos medios, & cornua ſurgunt.
Olli cæparum circumdat colla monile,
Pendet & urceolus lateri, cucumiſque galerum
Excuſat, naſuſque gigas ſupereminet ora.
At varios poſtquam conſumpſit corpore geſtus;
Salve, Bion, inquit; te Rapula noſtra ſalutat
Nomi-

NOTÆ.

quo veteres aliquem irridere ſolebant, de quo Perſ. Satyr. 1. verſ. 189.

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

At de his alibi dictum.

165. *Aut plicat articulos &c.* Iterum tertio illudit plicando medium & anularem digitos, & intendendo indicem, & auricularem, itaut quaſi cornua inſurgant. Ad ſannas & hoc pertinet, diciturque *far le corna*; Modernum inventum eſſe puto, nam, quod ſciam, nullibi ejus apud Authores mentio.

166. *Olli cæparum &c.* Ornatum, veſtitumque hujuſmodi nugatoris, atque geſticulatoris deſcribit; videlicet ad collum eiſdat cæparum putidum monile, lateri urceolum, cucumre capiti; Excellere autem concludit prægrandi naſo. In hoc, ni fallor, agnoſco perſonam illam, quæ appellatur *Pulcinella*, quæ etiam in ſcenam inducitur vili ſacco, eodemque incompto, rudique more aſſuto induta ſtolidum repræſentans hominem, ſed qui dicterlis ſuis quamdam mordacitatem admixtam, ſalibuſque aliquibus, alias inconditum ſermonem, nullaque arte paratum, conſperſum habeat.

169. *At varios poſtquam &c.* Prout in more Chironomorum eſt; ideſt poſtquam diù ſannas ſuas variâ, longâque geſticulatione egit in Philodemum, his verbis illum affatus eſt.

170. *Salve, Bion &c.* Philodemi animum ſibi ſtatim conciliare aggreditur; initium ſermonis ſalutantis verbum eſt, & ſalutis auſpicium: Idem habent Terent. in Phorm. *Here ſalve*; & Virgil. 5. Æneid.

Salve Sancte Parent.

170. *Te*

Nomine gallinæ, quondam à prædone redemptæ
Arte tuâ. Legum magna eſt jactura, ſupinus
Dum ſpectas Mimos, Aurigas, Mirmillones;
Indutumque ſtolâ Umbricium, ſcutulâque Lariſcam.

Non

NOTÆ.

170. *Te Rapula &c.* Proſequitur rei chariſſimæ, & celeberrimæ commemoratione, videlicet Rapulæ, cui Gallina furto ſublata, Philodemo patrocinante cauſam, miſerrimæ fœminæ reddita fuit, ut ex Satyr.4. verſ.76., ubi actio hæc inter admiranda ejus facinora enumeratur.

171. *Nomine Gallinæ &c.* Non ſuo: Apage ingratam fœminam! Viden ut jocosè, ſalsèque ludat ſub ipſius Cheironimi perſona noſter Satyricus; & quemadmodum paulatim jocum augeat.

172. *Legum magna &c.* Perſiſtit adhuc; & quaſi acerrimo dolore excruciari ſe oſtentat, quod videat excellentem Cauſidicum fruſtrà tempus terere in ſpectando ſcurrilia, ac mimica; qui potius Curiæ, ſimiliumque graviſſimarum cauſarum patrocinio incumbere debuiſſet, certus de felici exitu, exemplo redemptæ à manu latronis gallinæ, quam deperditam adeo acerbè Rapula lacrymabatur.

173. *Mimos &c.* Sub his nominibus quoſque ſcurrilia operantes comprehendit. Qui mimi, & aurigæ ſint plus ſatis notum: Mirmillones autem propriè ex genere gladiatorum, aliàs Secutores dicti, quibus cum retiario contentio. Retiarius igitur fuſcinam, & rete geſtabat, quo mirmillonem implicitum caperet; & in ſummitate capitis mirmillonis, qui adverſus retiarium pugnabat, piſcis erat effigiatus, in quem retiarius rete immittens, dicebat, *piſcem peto, non te peto, quid me fugis Galle?* Ita Feſtus: Rem totam fusè tractat Lipſ. Saturn. lib.2. cap.8. Lege, Si lubet.

174. *Indutumque ſtolâ &c.* Quia ſtola apud Latinos honeſtæ tantum matronæ veſtis fuit, uſque ad imos pedes demiſſa,

cujus

cujus eſtremam partem ambibat inſtita aſſuta, quæ erat faſciola quædam, ſive limbus, teſtibus Ulpian. leg. veſtis ff. de aur. & argent. legat., Cic.2. Philip., & aliis; hinc uſu venit, ut ſtola etiam pro ipsà matronà, ſive honeſta muliere figuratè accepta fuerit à Stat. in Sylv., dicente:

Hinc eques, hinc juvenum cœtu ſtola mixta laborat.

Ex quibus deducitur idem eſſe Umbricium ſectanicum ſtola indutum, ac fœminea veſte perſonatum. Hanc abuſum acriter videtur improbaſſe Cic. loco cit. ubi ait: *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti*. Quamvis enim habitum hunc ad verecundiam matronalem pertinere clarum ſit, undè *Stolatus pudor* Horat. lib.1. Sermon. Satyr 2., & hac de cauſa ejuſdem geſtatio meretricibus prohiberetur teſte Martial. lib.1.

Quis Floralia veſtis, et ſtolatum
Permittis meretricibus pudorem.

Attamen minimè homini eam decuiſſe conſtans eſt, quia muliebrem quandocumque veſtem ſumere ei nunquam licuit, cum non tantum id legibus, moribuſque repugnet, ſed ſacris Canonibus vetitum ſit conſonè ad Divinum præceptum Deuteronom.22. *Non induetur vir veſte fœminea, nec mulier veſte virili.* Quod & apud Gentiles probroſum judicatum fuit, idcircò reprehenſum in Hercule apud Lucian. in lib. *quomodo ſcribenda hiſtoria*, & apud Senecam in Furen., necnon, ut alios mittam, in Sardanapalo, quem ab Arbacto Medorum Præfecto inter ſcortorum greges habitu muliebri veſtitum repertum fuiſſe, ſcribunt Cteſias lib.3. Rer. Perſic., Athen. lib.12. cap 3., & Juſtin. lib.1.

174. *Scutulàque Lariſcam &c.* Scutula etiam genus muliebris veſtimenti apud Juvenal. Sat.1. verſ.97., ubi agens de libidinoſiſſimo homine, & comam nutrire ut mulierem, & veſtimenta muliebria induere cærulea, & ſcutulata, & galbanei coloris tenuiter raſa, & ſubtilia ſcribit.

Reticulum comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.

Scutulatæ autem veſtes ſunt, quæ in formam ſcutulorum textæ, quarum inventionem attribuit Gallis Plinius lib.8. cap.48.. Id ferè erat ejuſmodi, quale cernimus in araneorum telis, quorum retia etiam ſcutulata dicuntur ab eodem Plinio lib.11.

cap.

175. *Non hic Cauſidico locus eſt, celſoque Poetæ;*
Te Platanus, te Roſtra vocant, doctumque Liceum;

Ne-

NOTÆ.

cap. 23. *Quanta arte celant pedicas, ſcutulato rete graſſantes;* Intellige veſtem hanc teſſellatam fuiſſe, & laterculis dixtinctam, ſic enim vocat Diodorus loquens de ſagis Gallorum. Forſan melius dices reticulatam nam Plinius maculas, & plagululas in retibus vocat ſcutulas, & ſic interpretantur Scaliger, necnon Velſer. lib. 1. Rerum Boicar., Credo tamen Authoris mentem fuiſſe perſonas illas deſcribere noſtris temporibus uſitatas, vulgò *Zanni* appellantur; hi enim tali veſte ſcutulorum referta, & conſuta, & quidem multiplicis coloris incedunt. Ita uno, eodemque verſu ſub nomine ſtolati Umbricii licentiam virorum veſte muliebri indutorum carpit; & in ſcutulata Lariſca petulantiam mulierum virili habitu incedentium inſectatur. Senſum totius propoſitionis ſic colligo, ut ſit: Tù ò Philodeme, qui legum peritia excelles, ut glorioſè de vidua, & de abacia gallina triumphaveris contrà perfidum raptorem, ne abſumaris, quaſo, ocio, cum tanta legum jactura in ſimilibus mimicis ſpectaculis.

175. *Non hic Cauſidico &c.* Ideſt, nec ſola legum jactura hæc eſt, ſed & decori tuo adverſatur; nam locus minimè conveniens tam illuſtri Cauſidico, qui etiam celeberrimus Poeta ſit.

176. *Te Platanus &c.* Loca, quæ tanto viro debentur ſunt Platanus, Roſtra, & Liceum. Pro quorum nominum intelligentia illud ſciendum, ſub nomine Platani agnitam non ità pridem Romæ Academiam, quæ tamen modo evanuit, ubi plures illuſtres Poetæ conveniebant ad ſua carmina recitanda.

176. *Roſtra &c.* Notum eſt Roſtra nuncupata fuiſſe Romæ templum in foro antè Curiam Hoſtiliam, pulpitum habens, navium Antiatium roſtris adornatum, ex quo ad populum concio haberi ſolebat, etiam quando majores cauſæ defenſabantur ab Oratoribus; De hoc templo habes Livius lib. 8. *Eroſtriſque*

earum

Neſcio quid ſatius dicam; te juſcula pultis
Expectant, magnàque nitens ſcriblita patellà.

Pra-

Notæ.

earum navium ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, Roſtraque id templum appellatum. Nil dubium igitur, quod in verbo *Roſtra* intellexerit Satyricus quæcumque majora Romæ tribunalia, ubi cauſæ dicuntur.

176. *Doctumque Lyceum &c.* In Lyceo agnoſce locum, ubi de Philoſophicis dogmatibus agatur: ſic ab Athenienſi Lyceo derivatum, ubi Ariſtoteles frequentiſſimo auditorio Philoſophiam profitebatur; de quo Cicer. 1. Academ. *Qui erant cum Ariſtotele Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo;* Hinc habes Philodemo convenire Platanum, uti Poetę, Roſtra, uti Oratori, & Juriſprudenti, Lyceum uti Philoſopho. Tantum Gallina è manibus latronum vindicata profuit homini!

177. *Neſcio quid ſatius &c.* Nec ſolum hæc expectant, ſed ſi quid majus, quod fari neſciam.

177. *Te juſcula &c.* En illud majus, quod Philodemum moratur.

178. *Scriblta &c.* Antiquis notiſſimum bellarium, ſecundis menſis apponi ſolitum, *ſcriblita*, de qua Martial. lib. 3, Epigramm. 17.

Circumlata diù menſis ſcriblita ſecundis.

Integrum nomen *ſcriblita* eſt, ut legitur apud Plaut. in Prolog. Pœnuli.

Dum ludi fiunt, in popinam pediſſequi
Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcribilita æſtuant, occurrite.

Sed per ſyncopem ſcriblita à Poetis metri cauſa dicitur, quam facere docuere Marcus Cato lib. de Re Ruſt. cap. 78., Petron. Arbiter in Satyr. *Super libram, ſtateram in cujus altera parte ſcriblita erat, in altera placenta.* Alii legunt *ſcribilita* ἀπὸ τοῦ στρέβλουν quod eſt *torquere*, quod in circuitu torqueatur reſtis in modum. Eſt autem hoc ſolum differens à placenta, quod ſine melle co-

que-

Præcipuè caules tendunt ad ſidera palmas,
180. *Teque rogant unctos ne dedigneris amicos;*
Utque magis placeant, Graj ceromate circi
Pellucent dudum, nitidoſque imitantur Archivos.
Ob

NOTÆ.

quebatur, & ferventiſſima edi ſolebat, hinc Martial. lib. 3.

Circum lata diù — ſcriblita —
Urebat nimio ſæva calore manus.

Hanc itaque ad tortæ ſpeciem pertinuiſſe conſeo; noſter potius tortam frixam ex ovis connotavit, nam ſartagine frixam innuit, ni malis referre patellam ad vas illud, quod denominamus *teglia*, ubi ſimiles tortæ, aliæque, quas dicunt, *croſtate*, ex fructibus ſaccaro conditis compoſitæ, & hinc inde ſimilaceâ cruſtâ butyro ſubacta incluſæ ad uſum bellariorum in menſam apponuntur.

179. *Præcipuè caules &c.* Braſſicæ Neapolitani Regni accolis univerſim gratæ, & in frequenti uſu.

180. *Unctos &c.* Unctos dicit ex praxi eos condiendi arvina, larido, carneque ſuilla injectis; amicos appellat, quia ſæpè eos comedere ſolitus Philodemus.

181. *Utque magis placeant &c.* Jocosè, ſed magis acriter mordere proſequitur; non vulgari quidem condiendi praxi caules eoſdem unctos proteſtatur, ſed ex oleo illo, quo athletæ in Græcis ludis, atque paleſtris ungebantur, ut Philodemus, qui tanto Græcizandi amore fervet, & quodlibet, quod Græcum non ſapiat, nauſeat, chariores habeat, & ſapidiores experiatur.

181. *Ceromate &c.* Sic dictum oleum, quo ſe athletæ ungere ſolebant adhibito, miſtoque quodam terræ genere, de quo Celſ. lib. 4. cap. 26. Habet & Juvenal. Satyra 6., ubi arguit mulieres, quæ veſtibus, & unguentis athletarum utebantur, & in Campo Martio more tyronum exercebantur.

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis neſcit?

183. *O*

O dignum lotii phialà, nardoque latrina!
Serica quid cubito crucias, altâque feneſtrâ
185. *Deſpicis, & grandi damnas ſpectacula roncho?*
Scilicet huc Proceres, & me Proculejus eburnâ
Inve-

NOTÆ.

183. *O dignum &c.* E joco ad iram, quaſi impetu, rapitur invitus: & exclamando invehitur, ac ſi dicat: O dignum, qui fœtidiſſimis quibuſlibet inquineris, quæ tanta tibi audacia, ut ſericis pulvillis, tantum Patriciis debitis, ſuperbè innixus, ludos deſpicias, & cenſuram de ſpectaculis feras?

184. *Serica quid cubito &c.* Quid conteris, & conſumis aſſidua cubiti fricatione pulvinos ſericos, ſive pretioſa aulæa, quibus ornantur feneſtræ.

185. *Deſpicis &c.* Quave audacia judicium ferre præſumis, ac etiam reprehendere, quæ eduntur ſpectacula?

185. *Grandi roncho &c.* Tranſlatè pro irriſione: ex imitat. Martial. lib. 1.

Majores nuſquam ronchi.

Et Sidon. Apollin.

Et nos rhonchiſono Rhinoceronte notat.

186. *Scilicet huc Proceres &c.* Philodemi excuſatio ſe illuc ductum, & vi quaſi abſtractum à ſtudiis, cogentibus Patriciis juvenibus. Forſan hæc ſolita cantilena, & ad ejus ambitionem, & jactantiam referenda, ut ex infrà dicendis colligitur.

186. *Proculejus &c.* Juvenal. Satyr. 7. verſ. 94. Proculejum enumerat inter optimos, ac liberaliſſimos Equites Romanos in conſanguineos, amicos, ac doctos; ac Mœcenatibus, Cottis, Lentulis, & Fabiis comparat.

Quis tibi Mœcenas! Quis nunc erit aut Proculejus
Aut Fabius! Quis Cotta iterum! Quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium.

Et deco Horat.

Vivet extento Proculejus ævo
Notus in fratres animi Paterni.

Habes hominis celeberrimi, ac generoſiſſimi characterem.

 186. *Ebur-*

Invexit rhedà, libriſque avulſit amatis.
Hoc mihi? Tù ne mihi hoc jactas? Meritoria quanti
Biga tibi conſtat? Quippè eſt rugoſa ſupernè,
Et lateri aſſuitur corium, quo mœnia Byrſæ
Exten-

NOTÆ.

186. *Eburna rheda &c.* Eburneam pro pretioſa, ornata, eleganti poſuit, non vilem, & vulgariori uſui deſtinatam.

188. *Hoc mihi &c.* Iterum Sectanus veſaniam Philodemi irridet, ac ejus verba ad jactantiam referendo, facti evidentia oſtendit rhedam illam, de qua ſuperbiebat, minime nec procerum, nec illuſtris Proculei eſſe potuiſſe; quam demonſtrationem per partes exequitur.

188. *Meritoria &c.* Firmat igitur Rhedam hanc meritoriam, pretioque conductam ab illo fuiſſe: Hinc tantum ab eo jocosè poſtulat quanti ſibi conſtiterit.

189. *Quippe eſt rugoſa &c.* Quales, ut plurimum, ſunt illæ, quæ mercede diurna ſoluta emuntur, non enim ſic nitidæ, ac elegantes, ut quæ in uſum Nobilium cedunt. Ex ſuperna igitur rugoſitate primum venalitatis hujuſcemodi indicium accipit.

190. *Et lateri aſſuitur &c.* Secunda demonſtratio ex coriaceis, laceriſque cortinis, quæ Rhedam circumtegunt; quod ut exageret, ac præ vetuſtate penè integrè corroſas efficaciter oſtendat, comparat vetuſtiſſimo corio illi, quo Dido Carthaginem deſignaſſe refertur.

190. *Quo mœnia &c.* Notum commentum hoc, de quo latè Juſtinus lib.18., & Euſthat. in Dionyſ. Afrum: Contraho in gratiam lectoris: Referunt Didonem in ſomnis monitam ab extincto viro, è Phœnicia aufugiſſe, ac Lybiam appuliſſe, ubi à Nomadum, & Maſſylorum Rege Jarba hoſtiliter accepta, ab eo petiit ſibi tantum ſpatii dari, quantum tegeret pellis bubula. Voti compos facta, parum id ſoli rata occupare, pellem diſſecuit in partes tenues, duxitque in circulum, tantum longitu-

Extendit Dido, regemque feſellit Jarbam.
Præterea attriti veniunt ſub fræna jugales,
Et

NOTÆ.

gitudinis, latitudiniſque amplexa, quantum pellis complecteretur ducta in corrigiam. Hoc commento magnum circuitum urbi attribuit. Hoc agnovere Virgil. 1. Æneid. verſ. 371.

Mercatique ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.

Appianus in Λιβυκ: ἐδέοντο δὲ χωρίον ἐς συνοικισμὸν λαβεῖν, ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβῃ. *Tantum ſoli deprecati ſunt ad habitandum, quantum circumdaret taurinum corium.* Hæc eadem tradunt Silius lib. 1., Herodian lib. 5., Livius lib. 44., aliique.

190. *Byrſæ &c.* Byrſa propriæ arx Carthaginis: ſeu cum Joſeph. Scaliger. in not. ad Feſtum nomen hoc ducas ab origine Hebræa, ac per metatheſim Byrſam dictam putes, quaſi *Bifram*, qua voce Hebræi arcem intelligunt, à quibus in Tyrios Carthaginis accolas, quique linguam Hebraicam loquebantur, tranſiiſſe credendum eſt, aſſentiente Mariana Rer. Hiſpan. lib. 1. cap. 15., ſeu à Byrſa, quod corium eſt, ex relata fabula, derives.

192. *Præterea &c.* Nec hæc ſatis ſunt; Ulterius id oſtentant ex equis macilentis, laſſis, & attritis ex nimio labore, qui eam circumducunt.

193. *Et cute laxata &c.* Ut evenit, cum ſenio laborant; nam deficiente ſucco, & ſanguine, arida cutis ſe laxam facit, inque rugas ſe ex laxitate contrahit: ſimili phraſi uſus eſt Juven. Sat 6. verſ. 142., cum probaturus uxorem, non ob virtutem, ſed ob formam à marito adamari, notat, quod dum per ætatem formoſa eſt, à viro diligitur, at forma pereunte, ſeu flacceſcente amor mariti etiam flacceſcit.

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, et ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores:
Collige ſarcinulas, dicet Libertus, et exi.

Et cute laxatâ ſilicem cervice minantes ,
Ut menſe Auguſto nolint tetigiſſe tabani ,
Jejunoque diù moveant faſtidia feli.
Attamen hoc melius , quam ſi reptare per Urbem
Cogaris pedibus, calcare & ſtercora Romæ.
Nil facit auratus temo , hinnituque feroces
Cornipedes valeant. Dum non tibi ſordida cœno
Pallia contingat magnas efferre per aulas ,
Et ſoleas jubeat purgare in limine ſervus ,

Vimi-

NOTÆ.

193. *Silicem cervice &c.* Ideſt non elevata cervice , ſuperboque collo ſublimes incedunt , ſed ætate graves capite ad terram prono , eodemque tremulo videntur , quaſi minari ſilices .

194. *Ut menſe Auguſto &c.* Tunc cum moleſtiores ſunt.

195. *Jejunoque &c.* Quamvis his,ut plurimum,caro equina in cibum cedere ſoleat.

196. *Attamen hoc melius &c.* Mitius cum Philodemo Sectanus agit , non enim improbat talium Rhedarum meritoriarum uſum , laudat potius in illo, quippè ita effugiat conſpurcari luto , qui plurimus Romæ , & pedeſter incedentibus apprimè moleſtus .

198. *Nil facit &c.* Ideſt , quomodocumque illud vitabis , benè eſt ; nec ad hunc effectum magis prodeſt ſumptuoſus currus , nec juvant equi generoſi , ſed ſatis ſunt quælibet vulgariſſima rheda , & tritiſſimi equi.

199. *Dum non tibi &c.* Imò ad effugiendas veſtium , & calceamentorum ſordes tibi etiam eligendus vimineus ille curriculus , quo uno tantum equo ducto incedere ſolitus per Urbem Græcus quidam vir , more gentis illius barbatus, ac variis vilibus victualibus onuſto ſe populo ridendum præbere : Per partes proponam .

201. *Et ſoleas &c.* In liminibus Palatiorum à latere ſolet

adeſſe

Viminibus teſtam poteras conſcendere ciſtam,
Attica qua clivo portatur barba Latino

Cum

NOTÆ.

adeſſe ligula quædam ferrea ſolo defixa. Hanc pedites domum ingreſſuri petunt, ut cenum, & ſordes in via collectas à calceamentis abradant. Senſus itaque eſt. Benè agis, Philodeme; melius eſt conducere rhedam, quantumlibet vilem, quam te periculo exponere, ne petulans Proculei famulus jubeat te ſoleas purgare in limine palatii, ne pavimentum interioris aulæ conſpurces.

202. *Viminibus textam &c.* In joco perſiſtit, nam certè curriculus iſte ciſtæ ſimilior, quam rhedæ.

203. *Barba Attica &c.* Pro Græco quodam homine; nam Græci omnes barbati, præcipuè ſi Eccleſiaſtico miniſterio, ſervitioque ſint addicti ex veteri conſuetudine, ut ſcribit Baron. ad ann 58. num. 56. & ſeqq.; aliter tamen apud Occidentales Clericos obtinuiſſe idem notat, contra Photium, qui, ſcribens ad Nicolaum Papam, barbæ raſionem Latinis exprobravit; De veteri barbam radendi in Occidente more teſtatur Gregorius Septimus epiſt. ad Jacobum Calaritanum, & ad Ducem Sardiniæ, monuitque eos, ut Clericos omnes barbam radere cogerent ex majorum conſuetudine, ab ipſo (ut ait) exordio naſcentis Eccleſiæ obſervata: Videant quemadmodum contra Eccleſiaſticam conſuetudinem, & veterem praxim Eccleſiæ peccent, qui in barbæ cultu gravitatem, ac ſanctitatem conſtituunt, atque mentiuntur, ut indè ambitioſiſſimi homines aliquam probitatis famam aucupentur: Hi ſunt qui exterminant (Matth. 6.) *facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes, qui comedunt domos viduarum* (Matth. 23.) *orationes longas orantes, qui claudunt Regnum Cœlorum antè homines, qui decimant anetum, mentum, & cyminum, & relinquunt, quæ graviora ſunt legis; qui ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, qui tandem omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus.* At quid? *Veniet Dominus in die, qua non ſperant* (Matth. 24.)

Cum fricto cicere, anguillà, vinique lagenà.
Sed teneras nimium ſævo tibi frigore plantas
Coxit hiems, pedibuſque nequis contingere ſaxa.
Grande malum, nulloque unquam medicabile ſucco
Pauperis ambitio! Talos cauſaris ineptè,
Sinciput exclamat læſum, ſi percita turpi

Mens

NOTÆ.

& ponet eos in loco ubi *erit fletus, & ſtridor dentium.*

205. *Sed teneras &c.* Iterum ad jocum: Alter Philodemi titulus, quo pedeſter incedere tenuit, eſt pedum ex frigore extumeſcentia, & teneritas, undè ex ſaxorum preſſione dolor.

207. *Grande malum &c.* Aurea, cedroque digna ſententia, quæ æternitati ſacretur: Pedes incuſabat Philodemus, quorum morbus ex vi frigoris contractus impediret, quo minus pedibus incederet: At Sectanus, malum & quidem grande à capitis fervore, caliditateque derivatum optimè noſcens, dolet illud inſanabile eſſe; nam, ut inquit, pauperis ambitio, ſeu ſuperbia nullo medicamento ſanari poteſt. Conſonè ad hanc ſententiam S. Auguſt. lib. de Amicit. cap. 120. *Si vix toleratur dives ſuperbus, pauperem ſuperbum quis ferat?* quo circà benè Euripid. apud Stobæum, *Si juvenis ſimul ſapiens, & pauper unus homo fuerit, admiratione dignus eſt.*

208. *Talos cauſaris &c.* Ideſt: O Philodeme ineptè incuſas talorum morbum; caput, non pedes, læſum eſt; nam mens irrequieta immeritarum dignitatum immoderata cupiditate detenta angitur, & cruciatur.

209. *Turpi fermento &c.* Ideſt, turpi ambitione: Similitudinem accipit à fermento, quod eſt farina humore ſubacta, ad pultis modum confecta, & relicta, donec aceſcat: Dictum autem quod fovendo creſcat: Indè ad ſuperbiam nomen tranſlatum; Habent Plaut.

Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.

Et

Mens tibi fermento ſubſultat, & in jecore ægro
Naſcuntur Baculi, Tunicæ, magnæque Tiaræ.
Velle animo demens genii virgulta ſuperbi,
Et prohibe audacem cordi ſubcreſcere ficum;
Sanus eris, celerique viam calcabis alutâ.

Ob

NOTÆ.

Et Prudentius:

Cum fermentati turgeſcant mores.

Undè Grecum adagium: *ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι. in fermento jacere* dicebatur de his, qui animo eſſent ægro, quique iracundia, vel aliis immoderatis affectibus, inter quos ambitio, & ſuperbia, turgeſcerent.

210. *Et in jecore ægro &c.* Jecur in homine concupiſcentiæ ſedes; hinc benè ei ægritudo aſſignatur ex nimia cupiditate Eccleſiaſticarum dignitatum, qua tenetur Philodemus. Imitationem duxit ex Perſ. Satyr. 5. verſ. 129.

Et in jecore ægro
Naſcuntur Domini.

Proximè nec minus efficaciter, & eleganter S. Joann. Chriſoſt. *Homo malum, cui ſervit, Dominum ſibi facit.*

211. *Baculi &c.* Pro Epiſcopali, qui dicitur *Paſtorale*: de cujus origine, & uſu vide dù Sauſſay Panopliam Epiſcopalem, & alios.

211. *Tunicæ &c.* Etiam has refer ad ſacra ornamenta, quæ ad maximas Eccleſiaſticas dignitates pertineant.

211. *Magnæque Tiaræ &c.* Mitram vocamus, quæ in ſacro Epiſcopalis capitis ornamento eſt, de qua lege eumdem Dù Sauſſay lib. cit., Baron. ad ann. 34. num. 86. alioſque complures Eccleſiaſticos Authores, qui omnes ex Apoſtolica inſtitutione, imò & uſu manaſſe contendunt, & in Chriſtianæ Eccleſiæ Epiſcopos, dum Sacra celebrarent, tranſlatum eſſe, ut qui regali fungantur Sacerdotio, ea, veluti corona, tanquam Reges, & Sacerdotes, redimerentur.

212. *Velle animo &c.* Conſulturus tandem hominis ægri

ſaluti

215. *Ob ego ter fatuus, Calabræ qui pharmaca menti*
Diluere aggredior, linumque, unguentaque perdo!
Quid mihi Rullus agit? Poſtquam ſiluere capellæ,
Blan-

NOTÆ.

ſaluti. concludit, quod ſtatim ac ex animo, & ex corde ſuperbiam, & ambitionem radicitus evellet, ſanus erit, nec amplius pedum morbo laborabit.

215. *Ob ego ter fatuus &c.* Vix antidota propoſuerat Sectanus, queis Philodemo egrotanti mederetur, cum ſeriò rem conſiderans, fatuitatis ſemetipſum arguit, quod immedicabili malo remedia aptare, & pharmaca miniſtrare præſumpſerit. Ter numerale hìc ſuperlatiuum conſtituit, & augumentum ſignificat: Exempla ſuppedito ex Ovid.8.Metam.

O ego ter felix.

Virgil.1. Æneid. verſ.99.

O terque, quaterque beati.

215. *Calabræ menti &c.* Ideſt, ex Nationis, & ipſius ſoli natura ſuperbæ, & ambitioſæ, quippè ab ipſa regionis temperie extuoſæ, & fervidæ.

216 *Linum, unguentaque &c.* Equivalet Italico proverbio *perder gl'unguenti, e le pezze,* aut *perdere il ranno, et il ſapone,* quod de his dicitur, qui operam in aliqua re fruſtrà inſumunt: Hinc apud Plaut. in Pœnul. act.1. ſcen.2.

Oleum, et operam perdidi.

Et in Aulul. act.3. ſcen.6.

Ego faxo, et operam, et vinum perdiderit ſimul.

217. *Quid mihi Rullus &c.* Deſperata ſalute Philodemi ad Rullum ſe convertit, quaſi ejus opem imploraturus: Ingreditur autem ſermonem ex imit. Horatii lib.1. Sat.3.

Quid mihi Celſus agit?

217. *Poſtquam ſiluere &c.* Petitioni hujuſcemodi reſponſum, quod ipſe Rullus poſt ſilentio preſſas capellas, ac poſt conſumptam vindemiam, de quibus præcedentibus Satyris actum, poeticum quiddam more ſuo fertur inſtruere, ubi Sibillina oracula edat. Carmen hoc porrò nuncupavit *il Sibillone,* ludiſ-

Blandaque pendentes libavit dextra racemos,
Cumanæ cryptam fertur ſubiiſſe Sibillæ

Et

Notæ.

ludufque in eo ille exprimitur, quo pluribus proponentibus aliquam petitionem, unico tantum verbo ab homine, oraculum repreſentante, eiſdem reſpondetur, quod interpretari quibuſdam datur ex munere, vel in bonam, vel in malam partem, prout libuerit, ac ingenii vis permiſerit.

219. *Cumanæ &c.* Cumæam urbem Livius Cymam dixit, ſicut & Ptolomæus Κύμη; Dicta autem Straboni Lariſſa, Stephano Amazonium, & Phriconitis, Herodoto in vita Homeri Φρικωνὶς, Xenophonti Ægyptia. Urbs maritima Italiæ propè lacum Avernum, & Lucrinum, & juxta Puteolos in Lucania. Ad hanc Urbem Sibyllam incoluiſſe ajunt, quæ propterea Cumana, ſeu Cumæa nuncupata fuit. Ejus antrum, quo eadem Sybilla, quæ & Italica, habitaſſe fertur, ſic deſcribit Agathias lib.1., ubi agit de obſidione Cumarum facta à Narſete Eunucho; *Ad Orientalem collis flexum antrum quoddam ſuberat ex omni parte tectum, valdéque cavum, adeò ut adyta quædam nativa haberet, ac ſinum ingentem, ac profundum inſtar barathri. In hoc ajunt habitaſſe olim magnam illam Italicam Sibyllam numine afflatam divino, et ſciſcitantibus futura prædicere. Ajunt verò etiam Æneam Anchiſæ filium, cum eò veniſſet, Sibyllam ei omnia, quæ deinceps acciderunt, dixiſſe.* Adventum Æneæ Cumas, Sibyllæ oracula &c. lege apud Virgil. lib. 6. Æneid., ubi ejus antrum *immane*, ipſaque mulier dicitur.

Magnam cui mentem, animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.

Quod autem pertinet ad ſenſum Authoris, factique notitiam ſciendum eſt Rullum hunc fatidicum ad hoſce ludos exercendos ſolitum convenire in quadam cellula perobſcura, undè dixit Cryptam Cumeam.

220. *I nunc*

220. *Et reſponſa dare. I nunc Ammon, & tua cornu*

Ara

NOTÆ.

220. *I nunc Ammon &c.* Ironicè, jocosè, & emphaticè; Verba irriſionem, indignatione mixtam, habent; Aliquid affine legimus apud Virgil. lib.4., ubi Dido Æneæ imprecans ultionem, & dirum exitum à mari, ait:

I, ſequere Italiam ventis.

Ideſt abi perfide, ingrate &c. Itaque ſenſus hujus loci eſt; Cum jam Rullus, Sibyllæ antrum ingreſſus, vates egregius factus eſt, abeat Ammon cum ſuis vaticiniis, & cum ſuis cornibus, quibus eminebat, nulla enim amplius ejus gloria, fama, decuſque.

220. *Ammon &c.* Jovis Ammonis templum apud Garamantas in Lybia, cujus deſcriptionem habes ex Lucano lib.9., ipſum autem Jovem cornigerum effictum ſcribit; En verba,

Ventum erat ad templum, Lybicis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: ſtat corniger illic
Juppiter.

Imo Hyginus in fabulis narrat ei fuiſſe caput arietinum. Quare autem ſic Jovi cornua affic̃ta fuerint Servius in 4.Æneid. ſic explicat: *Jovi Ammoni templum cum ſimulacro cum cornibus conſtitutum, quod ideo fingitur, quod ſatis ejus ſunt involuta reſponſa.* Ad hunc Ammonis oraculum, ſeu templum Nicolaus Perottus, aliique reſpicere putant Martial. epigr. omnium primo.

Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.

His acceſſiſſe videtur Sectanus, qui in hoc loco Epigrammatis eum procul dubio imitandum ſibi ſumpſit. At Martialem potiùs intelligendum eſſe cenſeo de Ara Appollinis in Delo, quæ inter ſeptem orbis miracula celebrabatur. Erat enim ſine ullo glutine, & vinculo ex dextris cornibus coagmentata, & compacta, ut ex Politian miſcell.52., & Demſter. Paralip.ad lib.2. Antiquit. Roſini cap.7. Talem nullibi legimus fuiſſe Jovis Ammonis aram. Quoad autem hujus Dei oracula, habet ultrà Ser-

vium

Ara frequens Rullo meritos accreſcat honores.

At

Notæ.

vium relatum Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. ea certa quidem fuiſſe, ſed verbis tortis, flexiſque inſtar arietinorum cornuum; Apud Arrianum de expedit. Alexand. lib. 3. non longè ab initio de Ammonis oraculo hunc in modum legimus: *Dein cupido eum cepit adeundi Ammonem Lybicum, ut oraculum conſuleret, quod ferebatur certiſſimum.* Quare illud oraculum fidei inclytæ dictum eſt à Pompon. Mela lib 1, cap. 8.

221. *Rullo meritos &c.* Hi honores, quos accreſci optat Sectanus Rullo ex ara cornea Ammonis, ad id pertinere videntur, quod ut optimo, & excellenti vati ex iis corona rexatur, capitique ad decorem imponatur; nàm ex veteri more vates coronabantur, ut paſſim apud Virgil.. Non dubium, quin Satyrici noſtri verba ad jocum, & ad ſatyram ſpectent, & acriter mordeant, idque verum fiet, ſi in eo ſenſu ſententia accipienda ſit, quo hominis dedecus aliquod inſinuatur, præcipuè quod ad illum, qui conjugem adulterari ſinunt. At quoniam tantùm ab Andronici tempore cornua tranſiiſſe conſtat in ſymbolum eorum, qui conjuges, vel malitia, vel injuria adulterari permittunt, tradente Salmaſ. ad Pancirol. tom. 1. pag. 373. ex Niceta lib. 2. de Imper. Andron., undè poſtmodùm factum eſt, ut qui aliquem cornutum appellaverit, actione injuriarum conveniri potuerit, ſeu ad recantationem, & palinodiam actori teneri ex Beſold. d. lib., ſtatuerintque Juris conſulti, eum, qui alterius domui cornua appoſuerit, vel affixerit, perindè puniri debere ac ſi libellum famoſum compoſuiſſet, ut poſt Decian. in pract. crimin. lib. 3. cap. 25. num. 33., tradit Farinacc. part. 3. oper. crimin. quæſt. 105. num. 468., velim ne putes tantam injuriam Rullo ab Authore inffigi, cum enim veteri eaque magis apud optimos authores uſitata phraſi, ac imitatione loqui, ubique certum ſit, illud etiam tenendum hæc minimè ad Rulli injuriam dixiſſe, nàm cornua Martialis tempore, à quo verba hæc ſumpſit, in honore fuerunt, & ad decus pertinuere, quemque nos hodie cornutum vocamus, cuculum tunc temporis appellatum fuiſſe pluribus relatis notat Voſs. de Idololat. lib. 3. cap. 82. Certè ex Gentilium Diis, ut vidimus, cornutus Am-

mone.

At tibi neſcio quid Barrus depoṇit in aure,
Ma-

NOTÆ.

mon, Appollinis Dei ară item cornuta: Adde Bacchum ex Horat. lib. 2. Ode 19., & Sidon. Appollin. carm. 22. verſic. 25., Aſtartem ex Sauchoniat. apud Euſeb. Præpar. Evangel. lib. 1. capit. 10., Iſidem ex Herodot. lib. 2. Hiſtor. capit. 46., Athen. lib.8., & Porphirio lib.3. περὶ ἀποχῆς, Pan ex eodem Herodoto lib.2. cap.47. Quin & Alexander Magnus cornutus effingi, pingique voluit, ut qui Jovis Ammonis cornuti filius agnoſci gloriatus eſt, ut tradunt Scalig. de emendat. tempor. lib.5., Caſaubon. ad Scaliger epiſt.445., Freinshemius in Indice Curtiano, Buxtorfius in Lexic. Thamuld. column.2140., & ex veteribus, Chriſtianiſque Patribus Clem. Alexand. admonit. adverſ. Gent. Illum porrò ſui in Regno ſucceſſores imitati fuerunt, prout probat Lazius lib.1. rer. Græcar., imo plurimi authores in ea ſunt ſententia, ut cornua ad regum inſignia antiquitùs omninò referrentur; & ſanè ea Regibus Phœnicibus tribuit ex Euſeb. Pignorius de menſ. Iſiac.pag.30. Seleuco, undè Seleucidarum genus, qui Syriæ imperaverunt, Appian.in Syriac.; Attilæ tandem, qui metus orbis, Deique flagellum dictus eſt, plura nummiſmata, quæ ejus imaginem repreſentant. Quin & in galeis cornua effigi ſolita docet Plutarch., qui Pyrrhi ornatam τραγικοῖς κέρασι *hircinis cornibus* affirmat, & de Gallis notat Diodorus Siculus. Fortè id in praxim ductum, quod agnitum fuerit his ſymbolum Principatus, & Regni ineſſe iuxta illud Pſalmi 131. 17. *Illuc producam cornu* (ideſt, ut notant interpretes, robur, & regnum) *David*, & Deuteron. cap. 33. 17. de Joſephi poſteris, puta regibus naſcituris ex Ephraim ejus filio: *Cornua Rkinocerontis, cornua illius, in illis ventilabit gentem*: Quod & ulterius exemplo Moſis comprobatur, quem cornibus, non tamen oſſis, ſed lucis, Deus in populi ducem, & legislatorem auctoravit, & quaſi principatus inſignibus decoravit. At jàm à pluribus, quæ in Rulli honorem cedere poſſent, ceſſo: his contentus ſit, ſatis ipſum, & ſuum ineptum Sibillonem defendi, ac nil ei eſſe, de quo Sectano iraſcatur, abunde, forſan invitus, oſtendi.

222. *At tibi &c.* Se convertit indè ad Barrum, quem ad
aures

Magniloquus Barrus, craſſo de ſubere totus
Corticeus; circumſtat Olus, Labeoque recenter
Cir-

Notæ.

aures Philodemi aliquid obmurmurare deprehendit, & medicum malo Philodemico implorat.

223. *Magniloquus &c.* Qui verborum copiâ abundat, & plenis buccis glandiloque profert, cùm tamen craſſioris ingenii vir ni ſolidum, nil grave, nil conditum afferat. Quoad ſententiam pulcherrimè imitatus videtur noſter author Perſ. Satyr.1. verſ.96.

Nonne hoc ſpumoſum, et corticè pingui,
Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum.

Quaſi dixerit: Verba numeroſa Barri tumida ſunt, & ipſe quoque craſſus, & pinguis eſt, ut annoſum aliquod ramale è prægrandi ſubere, denſiſſima cortice, & cruſta, calore Solis coctum, & exiccatum.

224. *Circumſtat Olus &c.* Negotii particeps, quod Barrus in aurem Philodemi ſecretò depoſuerat, item & Labeo, de quo notat recenter fictum capillamentum, vulgò *Perucca*, induiſſe, ac ei illudit prptereà græcizando, per Jota, & Omega cirros, & in annulum contortos, diſtributoſque capillos indigitans: Porrò nomen à venerabili antiquitate deſumptum; Habet enim Grut. pag.786.num.3. Romæ ex ædibus Maffei Epiſcopi Aquinatis, & poſtmodùm Cavallicenſis inſcriptionem hanc ſepulchralem deſumptam,

D FVRI. ABE M
OLO. FVRIO. PACATO.
MVSSIA. VICTORINA
CONIVGI. D. S. E. M. F.
QVE. CVM. EO. VIXIT
ANN. XXIIII.

227. Quid

Cirratus, ſpiſſis qui flavam nectit Jotis
Cæſariem, tremulum ſub pectine & Omega plangit.
Quid quæſo, Philodeme, tui cunctantur amici?
Nugas, atque iterum nugas. Modo fungus in horto
Quintilii natus, ſcabies, terræque mariſca
Feſtinare jubet, Periit reſpublica, ſi non

Bo-

NOTÆ.

227. *Quid quæſo &c.* Ideſt quod nam grande opus à tuis amicis, ò Philodeme, aggreditur, te prius conſulto?

227. *Cunctantur &c.* Pro detinentur, aut moram trahunt; optima expreſſio cum aliquid magnum, & gravi conſultatione deliberandum molitur, nec præcipitanter fieri poteſt.

228. *Nugas, atque iterum &c.* Reſpondet italico proverbio: *Ragazzate, e baie in quantità.*

228. *Modo fungus in horto &c.* Tanta res ad exquirendam, & examinandam diligenti anatome fungi geneſim unicè reducitur; Fungi inquam, quem non ità pridem in horto Quintilii natum, etiam ſecundùm aſtrologicas obſervationes, & naturalis Philoſophiæ dogmata ad trutinam revocavere.

229. *Quintilii &c.* Familia Quintilia Albanis oriunda à Tullo Hoſtilio in Romanum Patriciatum adlecta ex Vvauchop. de Mag. Pop. Rom. pag. 407. ſect. 5. Ex his Quintilius Varus Tribunus Militum Conſulari poteſtate apud Livium lib. 5. in princip., & Gn. Quintilius Dictator penes eumdem lib. 8. cap. 18.

229. *Scabies &c.* Res videlicet viliſſima, & ex pituita, ut plurimum, arborum nata, ut inquit Plin. lib. 22. cap. 25., ſollicitè inquirenda eſt, antequàm magis vegeta fiat; brevibus ſiquidem horis naſcitur, creſcit, & perit, diſperditurque.

230. *Periit Reſpublica &c.* Jocus exageratur; ac ſi pronunciaſſet maximum ſanè malum Reipublicæ, ſeu potius Orbi adfutu-

Boleti geneſi inſpectâ, quo creverit aſtro,
Naturæque ſinus naſo penetrabis adunco.
Bellè equidèm, veſane Bion, petaſate Priape,
Curculio, vervexque bipes! Tibi deficit una
Teſ-

NOTÆ.

futurum, ni agnita fuerit, & aſtrologico calculo penſata, hujus fungi nativitas, quid ab aſtris, ſub quibus ortus, ei portenderetur; quid tandem natura in illo, quod admirabile foret, efformaverit, & quaſi prodigioſè conſtituerit. Parturiere montes, & natus eſt ridiculus mus.

233. *Bellè equidem &c.* Apertius irridet Philodemo, & veſanum nuncupat, petaſatum item Priapum, Curculionem, & bipedem vervecem. Sannæ cum aliquâ irâ mixtæ, illum ſtultitiæ, ac ſtoliditatis redarguentes.

233. *Petaſate Priape &c.* Ideſt Priape petaſo indute: ad aliquid pudendum hæc pertinere minimè dubito, nàm Priapus, ſcribit Niceph. Calliſt. Ecclеſ. hiſt. lib. 14. cap. 48. *præter naturam informi membro colebatur:* Undè & pro ipſo pudendo ſumptus videtur a noſtro Satyrico, qui videtur reſpexiſſe proverbium Italicum ſatis notum &c.

234. *Vervexque bipes &c.* Vervecem pro homine ſtolido, & ſtupido poſuit Plaut. in Perſ. act. 2. ſcen. 2. *Ain vero, vervecеum caput?* Conſonant Juven. Satyr. 10.

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere nati

Apul. 8. Metam. *Vervecem, non aſinum vides.* Petron. in Satyr. *Quid rides berbex?* Huc etiam referendi Cic. lib. 1. de divinat. *Vide ne quem tu eſſe belvem deputes æque, ac pecus, is ſapientiâ munitum pectus egregium gerat.* Hinc & illud Planciadis ex moralibus Antidami: *Fæmorè compactum animal hominem quis ferat eſſe pecuatum? quis averruncaſſit tam arietinas hominum mentes?* ſic etiam taxat inſcitiam Cornificii Arnob. lib. 3. *Si novenarius numerus cognomen Novenſilium ducit, Cornificius balare convincitur;* Eademque ratione apud Laert. lib. 7, Cleanthes hebetioris ingenii *aries* à Timone vocatus fuit.

234. *Tibi deficit una &c.* Hoc eſt ſignum, quo ſtulti à non ſtultis diſtinguntur.

235. *Vi-*

Teſſera ſtultorum viridem veſtire lacernam.
Quod ſi vindiciæ, nec pilea ſumpta, catenas
Diſſoluunt animi, Barrum, Noviumque jubebo
Indicia effreni manifeſta cavere furoris,
Atque inteſtatos tecum cœnare Quirites.
Oh tandem ad Calabros redeat frons iſta Penates,
Cujus ad occurſum gelido mihi frigore ſanguis,
Cæſa-

NOTÆ.

235. *Viridem &c.* Hoc colore veſtiuntur Romæ mente capti, qui cuſtodiuntur in hoſpitali ad hoc inſtructo propè Columnam Antonianam, indèque locus ille vulgari, plebejoquè idiotiſmo nuncupatur *il Palazzo, ò l'Oſpedale de'Verdoni.*

236. *Quod ſi vindiciæ &c.* Ideſt: Si autem libertas, quâ potiris, non valet catenas, quibus animus infirmus, & furioſus tenetur, diſſolvere, non deſiſtam monere amicos tuos, ut te vitent, ne lædantur à te.

236. *Atque inteſtatos &c.* Inſuper, ne ad te accedant, niſi prius teſtamentum fecerint, ne maximo periculo expoſiti inteſtati mori periclitentur. Phraſis ex imitatione Juven. Sat. 3. verſ.272.

Poſſis ignavus haberi
Et ſubiti caſus improvidus, ad cænam ſi
Inteſtatus eas.

240. *Oh tandem &c.* Proſequitur Mimus ſermonem, & conſulendo hortatur, ut patriam ad domum redeat, quandoquidem inverecunda, turpiſque ejus facies minimè loco, & urbi condeceat.

241. *Cujus ad occurſum &c.* Occurſus ad malum omen refertur, ut dictum Satyr.1. num.6. Hinc appoſitè ad occurſum Philodemi rigor, & frigus in ſanguine, & in capillis; quando etenim aliquod terrificum occurrit, dicitur gelu contrahi ſanguis, & cęſaries rigere; Dixiſſet Italus in ſimili: *Mi s'è gelato*
il

Caſarieſque riget, ſoluitque puerpera vulvam.
Quid cunctaris adhùc? Patriâ te rupe capellæ
In-

Notæ.

il ſangue nelle vene, mi ſi ſono intirizzati fino i capelli.

142. *Soluitque puerpera &c.* Idem quoad puerperam, quam præ metu abortum pati poſſe omnibus compertum eſt: Solvere vulvam, eſt aperire, quod ſi fiat tempore non debito, mulieres abortiuum fœtum emittunt. Imitatio ducta ex Columel. lib. 7. apud quem *ſoluere venam*, idem ac aperire eſt. Huc referendus locus Geneſeos 16., ubi Abram deſperatâ poſteritate ex Sarai uxore traditur Agar ejus Ancilla. Verba autem Sarai ſunt. *Ecce concluſit mè Dominus ne parerem.* Hæc autem concluſio, quæ connotat ſterilitatem, de directo contradicit aperitioni, atque ſolutioni, quam exprimit noſter Author; unde vides phraſim etiam ſacroſanctis libris eſſe conſonam. Hinc ſcias vulvam propriè loquendo eſſe utriculum illum in fœminis, in quo fœtus fit conceptio, & quod licet aliqui eam verè dicant animalium brutorum, mulierum uterum, tamen apud Authores hæc diſtinctio minimè perpetuò ſervata fuit, præcipuè apud eos, qui illam derivant *à volva*, quod fœtus eâ involvatur.

243. *Quid cunctaris adhuc &c.* Nullâ morâ interpoſitâ abi, curre velociter, nil enim adhùc tibi expectandum. Quandoquidem ex ſupra recenſitis convinceris nullam in te eſſe virtutem, non nobilitatem, non decorem, non gratiam, quibus tibi poſſis promereri honores, & dignitates, quibus à tuo Romam adventu tantopere inhiaſti.

243. *Patria &c.* Eo magis quod capellæ in patriis montibus paſcentes ad cuſtodiam ſui habendam te invitent, & ad priſtinum exercitium revocent.

243. *Rupe &c.* Neſciam, an Patriæ Philodemicæ id referendum, ſeu potiùs ad genium caprarum; de his enim ait Author Geop. lib. 18. *Gaudent capræ locis montanis:* & alibi eod. lib. *gaudent locis præruptis.* Ideò Virgil. Eclog. 1. de Capris dixit.

Dumosâ pendere procul de rupe.

 Et

Invitant, feſſumque diù ſuſpirat aratrum,
Adventuque tuo laſcivà mobilis aure
Commune ad præſepe ſenex oncabit aſellus.
Hæc ubi Mimus ait, palmis utrinque reductis
Aſſul-

NOTÆ.

Et Artemid. lib.2.cap.12. de his loquens: *νεμόμεναι κατὰ κρημνῶν τῶν πετρῶν; paſcuntur in præcipitiis rupium*. Quomodocumque accipiatur, ſententiæ Sectanicæ convenit, nàm eadem patria, eadem rupes communis Philodemo, & ſuis capris; ex qua ratione evenire potuit, nec incongrua coniectura, ut Rullus, qui tanto amore Philodemum proſequutus eſt, toties in ſuis poeticis elucubrationibus hircorum, & caprarum cum laude meminerit.

244. *Feſſumque &c.* Vetus ſcilicet, & quod forſan à parente hereditario jure accepiſti, undè & ſumpſiſti in tuæ familiæ inſigne, ut alibi connotavimus.

245. *Adventuque tuo &c.* Lætabitur, & exultabit, aures feſtivè movendo, ut ſolent aſelli.

246. *Commune ad Præſepe &c.* Tam arctis limitibus Philodemi domus, ſi fides his verbis, incluſa eſt, ut non ſolùm non exurgat in altum, & plurium tabulatorum ordinibus tollatur, ſed humilis ad terram jaceat, unumque ei ſit commune cubiculum tam Domino, quam capris, & aſino; undè benè præſepe nuncupatur, eo quod tantum beſtias recipiat, & amantiſſimè hoſpitali ſocietate jungat illas Domino. Forſan reſpicit vulgatiſſimum italicum adagium, quo dicimus de homine indocto, & nullius pretii, ſed qui tamen de ſe plurimum præſumat, & jactet *eſſer un aſino, et una beſtia*.

247. *Hæc ubi Mimus &c.* Finem Mimus ſermoni egregio tandem impoſuit. Quid indè?

247. *Palmis utrinque &c.* Spectaculum maius, & glorioſius ſupereſt, Plauſus populi videlicet ex more, non tamen qualis in theatris, de quo ſupra, ſed loco, & rei conveniens; ſcilicet manuum reductio, & pulſatio, quę oris ſibilis, ut pluri-

Aſſultant pueri, betaſque, & grandia cæpe
Impingunt. Caveas ictus, Philodeme, memento,
Ne decor ille tuus, pudibundaque gratia frontis
Vapulet, & pullâ doleant in veſte Cinædi.

FINIS.

NOTÆ.

rimum, jungitur; ſic in plebejo more Romæ eſt, ſic frequenter uſurpatum nemo eſt, qui neſciat, pueris hæc promoventibus. Hi enim Romæ, pluſquàm alibi, petulantes, ac inquieti ſunt, quod tribuitur non tantùm ætati, ſed peſſimæ forſan eorumdem educationi.

248. *Betas &c.* Parum etiam ſi verbis, & ſtrepitu contenti; plauſus ulterius progreditur, & ad jactationem cæparum, betarumque tranſit: Has tamen puto Sectanum poſuiſſe pro quibuſcumque vilioribus pomis, quorum jactatio ad contumeliam pertinet; undè natum proverbium de rebus putidis, & informibus *eſſer coſe, che meritano le merangolate*; quæ ſi verè in aliquem jaciantur, actus ipſe in ejus contumeliam cedit.

249. *Caveas ictus &c.* Verba Sectani Philodemum monentis, ut ab his ictibus caveat: Vide quantum eum diligat, ejus ſiquidem frontis decori, ejuſque ſaluti amanter proſpicit. Hinc falluntur, qui auſi ſunt dicere Sectanum ſatyras ſcripſiſſe ob odium, quo proſequeretur Philodemum; nàm ſi quid reprehenſione dignum de eo pronunciat, id totum ad illius emendationem, quam ardenter deſiderat, tendit.

250. *Pullâ in veſte &c.* Color hic ex hodierna conſuetudine ad mortuaria pertinet; unde videtur, quod Sectanus ex hujuſcemodi ictibus etiam mortem Philodemi timeat. Talem autem colorem antiquitùs in mœrore adhibitum fuiſſe tradit Dio Chriſoſtomus orat. 16. notat enim *μέλαιναν ἐσθῆτα, nigram veſtem:* Videtur etiam adhibita fuiſſe ſanguineo colore imbuta, nàm luctum deſcribens Statius 3. Thebaid. inquit.

Stat ſanguineo diſciſſus amictu
Luctus atrox.

Squallorem, & fęditatem veſtium in genere ponit Senec. in Furente; hinc nullam in ſpecie coloris deſignationem habes, niſi qui ex phraſi eidem ſquallori, & fęditati minimè repugnet; en ipſius Tragici verba.

Undè iſte genitor ſquallor, et lugubribus
Amicta coniux. Undè tam fœdo obſiti
Pędore nati? Quæ domum clades gravat?

F I N I S.



SATYRA OCTAVA.

ARGVM. Lupus ad preces Sectani acta in conventu Philodemi, enarrat ipſumq;differentem inducit. Artem tradit amicis ſe fuco doctrinæ veſtiendi, ut fortunas, & honores Romanâ in Aulâ facili negotio aſſequantur. Plura ſcientiarum elementa attingit, quibus adipiſcendis nova, & ridicula præcepta inſtituit. Poeticam præcipuè collaudat, damnatiſq; purioris linguæ Scriptoribus, ſeipſum, ac opera ſua, velut exemplar, proponit imitanda. Indignatur Sectanus,narrantiſque Lupi ſermonis impatiens, qualis ſit in Poeticis Philodemi præſtantia exquiſitis ſalibus oſtendit. Tota hæc Satyra doctrinâ, lepore, & aceto uberrimè pollet.

NVnc age, dum longis reſpirant pectora curis
Mi

NOTÆ.

1. *Nunc age &c.* Initium dat Satyræ per modum interrogationis; quod & fecit Juven. Satyr. 9.; Satyram ſanè maximè redolet tam abſoluto, liberoque principio; ſive enim ad ſententiam Donati illud *age* ſignificet *dic*, ac Terentianæ imitationi adhæreat in Adelph., ubi in hoc ſenſu,

Age, novi tuum nomen.

Sive dictum ſit per modum excitandi, ut proximè ad noſtrum Poetam illud Virgil. Georg. 4.

Nunc age, naturas apibus &c.

Semper habet quandam energiam, atque robur, quibus mirè ſe attollit, ac inſinuat.

2. *Dum longis &c.* Ideſt, dum inceptorum, præceptore Philodemo, ſtudiorum cura aliquantulum tè reſpirare ſinit; Curæ etenim ſollicitudinis cauſæ, & dulcis quietis hoſtes; undè bene Virgil. Æneid. 10.

Neque enim membris dat cura quietem.

Quod de amantibus dixit Stat. 2. Thebaid.

Nunquam in pace ſopor.

De viris militaribus Virgil. loco ſtatim citat., Homerus de Agamennone, Silius de Annibale, Valerius de Jaſone, qui omnes vigilantes, & anſii inducuntur in aliorum ſopore, ut & de Juliano Ammian. Marcell. lib. 16., *Bellorum inundantium molem ſuis humeris vehens, ſcindebatur in multiplices curas.* Rectè per quietem homines ab aſſiduis curis reſpirare inquit Sectanus; nam quies, & ſomnus cum ſollicitudine minimè convenire poſſunt: Curis etenim vis eſt inſomnes homines efficiendi; hinc benè Stat. lib. 3. Thebaid.

Pervigil angor.

Ratio ex Hippocrat. lib. 2. de victus rat.; Græca verba omitto, ità Latinus Interpres. *Incaleſcit animus ac exſiccatur his, quæ hominibus accidunt cum cura.* Itaque ab hoc calore, & ſiccitate, quæ ſunt curarum comites, ineſt vigilia, & ex vigilia oritur angor.

Mi Lupe, ſcire velim, fortaſſe & in acta referre,

Quic-

NOTÆ.

angor. Somno, & quieti etenim angor proficuus ὕπνος εἰ ψύχῃ, ait idem lib.6. τῷ ἐπιδύμ. Sic per quamdam energiam curarum fluctus, undanteſque curæ dictæ fuere: Exempla dant Valer.5. Argon.

Præcipuè Æſonidem varios incerta per æſtus
Mens rapit undantem curis.

Et Catullus.

Magnis curarum fluctuat undis.

Latini Græcos videntur ſecuti; ſic etenim etiam Oppian.lib.5. Hal., Sophocl. in Electra, Herodian. de Commodo, qui viciſſim tranquillum animum dicunt ἀκύμαντον, & ἀκύμονα, ut qui careat fluctibus curarum ad eum modum, quo dixit Syneſ. lib. de inſomn. *Anima vacans forenſium curarum diluvio*. Dixit autem longas curas, vel quia diuturnas, vel quia magnas, & pernicioſas: in priori ſignificatione vocem hanc accepit Virgil. lib.3. Æneid.

Et longum Andromache teſtatur amorem.

In 2. idem Poeta lib.1. ejuſdem.

Et longum bibebat amorem.

1. *Pectora &c.* Accipitur pectus frequenter pro corde, quod ſub pectore latet, vel pro ipſo animo, quem in corde reſidere nonnulli antiquorum putaverunt. Juvenal.Sat.13.

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Horat. lib.1. Epic.

Non tu, corpus erat ſine pectore.

Undè cum aliquem perfectè maximèque à nobis amari velimus ſignificare, dicimus nos illum amare ex toto pectore; exemplo ducto ex Virgil. 9. Æneid.

Te verè, mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio.

Et Cic. ad Amic. *In amicitia niſi apertum pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas.*

2. *Mi Lupe &c.* Ex hoc clarè conijcitur Lupum hunc, de

 quo

Quicquid præteritis ſtatuit, fecitque Kalendis
Clara Phalanx: *Aderas nam tù quoquè credulus illis,* *Cun-*

NOTÆ.

quo alibi dictum, fuiſſe è Luminoſorum ſecta, quandiù ſecretioribus eorum congreſſibus receptus, & conſors fuit.

1. *Scire velim &c.* Non tantum ſcientiam, atque notitiam geſtorum expoſtulat, ſed voluntatem eadem geſta deſcribendi, ac veluti inter acta illius illuſtris conſeſſus referendi indigitat.

2. *Fortaſſe et in acta &c.* Valla lib.4. cap.9., acta à geſtis ſic diſtinguit, *quia illa rerum privatarum, et minorum, ac familiarum; geſta verò, quæ in adminiſtratione magiſtratus, et in rebus majoribus, et ad Rempublicam, et ad plures ſpectantibus ſint.* Utraque autem in ſcriptis ferri exigunt, ut ex Juven. diſcimus, quem imitatus noſter Satyricus, ubi habet;

Cupiens et in acta referri.

Forſan hæc acta inter illa diurna enumeranda ſunt, quæ per ſingulos dies fiunt, & ſcribuntur, Græcoque vocabulo *ἐφημερίς*, Latino autem *diarium* nuncupantur, præeunte Sueton. in Cœſar., de quo ait, quod inſtituerit, *ut tam Senatus, quam populi diurna acta conficerentur*; quò forſan reſpexit Sectanus, ſe tam cupidum ſciendi quidquid per Philodemicos ſectarios factum, dictumque fuerit, oſtendens.

3. *Quicquid &c.* Ex hoc dignoſcitur, quod hoc ſolemne concilium cogi ſuevit quibuſlibet cujuſcumque menſis Kalendis.

4. *Clara Phalanx &c.* Ideſt, tota Philodemica ſecta, quæ Luminoſorum nomen ſortita fuit à Luce univerſali, quam profitebantur: Phalangem nuncupat ex invincibili fortitudine, quam jactabat; Phalanx ſiquidem Macedonico idiomate quadrata acies, & cuneus militaris eſt, quando ſcilicet pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie conſerebatur: Continebat autem octo millia armatorum. Ità Curtius lib.1. de Vit. Alex. *Macedones Phalangem vocant peditum ſtabile agmen, ubi vir viro, arma armis conſerta ſunt.*

4. *Aderas &c.* Uti diſcipulus, fucoque tantarum rerum, quæ promittebantur, illectus; nondum enim ſuprà te lux illa ceciderat, quà omniſcius fieres, ſed ejus illapſum tantum, nimis

5. *Cunctaque manavit longus per compita rumor.*
Dicam equidem. Labente die convenerat unà
Tur-

NOTÆ.

nimis credulus, tanquam è Cœlo expectabas.

5. *Cunctaque &c.* Duplicem ſenſum admittit hæc locutio; ſi enim referas ad famam, optimè dicitur, quod ea ſe latè diffuderit; id enim famæ proprium, nam

Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo,
Parva motu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.

inquit Virgil. lib. 4. Æneid. verſ. 173. Benè rumor pro fama poſitus, quo nomine ipſa fama nuncupatur; ſic Statius innuit famam primo ſerpentem 2. Thebaid. inquiens;

Ergo alacres Argi fuſo rumore per urbem
Adveniſſe duci generos.

cui conſonat Alciat. lib. 1. Parerg. 6., qui ita definit: *Rumor is videtur, qui recenter emanavit, et per ora hominum circumfertur.* Præclare autem Ovidius lib. 3. Triſt. eleg. 12. vocavit gradum famæ.

Et fieri famæ parſque, graduſque poteſt.

Potius tamen equivocè noſtrum Authorem luſiſſe crederem, rumorem hunc referendum ad maximas diſputationes, ac ſtrepitus ibi habitos in differendo; Quadrat enim huic rei quidquid dictum eſt alibi de voce Philodemi tanquam ahenum tinniente, & ſimilibus, convenitque noſtro communi loquendi modo, quo dicimus de maximo fragore: *ſi fà un gran rumore*; Quidquid tamen ſit in phraſi imitatus eſt Sectanus Horat. 2. Sermon. Sat. 5.

Frigidus à roſtris manat per compita rumor.

6. *Labente die &c.* Verba Lupi promptè, exactèque rem narrare aggredientis: Primo diei tempus, & horam indicat; de ipſo die dictum numero primo hujus Satyræ: Horas Veſpertinas Sole ad Occaſum vergente huic conſeſſui deſtinatas indicat; dixit enim *labente die*; promiſcuè enim ſumptos habemus Soles pro diebus, dies autem pro Solibus; Sunt plurima de
his

Turba frequens, ubi turpis biat de marmore vultus,
Proluit & gelidâ ſitientibus ora caballis:

In pri-

NOTÆ.

his exempla: Quo ad primum Lucretius in lib.6.

Nec tamen omninò temerè illis Solibus ulla
Comparebat avis.

Catullus.

Fulſerunt quondam candidi tibi Soles.

Perſius Sat.5.

Tecum enim longos memini conſumere Soles

Virgil. Eclog.9. verſ.51.

Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere Soles.

Quantum ad ſecundum Claudianus in Raptu.

Merſerat unda diem.

Virgil. Æneid.1. verſ.92.

Eripiunt ſubito nubes Cœlumque, diemque.

Ac Seneca Rhetor contr. 16. *Emicabant denſis undique nubibus fulmina, et terribili fragore horridæ tempeſtates abſcondebant diem.*

7. *Turba frequens &c.* Turba pro multitudine ponitur, & ad majorem expreſſionem additur frequens, quaſi copioſa multitudo perſonarum ad audiendum Philodemum convenerit. Activè, & paſſivè ſumitur vox iſta apud Authores, innuitur enim actio, cum dicitur frequens populus &c., paſſio verò, cum frequens locus indigitatur: Ille enim frequentat, iſte frequentatur. Ita ex Valla lib.4. cap.96.

7. *Ubi turpis &c.* En locum ad turpem, hiantemque marmoreum vultum, qui aquam fonti, conchæque ſuppoſitæ miniſtrat, ut eam equis ad bibendum ſuppeditet: Vultus hujuſcemodi ad fontium ornatum Romæ frequentes ſunt, & vulgò nuncupantur *Maſcharoni*: Hinc quo nam tutè pedem ſiſtam neſcio, ni fortè de illo celeberrimo dictum velis, qui ad viam Juliam poſitus ſpeciali quadam appellatione, totique Romæ communiſſimâ, vocatur *il Maſcharone di Farneſe*.

9. *In-*

In primis Philodemus erat, manibuſque reductis,
Ut ſolet, & nugis dare pondus idoneus, inquit;
Macte animo ſtudioſa cohors; virtute parantur
Coccina, nec crinem prabet Dea calva ſupinis.
Qui

Notæ.

9. *In primis Philodemus &c.* Caput, princeps, & magiſter reliquorum.

9. *Manibuſque reductis &c.* Ideſt expanſis, & explicatis, ut illi aſſuetum. Obſerva quæſo lector, Sectano noſtro, ſi non ſemper, ſaltem ſæpè, quando Philodemum in ſcenam introducit, aliquam ejus notam deſignare placuiſſe: ità ut iis ſimul collectis non difficile ſit perito pictori, quemadmodum alibi etiam animadvertimus, ejus imaginem ad viuum efformare.

10. *Et nugis dare pondus &c.* Pondus propriè rei alicujus gravitatem deſignat: tranſlatè, authoritatem, & pretium, ut hìc. Exemplum ex Cic. Appio habemus: *Scribit meas literas maximum apud te pondus habituras*: Jam ſuprà de nugis Philodemicis ſatis; eas caro, maximoque pretio venditare ſolitum, velut reconditioris Philoſophiæ promptuaria, hic non obſcurè innuitur.

11. *Macte animo &c.* Proſequitur ſuam narrationem Lupus, & quæ gravi oratione à Philodemo dicta fuerint narrat: Prima pars ſermonis ab adſtantium animos ſibi conciliando incipit: laudat enim, & quaſi de re benè geſta gratulatur; Magiſtralem tamen præeminentiam ejus verba ſapiunt, quia reliquos ſtudioſam tantum cohortem nuncupat, quaſi diceret ſibi diſcipulos, ac ſe præceptore ad ſublimia Lucis ſtudia aſpirantes, non tamen pari ſcientia in re tanti momenti pares.

11. *Virtute parantur &c.* Optima, aureaque ſententia; nam minimè caret egregia virtus laude, vel præmio. Quin & *virtuti perfectæ*, ut ait Ariſtot. Ethic. 4. *non fit condignus honor*, *tamque* teſte Cic. 1. Tuſcul., *neceſſario gloria ſequitur*.

12. *Coccina &c.* Ideſt dignitates, præſertim Eccleſiaſticæ: Coccinea enim veſtis, & purpurea ſummo tantum Eccleſiæ Senatui per S. R. E. Cardinales exhibito debetur. Putarem tamen

tamen hac voce qualcumque Eccleſiaſticas dignitates indigitari, etiam Epiſcopales, & , ut nuncupant, Prælatitias, nam Epiſcopi, & Prælati veſte violaceâ utuntur, quæ ad coccineam, purpureamque refertur.

12. *Nec crimen &c.* Fortunam pinxere antrorſum capillatam, retrò verò calvam, ut indicarent occurrentem accipiendam; nam quoties ea tranſierit arripi non poteſt: hinc Sectanus minimè eam dare crinem inertibus, & ſupinis optimè dixit, iiſque qui eam ſibi elabi ſinunt. Hanc Jovis filiam finxit Pindarus τύχαν σώτειραν Ζανὸς παῖδα, *ſalutarem Fortunam filiam Jovis*, atque unam ex Parcis putavit Pauſan. lib.7. forſan quia non facile exorabilis, nec niſi patientiâ ſuperari poſſit, ut inquit Virgil. 5. Æneid.

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Et quod in tanta rerum inconſtantiâ, & florentis fortunæ inſtabilitate, nil aliud remaneat quam perferre, quam tolerare, quicquid ſors dederit; nam fuga non eſt viri, ut præclarè Seneca in Oedip.

Haud eſt virile terga fortunæ dare.

Hinc antiquis Dea credita, cultaque præcipuè apud Prænestinos, & Antiates, Romaque, ubi ædem Trans-Tyberim habuit. De Fortuna Prænestina eſt inſignis locus Juvenal. Sat. 14. verſ. 88.

Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longèque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.

Romæ autem ipſi templum fabricatum fuit à Nerone ex marmore Phengite, uti notat Schrevelius in hunc Juvenalis locum. Sententiam de ejus divinitate aſtruunt plurima marmora apud Gruterum, quæ eam variis decorant epithetis, pag. ſiquidem 73. 7. *Adiutorium*, pag. 75. 6. *Obſequentem, et Opiferam*, pag. 76. *Jovis filiam primigenitam*, & pag. 1072. 6. *Reſpicientem* nuncupat; imò ex marmore relato pag. 135. 2. rectè datur intelligi eidem ſacrificia oblata, victimaſque mactatas. Ejus tamen Divinitatem irriſere ſapientiores, nam Juvenal. Satyr. 10. ait:

Nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus fortuna Deam, Cœloque locamus.

Innuens Fortunam non ſolum nullum Numen eſſe, ſed nuſquam &

Qui ſapit, ipſe ſibi fortunam fabricat Aſtris
Invi-

NOTÆ.

& nihil eſſe; perindè ac ſi diceret temeritate, atque inconſtantiâ fieri, ut Fortuna, quæ per ſe nihil eſt, etiam in Deorum numero collocetur. Et rectè divinus Seneca; *Fortuna, fatum, natura, omnia ejuſdem Dei nomina, variè ſua poteſtate utentis.*

12. *Supinis &c.* Qui dorſo incumbit ſupinus dicitur, ità ut faciem ventremque habeat Cœlum verſus ſpectantem; Sed quoniam ſupinus ille recubitus indicium eſt hominis ſoluti, & otioſi, factum eſt, ut ſupinum pro molli, delicato, otioſo, & negligenti ponamus. Exemplum addimus ex Seneca ad Lucil. *Eſt quidem, mi Lucili, ſupinus, & negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur.*

13. *Qui ſapit ipſe ſibi &c.* Nam, ut ſcripſit Livius Dec. 1. lib. *Fortuna virtutem ſequitur.* Hinc Appius apud Salluſt. *Fortunæ ſuæ quiſque faber eſt*; & Virgil. Æneid. 10. verſ. 284.

Audentes fortuna juvat.

Ab his ſententiis non abeſt alibi ipſe Livius, qui de Catone prædicat lib. 39., tantam in hoc viro fuiſſe animi fortitudinem, ut *fortunam ſibi ipſe facturus videretur.* Scitè & Plaut. in Trinum. de homine ſapiente, *ipſi ſibi fingit fortunam ſuam.* Verè Livius ore Matii Ducis lib. 25. *Quia ſi occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, ne quicquam mox omiſſam queratis.* Favent Ennius lib. 7. Annal. *Fortibus eſt fortuna viris data*; & Ovid. 8. Metam. *Ignavis precibus fortuna repugnat.*

13. *Aſtris invitis &c.* Convenit Catul.

Et Djs invitis deſinit eſſe miſer.

Aliter, & benè Virgil. Æneid. 2.

Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.

Cui affinia dedere Plutarch. de Pithyæ Oraculis; δεῖ γὰρ μὴ μάχεσθαι πρὸς τὸν Θεόν. *Non eſt pugnandum adverſus Deum,* & Lucianus, ſeu quiſquis ſit author Senarii, qui habetur in Anthol.

Θεοῦ μὲν ἐκτὸς ὅστις, ἀτυχεῖ βροτοὶ

Mortalium nemo abſque Deo beatus.

Hinc fortè orta Æſchilii ſententia; πρὸς πάντα κάλον ἐκτείνειν;

impin-

Invitis. Romæ ſumus; hic ubi cuncta renident
Impe-

NOTÆ.

Impingere pedem adverſus ſtimulos; nec non illud *Deo irato aliquid facere*, ideſt, infeliciter.

14. *Romæ ſumus &c,* Hìc videlicet, ubi virtus colitur, & præmiis, atque dignitatibus afficiuntur. qui ea ſunt præditi, nulla conditionis, natalium, divitiarumque habita ratione.

14. *Hìc ubi &c.* Urbem perpetuo imperio natam indigitat; nam poſteà quam Imperatoribus caruit, & in Summorum Pontificum Dominationem ceſſit, in majorem potentiam accrevit, ſi non armorum, certè religionis vi, atque virtute, cujus præſidio non tantum eæ Provinciæ, quæ intrà fines Romani Imperii pridem erant, ei ſubiiciuntur, ſed totus Orbis, qua latè patet, obedire cogitur, Romanum Pontificem tamquam Chriſtianæ, Catholicæque Eccleſiæ Caput, & Principem ſub Chriſto Jeſu agnoſcendo, venerandoque. Siquidem Summi Pontificis dignitas, ſuprema non tantum apud Hebræos, ſed plurimæ poteſtatis apud veterem Romam fuit; Suſcepere ipſi Imperatores, teſte Baron. ad ann.312., *quod ſic videretur Imperatoriæ dignitati Summus Pontificatus adjunctus, ut ſinè illo Imperator eſſe non poſſet; & in eum facilè Senatus, Populuſque Romanus conſpiraturi eſſent, quem non viderent patria religione firmatum*. Nec initio Chriſtiani à Conſtantino Imperatores reſpuere, ut probatur ex Auſonio in Gratiarum actio. pro ſuo Conſulatu, & Zoſimi lib.4. Teſtantur etiam plurimæ ex lapidibus antiquis inſcriptiones, quæ extant apud eumdem Baron. tom.3. Annal. eodem anno 312.. Affero aliquas ex Grutero, primam habes pag.159. num.5.

D. N.

D. N. IMP. CAES,
CONSTANTINO. P. F.
VICTORI. AVG. PONT.
MAXIMO. TRIBVN.
POTESTAT. XXIII. IMP.
XXII. COS. VII. P. P.
PRO. COS.
RERVM. HVMANARVM
OPTIMO. PRINCIPI
DIVI. CONSTANTI. FILIO
B. R. P. NATO.

Secundum pag.286.

IMP. CAES. FL.
VALENTI
PIO FELICI. VICTORI
AC. TRIVMPHATORI
SEMPER. AVGVSTO
PONT. MAX.
TRIB. POT. III. IMP. IV.
COS. II. P. P.
COH. III. .... PR.....

Tertiam deniquè pag.1082. 13.

FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS.
VICTOR. AC. TRIVMPH. SEMPER. AVG. PONT.
MAX. GERMANIC MAX. ALAMAN. MAX.
FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VI.
IMP. II. COS. PRIMVM. P P P.

Mit-

Mitto plurimas, quas videat Lector, ſi lubet, & in Grariano ſiſto, qui teſte Zoſimo lib. 4. Summi Pontificis nomen, titulumque reſpuit, *quem hactenus,* inquit Baronius ad ann. 383. num. 3. (*more majorum*) *abſque tamen labe ipſorum Sacrorum Chriſtiani Imperatores ob ſummam poteſtatis amplitudinem retinuerant.* Vndè mox illud argutum in Gratianum ſcomma jactarunt: *Si Princeps non vult appellari Pontifex Maximus, admodum brevi maximus Pontifex fiet*: Deditque Urbis Præfecto de rebus ad gentilitiam ſuperſtitionem pertinentibus judicandi facultatem: Nàm quoad hujus ſummæ dignitatis maximam poteſtatem pertinet, illud ſciendum ex Cic. de Nat. Deor. lib. 2., & de leg. lib. 2., ex Tacit. de Morib. Germanor., & Valer lib. 1. cap. 1. & 3., Veteris Romæ Pontificem Maximum potuiſſe comitia dirimere, Conſules àbdicare, factaque reddere irrita, decretis à Senatu intercedere, eademque intercidere; ac fierent ne bella, ex ejus arbitrio penderet. Ne quis tamen putet novitium indè fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Summi Pontificis nomen, nam hujus tituli meminit antiquiſſimus Tertullianus lib. de Pudic. cap. 1., demonſtrans hoc loco, vel quod Zefirinus Pontifex ſecundùm veterem nomenclaturam hunc ſuo edicto titulum appoſuiſſet, vel quod, ſi velimus eſſe verba Tertulliani, ipſum id dixiſſet ſecundùm receptam iàm tunc Romani Epiſcopi appellationem. Hanc procul dubio credendum inter præcipuas Imperii notas, quibus etiam hodiè Roma refulget, Sectanum repoſuiſſe. Addimus ampliſſimo ſpirituali imperio junctam Eccleſiaſtici ſtatus temporalem dominationem; Inſuper & Coronam, Purpuram, aliaque Imperii, & Sacerdotii decora in Pontifice Maximo, Senatum in S.R.E. Cardinalibus, ea tandem reliqua, quæ revireſcentis, & nunquam deſituri Imperii notæ ſunt, non tantùm ad majeſtatis Pontificiæ ſplendorem, ſed ad poteſtatem, qua Petri in Romano, univerſalique Epiſcopatu ſucceſſores præfulgent, indigitandam pertinentes. Hujus ſub Imperio nati, educatione ſumus, hujus communione conſociari gloriamur, & gaudemus, tanquam membra cum capite, in Pontifice, cui ex animo ſubiicimus non tantùm nos, ſed quæcumque acta, ſcriptaque noſtra, tanquàm ſummo fidei, morumque Magiſtro, corrigenda, delenda, & moderanda, ſi fortè aliquid occurrerit, quod cenſorià limà dignum judicaverit in Sectano noſtro; qui certè nullius criminis ſibi conſcius eſt, niſi quod in ſuis Satyris vitia plu-

rima

15. *Imperii ſpecioſa notis, medioque popello*
Sæpius auratis veſtitur bucca thiaris,

Et

NOTÆ.

rima reprehenſurus, nomina aliqua effinxerit ad ſuſtinendas ipſorum vitiorum perſonas; atque ob hoc unum ad pęnam vocatur ab iis, qui culpas, quibus non carent, à tanto viro profligari egrè ſentiunt, & novam Satyram, à qua Author penitùs abhorret, à Satyra eruunt; Nonnè vitia corripi, virtutem tolli juſſum? Id ex Sectano habes, qui reprehendit, quod reprehendendum, laudat, quod laudandum; nàm & laus bonorum à Satyra non abhorret: ea quippè, quæ pietatem, virtutemque commendat, in malum tacitè ſaltem, & indirectè fertur. Ergò ne SS. Patres, Scriptoreſque quicumque, ac Oratores piiſſimi rationis paritate cenſoria nota infligendi? Apage blaſphemiam!

15. *Medioque popello &c.* Hæc ad Urbis gloriam maximè pertinent; inſinuatur enim totum virtuti, non potentiæ tribui, cum frequenter videamus ad maximas evehi dignitates, quos nec nobilitas, nec divitiæ commendant, imò & plerique emergunt, qui virtutis, ac pietatis amantes, ac ab honoribus abhorrentes, penè latuere, oculis tantùm ſapientiſſimi Principis minimè abſconditi; vndè benè ſtatim natos, & adultos, quaſi fungos in agris, dicit noſter Satyricus, quia parùm abeſt, quin anteà ignoti ex ſolo honore, ac gradu adepto innoteſcant.

16. *Thiaris &c.* Thiara galea eſt Sacerdotis, quæ per malas veniens mento ſubligatur; differt à Regia, quod Regum tiara recta, & cum apice, Sacerdotum ſine acumine fuerit. Hodiè accipitur ſatis communiter pro mitra Epiſcopali, quandoque etiam pro quocumque capitis ornamento Eccleſiaſtico. Apud antiquos tamen frequentius muliebre, rarius maſculinum verticis tegumentum appellatum fuit thiara; Fateor tamen eam omnium penè Orientalium inſigne fuiſſe; nàm de Medis aſerit Plutarch. in Alexand., de Parthis Anacreon., de Perſis omnes eiuſdem gentis hiſtorici, de Phrygibus Juven. Satyr. 6., & Virgil. 7. Æneid. verſ. 267. Ejus autem formam ex nummis rimatus fuit Briſſon. lib. 2. de Reg. Perſ., in quibus *recta eſt*,

atque elata, ſumma ſui parte turrita, à poſteriore parte inſulas pendentes, anteriore bucculas habet: eſus medium ambit faſcia alba ſtellulis inſignita. In nummis quoque Auguſti, ubi Parthia ſupplex fingitur ſigna porrigere, habebat in capite thiaram ità depictam: *Erat galeri forma, et pilei, quod abſque ulla oræ latitudine, æquabile ex omni parte, ac rotundum erat, ac in acutum deſinens conum flexum, inclinatumque.* Favent Xenophontis verba lib. 5. de exped. Cyri Min. *Galeis coriaceis capita munierant,* quales ferè Paphlagonicæ ſunt, *in quarum vertice cincinni in thiaræ modum eminebant.* Carolus Paſchal. lib. 10. Coron. cap. 1. ex Curopalata, ait Judices Medorum geſtare ſolitos φακιόλιδα, quam tiaram interpetratur, ità formatam, ut aliquid inde penderet, quo auris una eſſet tecta; nàm altera intecta erat. Indicabant videlicet dandam eſſe à Judice intectam aurem accuſatoribus, tectam accuſatis: fortè ad hanc thiaram reſpexit Virgil. loc. cit., nàm producit Priamum eà utentem, cum daret jura populo. Si originem thiaræ funditus quæramus (cur non à fabulis adiumenta accipiam ad comparandam veritatem, inveniemus utramque aurem tegi thiarà, non unam tantùm: Novam hanc lucem dat Midas, qui eam adhibuit, ut tegeret aures aſininas, & Ovid. qui fabulam narrat lib. 11. Metamorph. claré ad morem Phrygum alluſit.

Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare thiaris.

Alluſit, inquam, ad morem, etiamſi fabulam inſeruerit; & ità verè potiùs, quam fabuloſè loqui dicendus eſt. Puto eam adhùc in uſu eſſe, & Perſis, & Turcis; non enim dubium eſt, quin obuolutio illa linteaminum turbinata, quam geſtat gens utraque, reſpondeat veteri antiquorum thiaræ: Quod antem mitra, ut diximus, ſub nomine thiaræ nuncupetur, minùs propriè dici cenſeo, ſi vetus ſignificatio reſpiciatur tantùm; rectè tamen dictam, ſi uſum, qui invaluit, in hujus vocis adhibitione apud Authores Eccleſiaſticos; maximè apud Poetam.

16. *Bucca &c.* Buccam eſſe oris concavitatem intrà malas à mento ad oculos, quæ ſpiritu à pulmone revocato, & oppreſſis labris retento inflatur, indicat illud Horat. lib. 1. Serm.

Quid cauſa eſt, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet?

In-

Et Latiis princeps tendit ſe fungus in hortis.
Vos quoque de largo cratere bibiſſe licebit,
Si patulas dabitis noſtris ſermonibus aures.
Quiſquis in hoc uno ſtudeat, noctéſque, dieſque
Co-

NOTÆ.

Indè quia ſimili oris inflatione tuba clangitur, huic nomen buccæ inditum, quod frequens apud Juvenal. Satyr.6.

Et Phrygia veſtitur bucca tiara.

A quo loco imitationem ſumpſit Sectanus noſter, ſed Satyr. 3. verſ 35., ubi

Notaque per oppida buccæ.

Ex quibus tibicines ipſos connotari nil dubium eſt, ut legenti patet, & interpretes ſcribunt. Ità & in noſtro Satyrico intelligendi vel tibicines, vel ipſorum loco qualibet vulgaris, & ex ima plebe perſona, quæ virtute, & meritis, non autem auri, potentiæ, & nobilitatis vi ad Eccleſiaſticas dignitates aſcendat.

17. *Fungus &c.* Fungus ex arborum pituità generatur, vix natus ſtatim accreſcit, & dilatatur; translatè hic ponitur pro quocumque plebejo viro, qui vix virtute promovente ſe prodat, quin ſtatim in ſummum tollatur, ac ſe latè honorum multiplici decore pandat.

18. *Vos quoque &c.* Ideſt Philodemi diſcipuli; Hortatio ad virtutem ſectandam, ut ſimilibus honoribus, ac dignitatibus via eis quoque pandatur. Præcepta audiemus ſub num.20.

18. *De largo cratere &c.* Ideſt, plenè conſequimini; tranſlatè poſitum bibere de largo cratere, pro ampliſſimè aſſequi, nàm uti ex magno ſcypho abundans vinum diffunditur, atque hauriri poteſt, ità ex largo honorum promptuario gradus pluſimi eruuntur.

19. *Si patulas &c.* Si non tantùm attentè monita, quæ traduntur, audietis, ſed ad eorum executionem prompto animo implendam progredimini.

20. *Quiſquis in hoc uno &c.* En tandem propoſitorum dogma-

Cogitet, ut doctus videatur. Splendida larva
Virtutis quantum Romanâ præſtat in Aulâ!
Hac facilè induimur, ſi noſtrum quilibet ora
Solverit in laudes ſocii, & conjuret amicè.
25. *Hic putret in Venerem, dextrâ quatit ille fritillum;*

Al-

NOTÆ.

matum principium: Malè, nec fallor ingreditur Philodemus provinciam ſuam; ſtatim enim initio docet, totum in eo hominem ſiſtendum, totiſque viribus incumbendum, ut videatur doctus: Cur non, ut ſit? nàm honores, teſte Ariſtot. Ethic.4., ſunt premia virtutis vera, non fucata, quæ mendacium, ambitionemque, peſſima ſcilicet vitia pro fundamento habeant.

21. *Splendida larva &c.* Ideſt ſplendidè, & luculenter perſonata ambitio ipſa ſub ſpecie virtutis. Maximum hoc malum ſemper viguit, nec facilè, niſi longo experimento dignoſci poteſt, quia arte tegitur; Hæc eſt quam Dominus in Phariſæis corripuit, & damnavit.

23. *Hac facile induimur &c.* Artem fallendi docere proſequitur: Mutuam inter ſocios, & ſimul ad metam hanc adipiſcendam conjurantes laudem neceſſariam conſulit, etiamſi plurimis vitiis teneantur, & ignaviter vivant. Hinc hujus ſodalitii qualia fuerint dogmata optimè conjice.

24. *Solverit &c.* Fortè ad hanc amicam conjurationem reſpexit, & inter corruptos ſui temporis mores poſuit Juven. Sat.3. inquiens

Quid Romæ faciam? Mentiri neſcio: librum
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere.

25. *Hic putret &c.* Exempla producit eorum, quæ per hos ignavos exercentur: Primoque mollem, & effeminatum dicit, qui libidine reſolvatur, enervetur, & quaſi putreſcat, & corrumpatur, nàm putredo eſt φθορὰ, *corruptio*: Imitationem duxit ex Perſ. Satyr.5. verſ.57.

Ille
In Venerem putret.

25. *Dex-*

Alter ab immundâ neſcit prodire culinà.
Tu laudatò. Vbi num Larronus? Septima lux
eſt,

Ex

NOTÆ.

25. *Dextrà quatit &c.* Talorum ludo vacat, qui fritillo moventur, & agitantur, priuſquàm jaciantur. Fritillum enim inſtrumentum eſt, vel vaſculum, in quo teſſeræ, talique frinniunt, & cum ſono ſubſiliunt, concuſſique agitantur. Nàm fritillum iuxtà vocabuli veriloquium, eſt διάσειςρον. Fritinnus vetus vox eſt, quæ motitationem, & ſubſultationem ſignificat: à *Fritinnus* igitur diminutiuum *fritillus*: *inde fritinnire* Nonio *ſubſilire cum ſono*: Ità diſcimus ex Salmaſio in Flavium Vopiſc. Uſus hac voce eſt Juven. Satyr. 14. verſ. 5.

Ludit et heres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Item &c Martial. lib. 4.

Incertis ſonat hinc, indè fritillis.

26. *Alter ab immundò &c.* Videlicet totus gulæ, atque exquiſitis epulis parandis incumbit: de tali hominum genere, jocando, & mordendo, ut ſolet, Juvenalis habet

Sequitur ſua quemque culina.

Tria igitur vitia proponit Sectanus Venerem, gulam, & ludum: quoad prima duo Hieronym. ſuper Matth. *Cor habet in ventre guloſus, laſciuus in libidine*: Quoad tertium Juvenal. Satyr. 14. verſ. 4., qui *damnoſam aleam* vocat, nec non *turpem* Satyr. 11. verſ. 174. Hinc benè Horatius in epiſt.

Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat.

27. *Tu laudato &c.* Quamvis non ignores his vitiis aliquem ex ſociis detentum eſſe, ne deſiſtas tamen laudare, etiamſi falſum proferre contingat.

27. *Vbi num Larronus &c.* Sit in exemplum Larronus, qui fortè per ſeptem dies latuit aleæ, vel libidini vacans, ut ſubobſcurè innuitur: Quid de eo dicendum eſt, ſi fortè aliquis inquirat? Id ſequenti notà exequetur; Interim moneo Larroni

Ex quâ ſe libris macerat, ſtudioque forenſi

Ad

NOTÆ.

nomen nunquam apud veteres Authores me legiſſe, ni fortè poeticè, & metri gratiâ Larronum pro Laronio poſuerit: Bis ſiquidem Laroni meminit Gruterus ex duplici Epigrammate antiquorum lapidum pag.26. 10., & pag.1286.8.

27. *Septima lux eſt &c.* Sic Larronum latitantem, genioque indulgentem laudare docet: ſuadetque dicere jàm per ſeptem continuas dies cauſæ cujuſdam forenſis ſtudio mentem, animumque applicuiſſe, eo fęlici quidem, fortunatoque ſucceſſu, ut Galli conditionem reddiderit meliorem, ac plus ei acquiſierit, quam litis initio ſibi à Judice pronunciari petebat. Rem per partes explico.

27. *Lux eſt &c.* Lux pro die frequenter ſumitur à Scriptoribus: Ita Cic. pro Milone: *Centeſima lux hæc eſt ab interitu Clodii.* Virgil. Eclog.7. verſ.43.

Si mihi non hæc lux toto jàm longior anno eſt.

Ovid. in epiſt. nocti apponit

Sive latet Phœbus, ſeu terris altior extat,
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

Symmach. epiſt. 102. lib. 9. *Brumalis lucis anguſtias*. Idipſum notavit Urſ. ex Euripide in Hecuba, qui φέγγος, ideſt, ſplendorem pro die poſuit: Indè dies etiam luminis voce expreſſa apud Ennium in Medeâ, *Si te ſecundo lumine hic offendero*, & Virgil. lib.6. Æneid. verſ.356.

Vix lumine quarto
Proſpexi Italiam &c.

28. *Se libris macerat &c.* Ideſt, non tantùm corpus attenuat nimio ſtudiorum labore, ſed animum nimiâ ſollicitudine angit.

28. *Studioque forenſi &c.* Studium forenſe eſt incumbere tam communi, quàm municipali iuri, ut inde leges in defenſam litigantium producantur; nàm forum locus eſt, in quo judicia exercentur, quod δικαστήριον Græcis nuncupatur. Sic Cic. ad Attic. *Quod me in forum vocas, eò vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam*; & de Orato. *Ne ſemper forum, ſubſellia,*

ro-

Ad beſſem Galli bona dequincunce redegit;
30. *Et jam Prǎgmaticos divino provocat omnes*
Elo-

Notæ.

roſtra, Curiamque mediteris: ideſt cauſas civiles, publica judicia, conciones, & ſententias in Senatu dicendas. Hinc forenſis idem eſt, ac judicialis.

29. *Ad Beſſem &c.* Ideſt acquiſivit Gallo ultra quinque, tres etiam uncias ex re controverſa; itàut jàm octo eſſent. Nàm volentes quicquam in partes dividere, ut hæreditatem, & quid ſimile, id aſſem appellarunt, & partes uncias: Porrò ſextans unciæ duæ, quaſi ſexta pars aſſis: Quadrans unciæ tres, quarta pars; Triens, quatuor unciæ, tertia pars; Quincunx, unciæ quinque; Semis, unciæ ſex, dimidium aſſis; Septunx, unciæ ſeptem; Bes, unciæ octo, dempto triente ab aſſe, quaſi Des; Dodrans, unciæ novem; Dextans, unciȩ decem, dictus quod aſſi deſit ſextans, hoc eſt, unciæ duæ; Deunx, unciæ undecim, quaſi unica dempta ex aſſe; uncia autem æris minima pars.

30. *Et jam Pragmaticos &c.* Videtur reſpicere praxim judiciorum; nàm Advocati, Cauſidicique non tantùm in cauſis, quas patrocinantur ſcribunt, conſultationes eaſque ſcripturas, quas Informationes nuncupant; ſed voce mentem Judicis inſtruunt de multiplicibus clientum rationibus, ac ſepe ante ipſum Judicem de cauſæ, ac controverſiæ meritis cum Adverſariis altercantur, alterutris ſibi jus favere contendentibus.

30. *Pragmaticos &c.* Pragmatici ſunt cauſarum patroni, & Advocati. Vox etenim Græca ad Latinum uſum translata; Derivat autem à πρᾶγμα, quod eſt res, opus, & cauſa agenda; ex πρᾶγμα venit πραγματεία, quæ Cic. *res forenſis*, & advocatio; Ex Græcis Iſocrate ad Noclem tantùm afferam; τὰς μὲν ἐργασίας κάλλιστα κερδαλέας τὰς δὲ πραγματείας ἐπιζημίους; *fac ut ſint damnoſæ advocationes, rerumque forenſium tractationes*; Hinc factum non tantùm Pragmaticum dici geſtum ipſum forenſe, & in civili adminiſtratione, quod diſcimus ex Cic. lib. 14. ad At-

Eloquio. Quid agit Plotinus? in abdita rerum
Viſcera ſollicitam conatur trudere mentem:
Illum non Veneris, comitum nec blanda voluptas
Abſtrahere indè poteſt. Doleo, nàm plurimus hæret
Mar-

NOTÆ.

ticum; ſed etiam miniſtros in cauſis agendis Pragmaticorum nuncupatione cenſeri teſte Quintiliano lib. 3. dicente; *Græci* Πραγματικοὺς *vocant Juris Interpretes*.

30. *Divino Eloquio &c.* Exuberantia laudis ſæpe mendacii arguitur; Nàm *reprehenditur collaudatio, in qua ut cuncta, et maxima præferantur* (ait Plat. de Amore) *falſa proferuntur*. *At laus parum prodeſt, ſi conſcientia criminis mordet*, ex Auguſt. ſuper Joan.

31. *Quid agit Plotinus &c.* De altero inquiſitio ſecunda; Plotini nomen ab antiquitate mutuatum; hunc namque habet vetus inſcriptio apud Grut. pag. 941. num. 4. Hunc fingit Sectanus Philoſophicis ſtudiis addictum.

31. *In abdita rerum &c.* Philoſophiam connotat, quæ in tres partes dividitur, in moralem, naturalem, & rationalem, quarum prima componit animum, ſecunda rerum naturam ſcrutatur, tertia benè diſſerendi rationem docet. Plotini ſtudium ad ſecundam partem referendum eſt, nàm in abditis rerum viſceribus, ideſt intimis, occultioribuſque partibus ſcrutandis totum incumbere ſcribit.

33. *Illum non Veneris &c.* Miſcet laudes continentiæ ejuſdem, ac ab omni alia voluptate abalienationis, præterquàm à ſapientiæ amore.

34. *Abſtrahere &c.* Ideſt, etiam quadam vi removere, & evellere, quod Græcis eſt ἀποχωρίζειν, *ſejungere, & reſolvere*.

35. *Doleo &c.* Affectum, atque πάθος movere ſtudet erga ſocium, quem ex tam aſſiduo ſtudio in ægritudinem lapſurum timet, & ſigna, indiciaque proximæ ægritudinis ſtatim adducit.

35. *Mar-*

35. *Marcidus ore color, refluunt nec ſanguine venæ.*
Sic vitium obvolves fuco virtutis, & umbrâ,
To-

NOTÆ.

35. *Marcidus ore color &c.* Nempe pallor maximus, & in flavitiem, marcoremque inclinans; fit enim, atque derivat, ex quo pellis ſanguine deſtituatur, magiſque augetur, cum idem ſanguis, non ea, qua par eſt aptitudine movetur, ac refluit, utpote qui incraſſatus ſit, & ex motu minimè à Plotino diluatur, & ſolvatur in debitam fluiditatem.

35. *Refluunt nec ſanguine &c.* Sanguinis hic facilis refluxus ad ſanitatem neceſſarius eſt, ut ſuam virtutem non tantùm membris ad vegetam operationem, ſed partibus vitalibus ad corporis conſervationem tribuat: Hoc malum, ut plurimum, evenire ſolet iis, qui minimè ſe exercent, nec movent, ſed quaſi ocioſè domi ſe continent; maximè iis, qui literis dant operam, quia additur mentis defatigatio, qua & corpus laxatur, & ſpiritus abſumuntur. Porrò marcor idem eſt, ac putredo, qua hi laborant ſæpiſſimè; nàm quemadmodùm ſanies in ulcere ob defectum naturalis caloris fit, ità non habens neceſſariam fluiditatem, & motum, ex quo magis incaleſcit, corpori putridas gignit infirmitates, & maximè tabem, ſeu phiſim, quæ eſt nimia corporis extenuatio ex cura, animique ægritudine procedens.

36. *Sic vitium &c.* Apage hos hypocritas, quorum *facies rationalis,* ut ait S.Gregor. lib.33. Moral., *corpus autem beſtiale.* Exclamat contra hujuſmodi hominum fecem S Joan. Chriſoſt. ſuper Matth. *Hypocrita, ſi bonum eſt, bonum eſſe, ut quid vis apparere, quod non vis eſſe? Si malum eſt, malum eſſe, ut quid vis eſſe, quod non vis apparere? Melius eſt bonum eſſe, ſi malum eſt malum apparere, peius malum eſſe; ergo aut apparere, quod es, aut eſto, quod appares.* Utinam talis zizania à noſtro cœlo exulet, nec amplius fucata ſanctitas ſe mundo oſtentet, ut dolos, qui ab Hypocritis perpetuò, teſte eod. Greg. 12. Moral., præparantur, effugiamus, atque vitemus.

37. To-

Totaque ſecuro poteris dormire cadurco
Sabbatha. Sed multum præſtabit norma loquendi,
Arte loqui didiciſſe juvet; nàm regula rarò
Hæc

NOTÆ.

37. *Totaque ſecuro &c.* Ideſt poteris tutè in otio vivere, libidine, crapulà, & alea diffluere, optimà de te famà iàm ubique conciliata.

37. *Cadurco &c.* Cadurcum culcitra eſt, ſive velum penſile, quod lecto oſtenditur. Unde & pro ipſo lecto ſumpſit Juvenal. Satyr. 6.

Violato pœna cadurco.

Itàut ſenſus hujus loci pendeat ex iſtius poetæ imitatione, & idem ſit, ac dicere, quod integras hebdomadas ſecurè, quietèque dormire poſſit.

38. *Sabbatha &c.* Sabbathum propriè ſeptima uniuſcujuſque hebdomadæ dies appellatur ab Hæbreis; Ethnici autem Saturni diem dixere, quo die Judæi ab omni opere feriantur, non ſolùm ex legis præcepto, ſed etiam Deum Mundi architectum imitati, quem ſacræ litteræ tradunt, confecta ſex diebus mundi machinà, eàque, exornatà ſeptimà die quieviſſe; unde & Sabbathum vocaverunt, quæ vox Hæbreis *quietem* ſignificat. Apud ipſos quoque Sabbathum, teſte Joſepho, pro hebdomada accipitur; unde in Evangelio; *Jejunabo bis in Sabbatho*, dieſque, qnibus hebdomadà conſtituitur, *prima, ſecunda, tertia &c. Sabbathi* dicuntur; Ità accipiendum eſſe Sectanum noſtrum minimè dubito, nàm non de unico ſeptimanæ die, ſed de tota ipſa ſeptimana clarè loquitur.

38. *Sed multum præſtabit &c.* Tranſit ad aliud genus Hypocriſis, quæ literaria dici poteſt: Hac etiam ſimplicibus illudere docet. Primoque ſuadet, ut ſervetur quædam certa, ſpecioſa, & artificioſa loquendi regula, & methodus: ſpondens indè facillimè plurimum gloriæ, famaque rectè ſervanti obventurum.

39. *Arte loqui &c.* Artem pro artificio, fraude, atque aſtutia,

40. *Hæc fallit, pulchrèque imponit. Grandia ſemper,*
Atque ignota aliis coram recitentur; Achivos
Scriptores paſſim mirari, & promere fas ſit,
Verbaque fallaci reſonent Gortynia labro:
Nec

NOTÆ.

tia, quà alios fallere poſſit, poſuit ex imitatione Virg. 2. Æneid. ubi de Sinone.

Dolis inſtructus, et arte Pelaſgâ.

Quem ſecutus videtur S. Auguſt. lib. 3. contr. Academ. *O utinam vincatur, nunquam efficiet, quamvis arte Pelaſgô, ut ſimul à me victus, victorque diſcedat.* Ars hæc dicta Silio lib. 4. calliditas, & aſtus. En verba

Calliditas Graja, atque aſtus potentior armis.

40. *Pulchrèque imponit &c.* Ideſt plurimum decipit; In hoc ſenſu Cic. ad Quin. Frat. l. 2. *Cui egregiè impoſuit Milo noſter.*

40. *Grandia ſemper &c.* Duo requirit ad hanc fraudem exercendam, videlicet, ut vel grandia, aut ignota dicantur. De grandibus inferius notat: nunc de ignotis.

41. *Aliis coram &c.* Certe non intelligentibus, ſed verborum novitate perculſis, ac aliquod eis ineſſe veluti ſacroſanctum myſterium cenſentibus.

41. *Achivos &c.* Verba hæc ex Græco fonte hauriantur, ſed prævia ipſorum Græcorum Authorum laude, quaſi in iis tantùm omnium ſcientiarum promptuarium agnoſcere fas ſit, nec apud Latinos (quia facillimè eorum ſenſus, & verba intelligi poſſunt) ſit aliquod, quod ad veram ſapientiam aſſequendam juvet.

43. *Verbaque fallaci &c.* Quidquid loqui contigerit ſolis Græcis verbis ad fallendos adſtantes pronuncietur.

43. *Gortynia &c.* Ideſt Græca: Gortynia etenim Urbs in Inſula Creta ex Plin. lib. 12. cap. 1., ibique iuxtà fontem inſignis Platanus, ſub qua fabulati ſunt Jovem cum Europa concubuiſſe.

44. Nec.

Nec niſi cum Kappis, fidiſque pugillar Jotis
Signatum, officii moneat labentis, & horæ.

Il-

NOTÆ.

44. *Nec niſi &c.* Nec tantùm Græcis vocabulis utendum eſt inter loquendum; ſed ſi quid memoriæ mandandum, ſcribendumve, totum Kappis, Jotis, aliiſque ſimilibus literis in pupillari inſcribatur.

44. *Pugillar &c.* Itali dicunt *Libro di ricordi*: Veterum autem pugillaria fuere ex tabellis cereis, vel ligneis, vel alterius materiæ, in quibus ſtylo ſcribebatur: Ità dicta, quod pugno comprehenderentur, vel à pungendo, quod ſtylo in his pungendo ſcriberetur. Forum antiquitatem refert Plinius lib. 13. cap. 11., dicens: *Pugillarium uſum fuiſſe etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum*. Fuiſſe quoque Citrea, eburnea, membranacea, ideſt, ex citro, ebore, & membranis confecta, quin & duplicia, triplicia, quintuplicia &c. colligimus ex auctoribus. Forum formam diligenter, eruditèque ſcrutatur, & profert Pignor. de ſervis; oblongà, & quadratà, eminenti quodam margine circum circà concluſa ſcribit, ac ſe vidiſſe teſtatur Romæ in veteri arca ſepulchrali hortorum Matthejorum Pugillarium meminere Ovid. lib. 1. Amor. Olegià 12., Anthelmus editus à Delrio in Octaſtichio Enigm. 1., Prudens periſteph. Hymn. de S. Caſſiano Martyr., aliique complures. In iis ſtylo, ſeu graphio ſcribebatur, de quo Satyr. 6. jàm egimus. Hodie etiam hujuſcemodi pugillarium frequens uſus, ſed nulla vidi, niſi membranacea, & eburnea, & papyracea, tabulis tamen ad maximum luxum ornatis, etiam argenteis, aureis, inſigni arte celatis, ac etiam gemmarum fulgore radiantibus conſtricta; Stylus etiam ad ſcribendum in ipſis adhibetur, ſed tantùm ſignandi gratia, quo facile ſpongia deleri poſſint litteræ, non incidendi, itàut ad litteras tollendas tabulas haſce radere oporteat.

45. *Officii moneat &c.* Inſinuat, & benè in his tabulis nil, niſi breves notas conſcribi, quo memoriæ ſuccurratur, indè addit per eas moneri, quidquid agendum ſibi quiſque proponat,

pro-

Ille etiam docti famam venabitur, herbas

Cui

NOTÆ.

propriamque eidem actioni horam connotari. Accipe autem vocem *Officii* pro opere, quod quiſque efficere debet, obſervata locorum, temporum, & perſonarum ratione; Videatur S. Ambroſ. lib. 1. Officiorum, ubi hujus vocabuli etymon, vim, ac ſignificationem plenè pandit.

46. *Ille etiam &c.* Aliam viam init, quam ad famam expiſcandam prodeſſe aſſerit, docens qualiter de rebus medicis per incognita verba, & per nova dogmata procedendum ſit. Porrò venari famam dictum eſt metaphoricè pro artificio quodam, & ſolertia quærere, ut faciunt venatores, caneſque de feris. Exemplum addo ex Cicer. ad Attic. lib. 10. *Bene igitur, qui εὐθανασίαν*, ideſt bonam & facilem mortem, *venaris, relinquis patriam:* Unde *venari gloriam, & gratiam*, quod & *aucupari* dicimus; præeunte Cic. eod. ad Lucium lib. 5. *Non vereor ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar*; Idem ſonat θηρᾶν apud Græcos; habens enim Iſocr. τὰς ἡδονὰς θηρᾶν τὰς μετὰ δόξης, *voluptates venatur laudabiles*: & Euripides, θηρᾶν ἀρετὴν, *virtutem venari*, ideſt ſectari.

46. *Herbas &c.* Ideſt, qui herbis diſtillandis ſtudet, ac de earum virtute magiſtraliter rationem reddit per voces ignotas, quæ à communi vulgi loquendi uſu abhorreant. Forſan varias eſſentias, ſaleſque, quibus Medici admirabiles effectus tribuunt, indicare voluit: Quin etiam totam diſtillandi artem comprehendit, & Chimicas operationes tangit, ſeu per ſublimationes, ſeu per purgationes, aut quid ſimile eæ perficiantur, ad normam modernæ Medicorum ſcholæ, quæ parum purgantibus medicamentis tribuit, & quædam adinvenit ſpecifica, ità vocat, quæ variam nuncupationem ſortita neſcimus quid verè ſint; Cur non inolitam quoque illam conſuetudinem, qua Pharmacopolæ ſpecioſis nominibus ſua medicamenta honeſtant, licet putida, aut vilia; puta, ſi dixerint *Aquam Angelicam, Syrupum aureum*, & ſimilia, ac etiam majora, itaut etiam planetas ipſos vaſculis incluſos jactent, præcipuèque Saturnum, Martem, Solem &c. in ſalibus, Mercurium in pillulis. Plura qui velit, adeat eorum

Autho-

Cui medicas lento diſtillat cacabus igne,
Diſcit & humanos ſcrutari callidus artus.
Virſugni ductus noſcat, fluxumque cruoris
Harvæi, quid cornea fibra, quid uveus humor,
Quodque ſalivalis fungatur glandula munus.
Sis laudator aquæ; Galeni ſcripta repone

Inter

NOTÆ.

Authores, apud quos poſt benè normam rerum, quibus hujuſcemodi medicamina componuntur, examinatam, de nominum ipſorum notione ridebis, qua miſeri ægri illuduntur, tam in his, quæ ad ſalutem ſpectant, quam reſpectu impenſæ, cui moleſtè, indebitèque ſubduntur; Nomina etenim pluris veneunt, quam pharmaca ipſa.

47. *Cacabus &c.* Vas ahenum, quo pulmentarium coquebatur ex Plin. lib.23.cap.6. Hoc tamen loco ſumendus, vel pro vaſe illo ad diſtillationes faciendas aptiſſimo, quod Italico idiomate appellatur *Tamburlano*, ac pariter æneum eſt, vel pro quocumque alio ſive plumbeo, ſeu argillaceo, ſeu tandem vitreo ad idem opus parato.

48. *Diſcit et humanos &c.* Anatomiæ corporis humani ſtudia ſequitur, qua non tantum quorumcumque membrorum ſtructura, ſed partium connexio, & operatio dignoſcitur; ut ex hac peritia noſcat ſaltem quid balbutire de ſanguinis circulatione, de ductibus virſugni, de cornea fibra, de humore uveo, ac de glandula ſalivari, aliiſque, quæ ad hanc artem pertinent.

52. *Sis laudator aquæ &c.* Ut fit ex modernorum Medicorum inſtituto, qui ægrotis frigidam, quantum ſitiunt, libenter largiuntur, putantes plurimum valere ad reſtinguendum ardorem febrilem. Ridendi tamen ii, qui eam pari laxitate in omnibus febribus etiam putridis porrigunt, atque eam pharmacum univerſale in omnibus ægritudinibus faciunt.

52. *Galeni ſcripta &c.* Inducta novæ medicinæ methodo vetus Galenica praxis penè evanuit; Nomen celeberrimi viri tantum veluti informe phantaſma remanet, authoritas, & doctri-

ctrina parvi penditur, ejuſque libri, vel non amplius noſcuntur, vel inter rancidula vetuſtatis monumenta enumerabuntur; Hunc celeberrimum medicum Pergamo Aſiæ Urbe ortum, à temporibus Trajani uſque ad Antonini Pii tempora floruiſſe memorant Hiſtorici. Ejus famam commendant ſcripta plurima, quæ reliquit, ad rem medicam ſpectantia; Artis hujuſcemodi magiſter, teſte Avicenna, ſemper habitus; Hodierni Medici & ſi id fateantur, ut invidiam declinent, dum fingunt ſe ab eo diſcedere in his, quæ noviter agnita ſunt, ab eo turpiter abhorrent, aut ad minus falſa interpretatione, ut ſibi faveant, in propriam ſententiam ducunt. Tradunt Græci in facultate ad centum quinquaginta volumina eum edidiſſe; ex quibus pauci ſuprà ſeptuaginta ſuperſunt. Fertur hujus inſignis Medici celeberrima illa ſententia: *Scientia in inſenſato non prodeſt; nec ei, qui non utitur, prodeſt ſenſus*. Deque eo narratur, quod Romanum Cœlum inconſtantiæ maximè accuſaverit. Medicinam diverſimodè apud veteres acceptam ſcimus, experientia docuit plurimum honoris ei tribuendum; eademque deſpicabilem, & exulem fecit; Hanc ex agnita herbarum virtute prognatam, & quodammodo ipſam natura rerum faciente, ſpe lucri, & ex hominum fraudibus, relictis quæ facilè inveniri, & parari poterant, ac ſine impendio, in officinas tranſtulit avaritia, *in quibus*, ut ait Plin. lib. 24. cap. 1., *ſua cuique homini venalis promittitur vita*; factumque etiam *nullam artium hac inconſtantiorem fuiſſe, ac etiam nunc ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla. Medicos*, inquit etiam, *famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negociari: Hinc illas circà ægros miſeras ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius; Hinc illam infelicis monumenti inſcriptionem, turba ſe Medicorum periiſſe*; nam hi *diſcunt periculis noſtris, & experimenta peragunt; Medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt, nulla ſiquidem lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ*. Medicos jam per plurimam annorum ſeriem expertos Romani ab Urbe expulere, ac per ſexcentos annos exilium hoc paſſi ſunt, non tamen expulſa medicina. Græcos artem hanc exercuiſſe palàm eſt, non verò *Romana gravitas* (ſunt verba Plinii) *in tanto fructu, pauciſſimi Quiritium attigere, et ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ. Imò verò autoritas aliter.* (hæc libentiſſimè refero, ut Philodemum palpem)

quam

Inter rancidulos ſcurrà dictante libellos ,
Iratus quamvis fugiat te Pharmacopola ,
Et

Notæ.

quam Græcè eam tractantibus , etiam apud imperitos , expertesque linguæ non eſt . Ac minus credunt , quæ ad ſalutem ſuam pertinent, ſi intelligunt : Unde oſtentatio artis , ac portentoſa ſcientiæ venditatio manifeſta eſt . Ac ne ipſi quidem illa novere . Cæterum alibi idem Author medicinæ , Medicorumque precium , & laudes extollit , inventam à Diis , ab Oraculis petitam depredicat , priſcorumque Medicorum diligentiam elevans , plurimorum illuſtrium virorum peritiam deprædicat , ob quam plurimis honoribus decorati ſunt , recenſetque lib. 7. cap. 37. Hippocratem , qui *venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixit , & diſcipulos ad auxiliandum circà Urbem dimiſit : quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia .* Minimè pro coronide hujus notæ omittam apud Hebræos primum, inde apud Romanos medicinæ artem , & ſcientiam reſediſſe in ſervis : De illis habet Sacra Scriptura , ubi de Jacob ægrotante dicitur , quod induxit ſervum ſuum medicum ; De Romanis Sueton. in Neron. cap. 4. , & Senec. lib. 3. de Benef. cap. 24. , qui Domitium Corfinio incluſum à Servo prius , quam à Cœſare ſervatum ſcribunt . Clariſſimè Paulus Oroſius lib. 3. cap. 3. , *adeò dira Romanos fames conſecuta eſt , ut Cæſar Laniſtarum familias , omneſque peregrinos , ſervorum quoque maximas copias , exceptis medicis , & præceptoribus , trudi Urbe præceperit .* Vidit ſub tali conditione natos ſuos Medicos vetus Romana Reſpublica; videt noſtra Roma ſuos , ſi non genere , & ſorte , certe animo ſervos , & ambitionis , auri , inordinatorum quorumquam affectuum famulatui addictos ; proptereàque commodè nuncupatos *Medici Cortigiani* ; Quippè qui, ut auram nobilium aucupentur, non ægroti amplius ſanitatem procurant , ſed genio indulgent , & domeſticorum placitis adulantur.

54. *Iratus quamvis &c.* Ex eo quia ſecundum hodiernam medendi praxim , quæ ut plurimum fit ſolis ſimplicibus , aqua , victus moderatione , atque cervino cornu , oculiſque cancrorum ,

55. *Et Nattæ ignavum calamo qui ſuſcitat inguen.*
Nec pigeat terras, vaſtique ſinum Ennoſigai
Flu-

NOTÆ.

rum, ſimilibuſque, quæ appellantur à vulgò, *dolcificanti, et alcalici*, expulſis compoſitis medicaminibus, minimum lucrum ei obveniat.

55. *Et Nattæ &c.* De Nattæ impotentia ad coeundum dictum eſt alibi, ſicut & de judicio, atque acerrima controverſia circà ejuſdem frigiditatem. Favit ei tamen Medicus Romæ non incelebris, eumque adeò propriis ſcriptis juvit, ut adhuc quæſtio ſub Judice ſit. Idcircò benè Sectanus noſter dixit ſuſcitaſſe inguen ignavum calamo, & ſi reverà jaceat, nec connubiali miniſterio ullo modo ſerviat. Medicum porrò hunc novę Medicorum praxi minime unquam adhærere voluiſſe conſtat, eamque tanquam generis humani peſtem ſæpius vocitaſſe; unde inter aquæ ſores enumeratur; & cæteros Medicos, qui nequaquam Galeno toti adhærent, execratur, & inter artis medicæ hæreticos recenſet.

56. *Nec pigeat &c.* Jam ad Coſmographiam, quæ complectitur totius Mundi deſcriptionem, regiones videlicet, Cœleſtem, & Elementarem, quarum prima continet Cœlos, Aſtra, atque Planetas; Secunda autem Terram, Aquam, Aerem, & Ignem, quibus Elementorum nomen inditum fuit. Sub hac agnoſce Geographiam, ſub illa Aſtronomiam contemplare deſignatas. Geographiam porrò ſubdiviſere, in Corographiam, qua Provinciæ, puta Hiſpania, Italia, Gallia &c., & in Topographiam, qua loca particularia, ut Urbes, portus, ſinus, flumina, montes &c. deſcribuntur; necnon ei junxere Hydrographiam, qua mare diſtinguitur. Quod ad alteram Coſmographiæ partem, Aſtronomiam ſcilicet, ſpectat; non ſolum leges, & curſus Aſtrorum conſideravere, ſed artificiali Sphera propoſita Cœlos in varios, pluresque circulos diviſerunt, quibus facilè explicaretur globorum Cœleſtium motus, ac totius Orbis ſitus: Nam miſſis, quæ ſimpliciter ad Aſtronomos ſpectant, illud ex ea aſſecuti ſunt Geographi, ut æquis

t men-

Fluminaque, & toto metiri ſidera Cœlo.

Nul-

NOTÆ.

menſuris terram diſpertirent per 360. gradus, tam latitudinis ab Auſtro ad Boream, quam longitudinis ab Occidente in Orientem. Ex his gradibus rectè diſpoſitis loca menſurantur, nam ſi longitudinem perquiſieris, Æquinoctiales incipiendo à primo Meridiano, ſi latitudinem, Meridiani gradus ab Æquinoctiali numerandi ſunt, juvantibus maximè paralellis, qui à decimo ad decimum gradum uſq; ad numerum præfinitum 360. diſponuntur in Globis, atque Tabulis.

56. *Vaſtique ſinum &c.* Hæc ſcientia propriè, ut diximus, ad Hydrographiam refertur, ſed ſub Geographia continetur, utpotè quæ totum Globum terraqueum contempletur.

56. *Ennoſiggi &c.* Græcam dictionem Latinam fecit; nam Ἐννοσιγαῖος, *Ennoſigæus* epitheton Neptuni fuit ab ἔνοσις concurſio, & γαῖα terram, quod ſcilicet, terram, quatiat, & propter terræmotum, qui fit ab aquis. Uſus hac voce Homerus Iliad. 5. inquiens: ἀλλὰ Ποσειδάων γαιήοχος ἐννοσίγαιος; ideſt, ut habet ejus Scholiaſtes: ἐννοσίχθων, καὶ κινῶν τὴν γῆν; quod ſit *quaſſator*, et *concuſſor terræ*. Vide Interpr. Pompon. Melæ, & Agellium lib. 2. cap. 28. Favet Virgil. lib. 2. verſ. 608., ubi de Neptuno,

> *Hic ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis*
> *Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum:*
> *Neptunus muros, magnoque emota tridenti*
> *Fundamenta quatit, totamque à ſedibus Urbem*
> *Eruit.*

Ponit autem Neptunum pro ipſo mari, cujus dictus fuit Deus, præeunte Varrone. *Neptunus eſt Deus Maris, vel ipſum mare, quod terras nubat, ideſt, cooperiat.*

57. *Et toto metiri &c.* Vide quæ dixi num. 56. ad verb. *Nec pigeat &c.* Poteſt enim locus hic ad Aſtronomiam ſimpliciter referri, ſed melius, ut puto, ad Geographiam, quatenus terra menſuratur per circulos, gradus, & zonas &c.

58. *Nul-*

Nullaque fatalis ſerpat tibi cauda Cometæ,
Quam non deprendas ſubitò, curſumque ſequaris.
Momenti exigui res eſt, dum ſplendidus adſit
Circi-

Notæ.

58. *Nullaque fatalis &c.* Etiam ſuos vult Philodemus Aſtrologos eſſe: Ad Cometæ curſum obſervandum eos advocat, & ad eff:ctus, qui ab ea portendantur; indagandos ſuadet, ſaltem ſimulata hujus ſcientiæ peritia, ex qua maximum iis honorem, ac famam apud populos ſibi conciliaturos profitetur; quippè, cum non ſolum in plebis, ſed cujuſcumque penè honeſti hominis mente ſit per Cometarum apparitiones maxima infortunia, rerumque viciſſitudines ſignificari, indè ii, qui Aſtrologiam profitentur, ſe in magno pretio futuros putant, ſi caſu aliquid divinent, quod eventurum Aſtro dictante ſimulant. Malorum ii dices eſſet etiam veteres cenſuere; Hinc Lucan. lib. 1.

Terris minitantem regna Cometem.

Virgil. 1. Georg. verſ. 488.

Nec diri toties arſere Cometæ.

Silius lib. 4.

Regnorum everſor rubuit lethale Cometes.

Tibul. lib. 2. eleg. 5.

Belli mala ſigna Cometem.

Sueton. in Neron. cap. 36. *Stella crinita ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgò putatur*: &, ut plurimos in re vulgatiſſima mittam, Dio in Veſpaſ. *His, qui de Comete neſcio quid inter ſe colloquebantur*, ait: *non mihi, ſed Parthorum Regi mortem portendit; ille comatus eſt, ego calvus*: ἐκεῖνος γὰρ κομᾷ, ἐγὼ δὲ φαλακρός εἰμι.

60. *Momenti &c.* Ideſt: Faciliimum eſt hoc fingere, nec aliquo ſtudio indiget.

60. *Dum ſplendidus &c.* Duo ad captandam famam optimi Aſtrologi neceſſaria ſupponit; circinum ſplendidum, & dioptram tigillo ſuſpenſam, atque libratam: Crederem dicere voluiſſe ſatis eſſe ad illudendos credulos, & ad doctrinæ hujuſcemodi oſtentationem magnum inſtrumentorum mathematicorum

 appa-

Circinus, & vigili ſuſpenſa dioptra tigillo:
Nec multum referet, toto ſi dormiat anno
Æneus in thecâ, & ruſus rubigine quadrans.
Nam

NOTÆ.

apparatum, etiam ſi minimus eorum uſus ſit, & penitus ignoretur, cui rei deſerviant. Siſtit ſe tamen in circino, & in dioptra; nam ille, ſeu lineas menſurare placeat, ſeu in circulum ducere, facile ad opus aptatur; hæc haud ægrè oculis cujuſcumque proponitur.

61. *Circinus &c.* Inſtrumentum eſſe innuit Plinius lib. 2. cap. 15., quo circuli vertendo deſignantur, nec tamen ſolus ejus hic uſus, nam & diſtantiæ commenſurantur. Vitruvius, inquit inſtrumentum eſſe tectonices, figuram dat ut *Lambda*, proponit ejus uſum eſſe, quo aliquid circinatur, ideſt in circinum, orbemque fabricatur, & rotundatur.

61. *Dioptra &c.* In operationibus Mathematicis plurimus dioptræ uſus eſt: nam Geometræ ex intervallo per eam propugnaculorum, turriumque altitudinem, dimenſioneſque explorant. Item librandis aquis accomodatur, *ἀπὸ τοῦ διοπτεύειν*, ideſt, *ſpeculando, explorandoque* dictum. Ità Vitruv. lib. 8. cap. de perduct. & librat. aquar., quod & ex Pandectis confirmatur: ubi fit mentio dioptræ, machinæ hauſtoriæ, dicatæ librationibus aquarum. Utuntur & Aſtronomi ad contemplandos motus, & diſtantias Aſtrorum.

61. *Vigili ſuſpenſa &c.* Ideſt mobili, ut facilè iſtrumentum hoc circumagatur, ubi opus exigit.

62. *Nec multum referet &c.* Dum ſic agatur, nil refert, an hæc omnia ocioſa ſemper maneant; Eorum apparatus ſufficit, ut de cujuſque doctrina plenè præſumatur.

62. *Toto ſi dormiat &c.* Tranſlatè ad rem, quæ ſenſu caret; eleganterque hac voce utimur, quando otium ex non uſu ejuſdem rei placet ſignificare.

63. *Æneus in theca &c.* Quadrans etiam inſtrumentum ad Mathematicam, & ad Aſtronomiam pertinens, quod, ut plurimum, vel ære, vel potius, & communius ex orichalco.

Quæ-

Nam quota pars hominum, cum dixeris Hexago-
non

65. *Puncta, Superficiem, Conon, Tetraedra, Scalenon,*
Non ſilet, & frontis criſpatur ruga ſenilis?

Eſt

NOTÆ.

Quadrans Geometricus nuncupatur, quia per ipſum ad rectam perducimur cognitionem, quo exquiſitè valeamus longitudines, latitudines, & profunditates agnoſcere.

63. *Roſuſque rubigine &c.* Impropriè, & tranſlatè dictum puta; nam rubigo eſt ferri, chalybiſque vitium, aridum, & rubrum, quod eum palatim erodit; non verò æris, & orichalci, quę diverſo à ferro vitio laborant, eodemque viridi, non rubro. In utroque tamen id evenit, cum uſu aſſiduo manibus non atteruntur.

64. *Nam quota &c.* Quam magni, quam celebres, & immortali laude digni eritis, cum loqui hæc vulgo ignota diſcetis, atque acta pronunciabitis; Quantaque hominum turba in admirationem rapietur.

64. *Hexagonon &c.* Quod latinè ſonat *ſexangulum*.

65. *Puncta &c.* Punctum minima,individuaque lineæ pars, nullam neque longitudinem, neque latitudinem, neque profunditatem habens.

65. *Superficiem &c.* Ideſt ſuperiorem partem cujuſcumque rei, & faciem, quæ eſterius oculis cernitur, non habentem profunditatem, ſed tantum longitudinem, & latitudinem.

65. *Conon &c.* Angulum videlicet turbinatum ad inſtar metæ, ſeu pyramidis.

65. *Tetraedra &c.* Ex quatuor pedum, ſeu digitorum, aut ſimilium menſura conſtans.

65. *Scalenon &c.* Figuram Geometricam inſtar ſcalæ, figura triangula, cujus latera inter ſe omninò ſunt inæqualia.

66. *Non ſilet &c.* In veſtras laudes effunditur, celeberrimumque nomen undique propagat, velut maximorum heroum, ac in republica literaria facilè principum.

 66. *Et*

Eſt & perſpicuus fucus, quo credula vulgi
Lumi-

NOTÆ.

66. *Et frontis &c.* Signum admirantis, nam quoties aliquid nobis admirari contingit, ſubſiſtimus, & frontem criſpamus, & in rugas contrahimus.

66. *Senilis &c.* Ideſt virtutum inſigni prudentia præditorum, prout ea ſupponitur in ſenibus: Id expreſsè habemus ex Cic. de Divin. *Is Tages puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia:* & pro Sexto *Te Poſthumius adoleſcens gravis ſenili judicio notavit:* Ubi vides ſenectutem ſemper prudentiæ, & judicio coniungi, opponique pueritiæ, & adoleſcentiæ; Unde ad rem Ariſt. 7. Polit. *Potentia eſt in junioribus, prudentia vero in ſenioribus;* Cum etenim *cætera omnia* (ſunt verba Plutarch. lib. de educat.) *tempore diminuantur, ſcientia ſenectute augeſcit.*

67. *Eſt & perſpicuus &c.* Ad ulteriora documenta procedit, novamque fallendi homines viam ſternit, videlicet, antiquitatis eruditæ ſtudium, ſeu potius ſtudii quamdam tenuiſſimam umbram proponendo.

67. *Fucus &c.* Medicamen, quo mulieres faciem pingunt, ut candorem, & ruborem inducant, aut ut vitia corporis occultent. Plaut. in Moſtel.

Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi ſe ſudor cum unguentis conſociavit, illicò
Itidem olent, quaſi cum unà multa jura confundit cocus:
Quid oleas neſcias, niſi id unum, ut malè olere intelligas.

Et Tibullus;

Quid fuco ſplendente comas ornare, quid ungues
Artifices docta ſubſecuiſſe manu.

Indè per tranſlationem fucus ſumitur pro fraude, aſtutia &c., in quibus veritas occultatur; itàut fucum facere idem ſit, quod decipere, ut diſcimus ex Cicer de Pet. Conſul. *Jam illud teneto diligenter, ſi eum, qui tibi promiſerit, fucum, ut dicitur, facere velle ſenſeris, ut te id audiſſe, et ſcire diſſimules.* Simile

fuit

Lumina decipias; Minimum conſtabit. Oportet
Aure-

Notæ.

fuit illud *os alicui ſublinere*, quo uſus eſt Plaut. in Epidic. in princ. Arg., ubi habet:

Mox compreſſæ, ac militis
Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum.

Ideſt arte illuſum & deceptum ſentit; Idem alibi in Capt. act. 3. ſcen. 4.

Jam mihi ſolidum ſurſum vorſum os ſublevere offuciis.

Q. od & Græcis uſitatum, inquiunt enim ὑπαλεῖφειν στόμα, *os ſublinere*; eſtque in adagiis apud Eraſm.. Tractum cenſet Nonius à ridiculo quodam luſus genere, quo dormientibus, aut alioquin imprudentibus ora pingebantur, ex quo more explicat illud Virgil. Eclog. 6.

Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.

Idem eveniebat, ut ſimulantes faciem alicujus linere ad decorem, uti mos fuit, precipuè mulieribus, ac etiam effœminatis viris, contrà, & ſecus quam erat conſuetudo, os illi ridiculis picturis deturpabant aliis irridendos. Confirmat hanc ſententiam Douza in Præcid. ad Arbit. lib. 1. 10., & refert turpiculas puellas potiſſimum hoc contumeliæ genere à procaci juventute affectas; fortaſsè ut hac quaſi cenſione monitæ, deformitatis ſuæ in memoriam revocarentur. Alteruter ſenſus huic loco commodus, habetque ſuos Authores, ſuamque perſpicuitatem.

67. *Quo credula vulgi &c.* Qui, quæ eruditis hominibus notiſſima ſunt, & facilè comparari poſſunt, maximè admiratur, quia ei nova, & incognita.

68. *Minimum conſtabit &c.* Modico etiam labore perdiſcetur, nec plurimum in hac ſcientia acquirenda inſudandum.

68. *Oportet &c.* Quid igitur agendum? aliquas Imperatorum, clarorumque virorum icones, quæ in Nummiſmatibus repræſentantur, ità agnoſcere, ut primo intuitu qualis ille ſit, qui ſigillatim exhibetur, referamus promptè, & ſine haſitatione. Regulas porrò quaſdam tradit, quibus ii, qui videri

Aurelj primum fuſam nummiſmate barbam
Noſcere, & auriculas Galbæ, naſumque Severi;
Nec te dilecti cincinnus fallat Ephœbi,

Et

NOTÆ.

volunt antiquitatis periti, ac ſtudioſi, licet non ſine, nituntur, ſervandas hac eadem ratione à Philodemicis diſcipulis.


69. *Aureli barbam &c.* Marci Aurelii imaginem barba prolixà veſtitam, non criſpam, ſed dilutam, pectuſque tangentem.

70. *Auriculas Galbæ &c.* Aures ſiquidem huic Imperatori magnæ; & prominentes fuere, ut ex ejus Nummiſmatibus patet.

70. *Naſumqae Severi &c.* Ità & Severo naſus, & ſi non enormi, tamen exquiſita magnitudine conſpicuus.

71. *Nec te dilecti &c.* Antinoum intelligit puerum, Hadriano adamatum, qui cirratus ubique effingitur, ſive in Statuis, ſive in Nummiſmatibus: Pueros cirratos incedere ſolitos alibi dixi, præſertim ſub num.66. Satyr.7., ubi & ipſius Antinoi exemplar leviter tetigi: Nunc propius ad rem: Celeberrima, Græcoque artifice ſculpta hujus pueri ſtatua ſervatur in Hortis Vaticanis, ejuſdem iconem minimè tamen afferendam puto, quia ad manus non eſt, licet totum jam pervagata ſit orbem opera laudati Dominici de Rubeis, qui eam diligenter graphio incidi curavit, ut & reliquas Urbis ſtatuas, quas raritas, ſeu operis, & artificii excellentia commendant. Minimè tamen abſtinendum puto ab inſigni Nummiſmate Muſæi Carpinei, quod primum publici juris fecit Bellorius, noviſſimè edidit Bonarrotus, tum quia plurimum conducit rectæ hujus loci intelligentiæ, & quod ſentiam, cum de Eminentiſs. Gaſpare Cardinali Carpineo agitur, me ejus amore rapi, & penè cogi ad futuro ævo mandandas, æternitatique ſacrandas ejus inſignes virtutes, & merita, ac effundi in laudes, & quidem debitas tanto viro ſcientiarum quarumcumque amantiſſimo, adeoque de literaria republica benemerente. En tibi Nummiſma,

Ex



Ex hac imagine, quales antiquorum puerorum cirri fuerint, luculenter dignoſcitur. Verum cum hæc imago, ſicut & aliæ omnes Antinoi, quæ viſuntur apud Patinum, cœteroſque, non ſit neque promiſſo capillo, neque detonſo, ſed leviter diffuſo, licet cirrato, parum convenire videtur cum loco Martial. Epigr.52. lib.2., ubi de hujuſcemodi pueris:

Molleſque flagellent
Colla comæ.

Niſi malis dicere arbitrariam fuiſſe comæ longitudinem; & quemcumque ex his pro libito, aut magis promiſſam, aut breviorem geſtaſſe: Non etenim arridet ſententia Pignorii tract. de Servis, qui cenſuit Atrienſes pueros, inter quos Antinous enumeratus fuit, minime aluiſſe comam ea prolixiorem, quam reprehesentet Antinoi effigies, ſive in ſtatuis, ſive in nummis exhibita fuerit. Huc refer calamiſtros, unde pueri calamiſtrati, de quibus Columella Præf.lib.1. *Contemptiſſimorum vitiorum officinas &c. capitum, et capillorum concinnatores non ſolum eſſe audivi, ſed ipſe vidi.* Hos Tertullianus appellat ſtructores capillaturæ: Confirmant Manilius, Juvenalis, notiſſimuſque ille Othonis galericulus apud Sueton. cap.12.. Imò & reprehendit S.Clem. lib.1. cap.4. Conſt. Apoſt. ſcribens, non licere Chriſtianis nutrire capillum, & in unum complicare, vel diſcerniculo diſcriminare, neque verò intortum calamiſtris criſpare,

Et tres inceſtas longè deprende ſorores.

Dic

NOTÆ.

pare, ideſt, acu, calamoque, vel ferreo, vel vitreo, vel alterius materiei ad hoc opus aptæ, modicè calefacto capillos in cincinnos excitare; de quo more legendus Virgil. 12. Æneid., Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 4., Juvenal. Sat. 6., & Iſidor. lib. 10., & 20. Orig. Habuere porrò hæc luxuriæ fomenta ſuos magiſtros: Ciniflones, & Cinerarios vocavit Acron. lib. 1. Satyr. 2. *Ciniflones, et Cinerarii, eadem ſignificatione apud veteres habebantur ab officio calamiſtrorum; ideſt, veruum in cinere calefaciendorum, quibus Matronæ capillos criſpabant.* Cui conſentiunt quoad primam hujus nomenclaturæ partem Varro lib. 4. de L. L., & Senec. in ſap. non cad. injur. cap. 14.; Quoad ſecundam Horatius. Si noſtra tempora perpendamus, ac cum veteribus conciliare placeat, luxum, vanitatemque iſtam cum Clemente I. Rom. Pontif. reprehendendam arbitramur, in quibuſdam, qui ſe vocant Abbatulos, ſive falſo, ſive verè nomen hoc eis debeatur, qui calamiſtrati, cirratique incedentes, & muliebrem potius mollitiem, quam virile decus oſtentare ſatagentes, ſe viliſſima Vanitatis mancipia exhibent.

72. *Et tres inceſtas &c.* Videlicet Caligulæ Nummiſma, in quo ipſius caput, ſororumque ſuarum imagines, quas infami inceſtu fœdavit. Rem narrat Suetonius in ejus vita cap. 24. *Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit &c. Ex his Druſillam vitiaſſe Virginem, prætextatus adhuc creditur: atque etiam in concubitu ejus quondam deprehenſus ab avia Antonia, apud quam ſimul educabantur. Mox Lucio Caſſio Longino conſulari collocatam abduxit, et in modum juſtæ uxoris propalam habuit &c. Reliquas ſorores, nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit &c.* Habes crimen, & crimini dignitatem tributam, ſub turpi matrimonii contractu publice propoſitam. Hinc lux rariſſimo ac ſingulari Nummiſmati celebratiſſimæ dactylothecæ Petri Cardinalis Otthoboni, cujus Eminentiſſimi per omnia Viri laudes, licet meritis, ac virtutibus ſuis impares, delibavimus, ſed nunc conſultò omninò prætermittimus; quod adhuc meritò timeamus, ne ſatis æquis encomiis eum proſequi ſinat ejus mo-

deſtia,

deſtia, ſi quando ejus inſignia geſta, illuſtrem indolem, latè diffuſam, probatamque, etiam apud exteros magnanimitatem, prudentiam, reliquaſque perſpicuas animi dotes digna panegiri promeremus. Jam igitur ipſum Nummiſma proponamus, in cujus anteriori parte impuriſſimi Imperatoris caput laureatum viſitur cum inſcriptione: C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PONT. TR. POT.; exadverſa autem tres Sorores poſitæ, cum additione nominum earumdem, ac reſpectu Druſillæ cum tit. *Divæ*, quo fit ut credamus poſt ejus mortem, ac Apotheoſim fuiſſe percuſſum. Sed jam illud amantiſſimi Lectoris obtutui exponimus.



Huic addimus ex Muſæo Strozzio aliud aureum exquiſitæ notę, quod ſervatur penes digniſſimum Romanæ Curiæ Prælatum Leonem Strozzium, cujus inſigne opus de re Lapidaria, utinam publico Reipublicæ literariæ beneficio tandem prodeat in lucem; ſicut & reliqua, quæ vetuſtatis eruditæ amantiſſimus aſſiduo ſtudio paravit, multiplicique doctrina decorare ſategit: Quandoquidem hoc ipſum Nummiſma habet à fronte ipſius Caligulæ, ac amatiſſimæ Druſillæ effigiem, poſtica autem parte reliquas duas ſorores, ſi non pari amore proſecutas, certè pari libidine contaminatas: Oculis ſubiicio Numiſmatis ipſius imaginem, illuſtre quidem antiquitatis, turpe tamen Principis monumentum.



Sanè eo inſaniæ proceſſit monſtrum hoc, ut Druſillam æger bonorum, & Imperii hæredem conſtituerit: ea defunctâ plus æquo doluit, & publicum luctum indixit; Coluit uti Deam, juſſitque Senatum, ac populum ei majores honores tribuere, quam Liviæ, ac Divo Auguſto. Nunquam per aliud Numen juravit, nec alios jurare permiſit, quam per Druſillæ nomen; Ludos, feſtaque ei conſecravit, ſtatuas, & templa erexit; Forſan ſub Deæ Concordiæ imagine eam veneratus eſt, reliquaſque ſorores ſub Conſtantiæ, & Fortunæ iconibus repreſentatas ſpeciali quodam cultu proſecutus etiam fuit; Videmus apud Angelonum ſub num. 3. ſequens Caligulæ Nummiſma, ſed hauſimus, delineandumque debita fide, ac diligentia curavimus ex eo, quod novimus ſervari in Theſauro ſuprà cit. Otthoboniano, ac iterum typis noſtris mandamus.



Habes ex eo inſcriptas Agrippinam, Druſillam, & Juliam, quæ

Dic quoties Conſul fuerit Trajanus , & ova
Sint

NOTÆ.

quæ & Livilla nuncupata fuit: In prima agnoſcis Deam Conſtantiam ex Cornucopia, & ex Columna, cui innititur: In ſecunda Deam Concordiam ex eodem Cornucopia, & ex patera, quam geſtat in dextra. In tertia tandem Fortunam ex ſimili Cornucopia, & ex temone, quem manu ſuſtinet. Sed de his ſatis.

73. *Dic quoties &c.* Trajanus genere Hiſpanus Nervæ per adoptionem filius, decimus quartus Romanorum Imperator Olympiade 219., Chriſti autem 100. anno electus fuit Imperator, Imperiumque tenuit annis decem & novem, menſibuſque ſex. Ante ſuam aſſumptionem ad Romani Imperii faſtigium bis Conſul fuit; tertium atem iniit Conſulatum anno itidem Imperii tertio, anno ſiquidem præcedente recuſaverat, unde Plin. in Panegyr. laudat ejus moderationem, *cum tamen ab aliis Principibus* (ſunt verba Baronii ad ann. 101.) *tanta aviditate ambiretur, ut illum plerique deſtinatum aliis in ſe transferrent*; nam mos ille invaluerat, ut novi Imperatores proximis poſt Imperii auſpicia Kalendis Januarii Conſulatum adirent; idque ab uſque Cajo ſervatum fuit: Quippè Conſulatus inſulas non ſolum fortunæ ſuę congruere, ſed nomini quoque Auguſto (ut Valentinianus loquitur in Novella ad Sporatium) decus addere exiſtimarent. Quarè cum cęteras dignitates infrà ſe ducerent, hanc tamen aſſumere conſueverant, & (ut ait Claudian. in Stilic. 2.) ea ſe decorari fatebantur. Hęc penè ad literam hauſi ęx Baron. & ejus Epithome per Spondanum digeſto; eiſque gratias, debiti hjuſcemodi confeſſionē, perſolvo: Cęterum quod attinet ad Trajani Conſulatus, tertium, ut dixi, iniit anno ejus Imperii tertio, quartum quarto, quintum ſeſto, ſextum decimoquarto; ad alia pergo.

73. *Et ova &c.* Notiſſima fabula eſt Caſtorem, & Pollucem à Leda genitos ex Jove in cygnum converſo. Ferunt autem Mythologi ex hoc congreſſu Ledam duo ova peperiſſe, ex quorum altero nati ſunt Pollux, & Helena, & altero Caſtor, & Clytęmneſtra. Ad horum imaginem ova poſtea con-
fecta

Sint tibi nota fratrum, vitataque meta quadrigis.
75. *Præterea olfacias ollas, atque apta bibendis*
La-

NOTÆ.

ſecta ſunt, metiſque in Circo ſuperpoſita in fratrum memoriam, qui primi equis deſultoribus Circenſes ludos egerunt, quemadmodùm habet Tertullianus. Ova hæc ab initio lignea; Claudius verò, ſaltem in Circo Maximo, marmorea extruenda curavit teſte Suet. in Claud. cap.21.

74. *Vitataque meta &c.* Strues, ſeu congeries in acutum tendens, ſeu turbo inverſus, ità dicta, quod eſſet poſita in dimenſo ſpatio, vel quia eam metirentur quadrigæ circumcurrentes: Hæ in quolibet circo Romæ aſpiciebantur, & in ternum apicem deſinebant, ut obſervant Caſſiod.,& Var.lib.3. epiſt.51.

74. *Quadrigis &c.* Moris erat apud veteres Quadrigarum curſu ſepties metas luſtrare docente Propert. lib.2. Eleg.

Aut prius infecto depoſcit prœmia curſu,
Septima quam metam triverat ante via.

Cum enim jàm carceribus emiſſę ad metam veniſſent quadrigæ, erat opus, ut circum ipſam flecterentur; Rectè igitur noſter Author vitatam metam poſuit, nàm quadrigæ circumcurſantes, minimè eam tangere debent, ſed liberè curſum proſequi ad certaminis victoriam.

75. *Præterea olfacias &c.* Ideſt, ſubodores, & aliquam, licet tenuem, agnitionem excipias.

75. *Ollas &c.* Urnulas ſepulchrales, quæ recipiendis cadaverum cineribus apud Romanos in uſu erant: Hæ ut plurimum fictiles, & argillaceæ, nobilium lapideæ, ut experientia docet, & vetera earum fragmenta dilucidè oſtendunt. Luxus autem etiam harum reſpectu crevit, aſſerentibus Eutrop. lib.8., & Dione exuſtos corporis cineres Trajani Romam perlatos, & ſub ejus columna poſitos, oſſa tamen intrà Urnam auream translata eſſe, ſolumque, primumque omnium intrà Urbem ſepultum, quod lege duodecim Tabularum vetitum erat, prout aſſerit Cic. lib.2. de leg. Ollas has aliquandò cum titulo poſitas inſinuat vetus inſcriptio apud Gruter. pag.865., quæ ità habet.
CLA-

CLAVDIA APRO
V. A. XXV.
L. ANTONIVS . POTHVS
OLLAM . CVM . TITVLO . BENE
MERENTI

Imò & publico, ſolemnique decreto datas diſcitur ex alio lapide apud eumdem pag.997. num.9.

TIB. SOSAE
VICTORINAE
LIB. . CVI
EX . DECRETO
DECVRR.
OLLA . PVBLICE
DATA . EST

Adde etiam in ſepulchris conſecratas, prout legitur apud eumdem pag.867. num.5.

HAEC . AEDIFICIA . PROPRIA .
COMPARATA . FACTA .
DICATAQVE . SVNT . MONVMENTI .
SIVE . SEPVLCHRVM . EST . ET .
OLLARVM . QVE . IN . HIS . AEDIFICIIS .
INSVNT . ET . CONSECRATAE . SVNT .
RELIGIONISQ. EARVM . CAVSA . A .
C. COMMINIO . SYMPHORO
ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQ.
POSTERIS . EORVM


Atque hæc conſecratio ea videtur eſſe, quæ fiebat Diis Manibus, quibus cura ſepulchorum demandata cenſebatur, ex qua ratione horum ſepulchralium epigrammatum illud frequens initium

Lachrymulis criſtalla piis; Maneſque Latinos

Ve-

NOTÆ.

tium DIIS MANIBVS, aut aliquod huic conſonum, & conveniens. Ollæ autem hujuſcemodi paſſim obviæ è vetuſtis monumentis erutæ; raræ tamen inſcriptæ; ex his apud ſæpè laudatum Gruterum pag. 963. 1. unicam videre eſt: Ab eo mutuavi, tum quia formam, cum quia inſcriptionis rationem ex ea agnoſcere liceat, & unico obtutu contemplari.



75. *Atque apta bibendis &c.* Lachrymatoriæ videlicet ampullæ, quæ frequenter in veterum Romanorum ſepulchris reperiuntur.

76. *Lachrymulis &c.* Flere ſuper mortuos gentium omnium conſuetudo ſemper fuit; Ipſa Sacra Scriptura plurimis ſcatet exemplis, à quibus recenſendis, quia obvia, & notiſſima abſtineo. Idem mos apud Romanos invaluit; teſtantur Authores, veterum ſepulchrorum inſcriptiones, plurimaque vetuſtatis monumenta. Indè illa apud Gruterum leguntur frequentiſſimè verba: PARENTES INFELICISSIMI · PATER NATVS MISER. HVNC ANTE MORS ADSEQVITVR, QVAM TRISTES LACRIMAE DESERVERINT. AE-

TER-

TERNO DOLORE ADFLCTVS, & ſimilia. Imò luctus mortuorum ſenſim in luxum tranſiit, ad lugendos enim mortuos præficæ inſtitutæ ſunt, mulieres videlicet in funere conductæ ad lamentabilem cantum, quo defuncti facta laudarent, ut deducitur ex loco Nævii antiqui Poetę.

Præfica ſi mortuum laudat.

Idem reſultat ex Juven. Satyr. 10. verſ. 261., ubi Poeta funebres ſolemnitates deſcribens, ſub umbra funeris Aſſaraci morem Romanum indigitat, dicens:

Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lachrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet &c.

Præficas has principes luctus vocat Servius in illum Virgil. locum Æneid. 9.

Nec te tua funera mater
Produxi.

Et quidem Plato lib. 9. leg. meminit eorum, qui περὶ τὺς τελευτήσαντας μισθύμενοι, *conducti mercede eſſent ad deflendos mortuos*, & Lucilius de iſtis præficis.

Mercede, quæ conductæ flent in alieno funere
Multo et capillos ſcindunt, et clamant magis.

Funerum pompam comitabantur flentes etiam mulieres, quæ defuncto conjunctæ conſanguinitate forent; Hæ tamen Præficarum nomen non ſortiebantur, ſed nuncupabantur *Funereæ* quaſi funereæ. Diſcrimen inter has erat, quod funere verè lugerent, ut ad quas dolor pertineret: Præficæ tantùm ficte, ut quæ tantùm conducerentur ad oſtentationem planctus. Probat ſententiam Homeri locus Iliad. 19., vbi Briseis viſo Patroclo mortuo, dolens, & gemens ſe miſeram appellat, quod ejus patrocinium amiſerit; de aliis verò fœminis ait: σενάχοντο Πάτροκλον πρόφασιν: *deflebant Patroclum ad ſpeciem*; Quaſi illa verè doluerit, non iſtæ. Huc pertinet elegantiſſimus locus Hor. in epiſt. ad Piſones; opponit enim conductos dolentibus ex animo his verſibus:

Ut qui conducti plorant in funere dicunt,
Aut faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Pro coronide hujus notæ addo Varro lib. 6. ling. lat. dare Præficis id muneris, tum ut fleant, tum ut canant laudes defuncti;

u Ejus

Ejus verba: *Præfica, ut Aurelius ſcribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret.* Cantum porrò hunc ad tubæ ſonitum fieri ſolitum, vel tibiæ; & neniam nuncupatum, refert Cic. lib. 2. leg. ità ſcribens: *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, eaſque etiam ad cantus, ad tibicinem perſequuntur, cui nomen næniæ; quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.*

76. *Maneſque Latinos &c.* Vexare non eſt hic poſitum propriè pro *perturbare, et infeſtare*, ſed adhibita hæc vox ad majorem dictionis energiam, quaſi diligens veterum ſepulchrorum diſquiſitio ſit vexatio, & inquietatio animarum illarum, quarum corpora in illis monumentis recondebantur ex ſententia veterum, qui hac de cauſa ſepulchra inviolabilia cenſebant. Manes pro animabus poſuit, ſecutus antiquos Scriptores, qui hoc etiam nomine cenſuerunt appellatas fuiſſe animas à corpore ſeparatas. In qua ſententia videtur fuiſſe Apulejus de Dæmonio Socratis, inquiens: *Manes animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore noſtro Genii dicuntur, corpori renunciantes, Lemures* Favet Virgil. Æneid. 3., ubi de Polydoro

Stant manibus aræ.

Et ex Græcis Homer. Odyſſ. 11. poſt ſacra necromantica:

αἱ δ' ἀγέροντο
ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνηώτων
Ipſæ autem congregabantur
Animæ ex erebo manium defunctorum.

Forſan placebit propriùs Manes hoc loco ad ipſa cadavera referendos, quia in hoc ſenſu vocem accepere Plin. lib. 16. cap. 44. *Subeſt ſpecus, in quo Manes ejus*) Scipionis Majoris) *Cuſtodire Draco traditur.* Virg. lib. 4. verſ. 34.

Id cinerem, aut Manes credis curare ſepultos.

Et tandem Propert. lib. 2. Eleg. 8.

Exagitet noſtros Manes, ſectetur, et umbras
Inſultetque rogis, calcet et oſſa mea.

Ni dicendum ſit Scriptores hos loquutos fuiſſe ex opinione Gentilium, qui partem hominis dicebant vna condi in ſepulchro cum ipſo cadavere; Dividebant videlicet Ethnici hominem in corpus, animam, & imaginem extremam vocabant umbram, ſimulacrum, & Homerus εἴδωλον: In quatuor autem partes

Vexabis, latè quà tenditur Appia, quaque
Sancta Calepodii pandit ſe fornice Crypta.

In-

NOTÆ.

tes hominem diviſit, & ſingulis ſtationes ſuas aſſignat: Legimus in hoc Epigr.

Bis duo ſunt homini, Manes, Caro, Spiritus, Umbra;
Quatuor iſta loci bis duo ſuſcipiunt.
Terra tegit Carnem, tumulum circumvolat Umbra;
Orcus habet Manes, Spiritus aſtra petit.

Hinc eſt ut apud Virgilium, & alios ſæpe audias umbras apparere ad mortnorum ſepulchra, & ibi comitari corpora.

77. *Qua tenditur Appia &c.* Dixi ſupra ex lege duodecim tabularum veſtitam in Urbe condi cadavera, primumque inve-ctum, & ſub Coclide ſepultum Trajanum. Hinc frequentiſſima propè Romana mœnia fuere ſepulchra, quorum adhùc plurima ſuperſunt veſtigia. Via præcipuè Appia, quæ ab Appio Claudio ſtrata Romà per Portam Capenam Brunduſium uſque ducit, his maximè abundavit.

78. *Sancta Calepodii &c.* Poſtquam de Sepulchris Gentilium egit, ad Chriſtiana tranſit.

Calepodii, quod nuncupatur Cœmeterium, inter celeberrima Urbis numeratur, tertioque ab Urbe, lapide Via Aurelia ſitum eſt. Huic nomen dedit S.Calepodius Presbyter, & Martyr, qui ſub Calixto Pont. Max. paſſus eſt in perſecutione juſſu Alexandri Severi Imperatoris contra Chriſtianos demandata, ac in eodem Cœmeterio ſepultus manibus ejuſdem S.Pontificis, prout teſtantur Acta S.Calixti ex vetuſtiſſimis, & omnimodæ fidei Codicibus Vaticanis, S.Cęciliæ, & Vallicellianis eruta, fatenturque Ado Viennenſis, & Beda in Martyrolog. Cryptas haſce S. Presbyter jàm ante conſummatum martyrium ſepulturæ Martyrum deſtinaverat, plurimaque ſuis manibus, ac operà tumulaverat corpora hujuſcemodi Heroum, qui ſanguinem uſque ad necem pro fidei chriſtianæ confeſſione conſtanter effuderant, de quibus Aringh. in Roma Subter. lib. 2. cap. 12, tom.1., qui cum certos Martyres tantùm proponat, eoſque præſertim, quorum acta ſuperſunt, aut mentio eſt apud Authores,

vereor ne invitus alios plurimos ſubticuerit, ut par eſt credere, quorum geſta, aut temporum, aut calamitatem, quibus ſæpiſſimè laboravit Eccleſia, periere, & tantum in libro Vitæ annotantur. Imò nec ambigendum eſt poſt ipſius S. Calepodii paſſionem à pijs fidelibus Cemeterium hoc incircumſcripto numero Reliquiarum aliorum Sanctorum Martyrum decoratum, auctamque indè veterem claritatem, quam pridem induxerant ea ſacra pignora, quæ idem S. Martyr ſepelienda ibidem curaverat. Hæc compendiosè de Calepodii cemeterio dicta, ut in Sectani noſtri verbo aliquantulum ſiſterem. Cœterum illud minimè obſcurum, quod in nomine Cryptæ Calepodii omnia quæcumque ſacra Romæ Cemeteria indubitanter aſſeruerit, licet unum tantùm propoſuerit, ſi non ſanctiſſimorum Martyrum numero, certè celebritate, & nobilitate reliquis par, ad hoc, ut Lector in hoc reliqua veneretur, & agnoſcat. Ex his porrò omnibus maximus ille ſanctiſſimarum Reliquiarum eruitur theſaurus, quo in immenſum ex S. Romanæ Sedis largitate Orbis chriſtianus fecundatur, ad hoc, ut in iis debitus Sanctis exhibeatur honos, ac indè fidelium mentes ad ſanctitatem, & ad pietatem excitentur. Nequaquam igitur mirum ſi veritatis, ac ſanctitatis hoſtes Ethnici contra has ſanctas Reliquias tam acriter debacchati fuerint, ſique eos imitati Hæretici, à Catholica Eccleſia rebelles, non minori impietate, licet forſan majori malitiâ Sanctorum claritatem, gloriam, & cultum convellere ſtuduerint. Jàm ab initio Gentilium impietas eò contra Chriſtianos invaluit, ut quæ vivis non pepercit, etiam in mortuos ſævire, ac eorum cadaveribus contrà ſanctiſſimas eaſdem naturæ leges inſultare palam non erubuerit. Odio Chriſtiani nominis id factum, quo funditus cum ipſa religione ex orbe deleretur. Hinc qui vberrimo Martyrum cruore ſitim immanem extinguere nequibant, novo crudelitatis genere eorum cadavera infruſta concidere, cremare, interdum diſſipare, ac in profluentem quandoque proiicere, vel à feris, vel ab avibus diſcerpenda inhumata, additis Cuſtodibus, relinquere conſuevere, quo condigno fraudarentur ſepulchro. Notiſſima hæc cuncta ex Martyrologiis, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, aliiſque veteribus Eccleſiæ monumentis, quibus inter cætera innumera diſcimus corpus S. Clementis Pontificis in mare præceps miſſum, S. Ignatium Martyrem laniandum Leonibus propoſitum,

Re-

Reliquias Martyrum Lugdunenſium, & Viennenſium Canibus obiectas, indè igne conſumptas; inſepulta paſſim cadavera iuſſa ſtare, aliaque immania perpetrata, quæ latè enumerat laudatus Aringh. loc. cit. & ſeqq. cap. Nec his contenti, oſſa, cinereſque jàm ſepultos effoderunt, & diſſipavere Id tradunt, de Martyribus Nicomedienſibus Euſeb. lib.8. hiſt. cap.5. & 6., & ut plurima exempla contraham de ſacroſanctis Oſſibus S. Jo. Baptiſtæ in Paleſtina Ruffin. lib.2. cap.28., & Niceph. lib.10. cap.13. Addita & ſacrorum librorum deploratiſſima clades pręſertim ſub Diocletiano, cujus edicto omnes Religionis Chriſtianæ Codices teſte Euſebio lib. 8. cap. 2., & 3. igni deſtinati fuere, inter quos Prudentius hymn. de Hemeter. dolensquoque retulit illuſtria Martyrum geſta, inquiens:

O vetuſtatis ſilentis
Obſoleta oblivio,
Invidenter iſta nobis,
Fama, et ipſa extinguitur;
Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita ſæcula
Ordinem, tempus, modumque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent?

Cum re verà tamen ex vaſtiſſimo, deplorandoque ſacrarum Scripturarum naufragio recolenda Martyrum acta minimè funditus periiſſe, ſed tantùm valdè diminuta, & mutilata, plurima eorum, quæ adhùc integra leguntur, comprobent, ſuadeatque Greg. Turon. de Glor. Martyr. cap.40., qui *multi quidem*, inquit, *ſunt Martyres apud Urbem Romam, quorum hiſtoriæ paſſionum penitùs nobis integræ non ſunt delatæ*. Neque ſe continuit his limitibus impietas, quandoquidèm quæ abolere non potuit, depravavit, atque corrupit, vt videre eſt apud Arnob. lib. adverſ. Gent., qui tanta mala tribuit Dæmonum inſidiis, *quorum cura, et ſtudium eſt*, inquit, *hanc intercipere veritatem, et conſimilium his hominum interpolata quædam, et addita, paſſim mutata, atque detracta, verbis, ſyllabis, literis, et, ut credentium tardarent fidem, & geſtorum corrumperent authoritatem*. Conceſſa tandem

fuit ſub Magno Conſtantino pax Eccleſiæ optatiſſima, cultuſque ergà ſacras Reliquias liberè emicuit, & auctus fuit in immenſum, prout habent Euſebius, aliique. Nec tamen hoſtes defuere inter ipſoſmet Chriſtianos; deletà quippè, & debellatà Idololatria nequaquam ceſſit tamen furor in eaſdem Cacodæmonis, quandoquidem impio ejus impulſu ſeſe ſponte in Ethnicorum claſſem projecere Hæretici, qui recedentes à ſana doctrina, uſuque probatiſſimo Eccleſiæ nouum, ac atrocius fortaſſe bellum inſtauravere. Mitto, quod à Chriſtianæ Religionis infantià primus Cerinthus Martyres blaſphemarit, eo quod pro Chriſto paſſi fuerint, quem merum, purumque hominem fuiſſe ore blaſphemo mentiebatur teſte Philaſtr. de hæreſib. cap. 27., fecemque pariter reliquam Hæreticorum, qui ex ejus fornice prodiere ad Orbem Chriſtianum ſpurciſſimorum, & deteſtabilium errorum fœditate inquinandum. Item & Manicheos, qui in odium carnis, quam ex materia, materiam verò à mali principio procreatam effutiebant, ſanctorum Martyrum veneranda lypſana execrabantur ex Auguſt. lib. 20. contr. Fauſt. cap. 21. In his ſiquidèm omnibus hic error, non caput, ſed appendix perverſi dogmatis fuit. Palmarem primum agnoſco in Eunomio teſte S. Hieronym. adverſ. Vigilan., Eunomium ſecutus Vigilantius, pari audacià, atque impietate Martyrum Reliquias, iiſdemque ſolitum adhiberi cultum damnabilem, earumque miracula præſtigias eſſe Dæmonum blaſphemavit, ac Cinerarios, nec non Idololatras illos, qui eas ſuſciperent, quaſi mortuorum oſſa tantùm colerent, auſus eſt appellare. Acceſſere Iconoclaſtæ, quorum efferatam rabiem ergò Sanctorum in vniverſum corpora tot aperiunt luctuoſiſſima exempla, quæ adhùc deplorat Eccleſia. Recentes Novatores ſòpitum per tot ſæcula poſt tantas celebres Chriſtianæ veritatis, pietatiſque victorias, diſſidium atrociùs invexere; cum enim viderint Eccleſiæ Catholicæ ſanctitatem ſanguine, & miraculis Sanctorum probari, hiſque ſolidiſſimis fulcris firmatam, illuſtratamque nunquam ejus irritis conatibus ceſſuram, imò potiùs perpetuò ſuæ claritatis lumina oſtentare, ac latiſſimè maximo cum ſui emolumento diffundere, nil intentatum reliquerunt, quo eam pro viribus lacerarent; unde omnibus penè veterum Hæreticorum erroribus jàm reſtitutis, illum etiam ex Cerinthi, Manichæi, Eunomij, Vigilantii, & Iconoclaſtarum dog-

dogmatibus invehere non ſunt veriti, quo in ſanctos Martyres, ac eorum cineres non ſolùm blaſphemis vocibus ferrentur, ſed furore inſano perciti nulli parcerent impietati, qua ſacrilegè debaccharentur contra ſacras reliquias, nil veriti eaſdem antiquas contra Catholicos repetere calumnias, quod ſcilicet Idola in Martyres converterint, quas plenè refutavere Auguſtin. lib. 20. contrà Fauſtum, Athenagoras, Minutius Felix, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, aliique Eccleſiæ Patres. Hæc, & alia, ut monui contrà S. Romanam Eccleſiam, in qua vivo, & glorior, eo ſcilicet hoſtili animo moliti ſunt, quod cenſuerint ad ejus excidium, quod in animo habent, plurimum juvare poſſe, ſi pietatem, atque ſanctitatem, quas illi detrahere ne minimum quidem valuere, ſaltem poſſent in invidiam trahere aliqua fraude, ac à ſe nomen, famamque impietatis avertere refundendo in magiſtram veritatis, à qua perfidè rebellaverant. Dirum, quod ejus etiam religioſos mores, pioſque ritus tanquàm idololatricos, & ſuperſtitioſos incuſaverint: ſed non minùs execrabile, quod Romanam Eccleſiam Religionis Chriſtianæ, ac veræ fidei Caput, & Magiſtram Idololatram non tantùm dixerint, ſed ſtultitiæ arguerint; & quod, uti mentiuntur, fictos, aut ad minus incertos Martyres venerationi fidelium proponat, oſſa, cinereſque ex antiquis Cœmeteriis eruta, publico cultui exponendo; nullà præhabità de eorum martyrio certitudine, niſi per ſigna, notaſque quaſdam, quæ inquiunt, eſſe potuere infidelibus communes. Inter recentium Hæreticorum turbam, qui hæc effutire audacter ſumpſerint, obſervare mihi contigit Anonymum quemdam, ut conjicere licet natione Anglum, qui conſcripto Itinerario Italico, eoque edito Hagiæ Comitis ann. 1694. apud Henr. Vvan Bulderen tom 2. ejuſdem pag. 127. has pretioſiſſimas Martyrum gemmas Romano cœlo nititur omni conatu ſubtrahere, eà falſiſſimà ductus perſuaſione, quam aliorum mentibus obtrudere ſatagit, quod ſcilicet nil certi, tutique de eorum corporibus, quæ in Catacumbis reperiuntur, ſtatui poſſit, ex eo quia indiſtinctè in iis ſepulti fuerint fideles cum infidelibus, & ſigna, notæque, ex quibus apud Catholicos arguitur Martyrium, puta phialas vitreas, fictilesque, palmas, & alia, quæ ſepulchris inveniuntur occluſa, aut inſculpta, potiùs Paganiſmum oleant, aut ſaltem ſint æquivoca, vel ad plus ſolam indicent Chriſtianitatem; quo ſit, idem in-

quit, ut ſæpiuſcule loco Martyris, producatur homo Ethnicus, Hæreticus, aut ab Eccleſiæ communione alienus, ac Templis, Altaribuſque venerandus proponatur maximo fidei, ac Religionis detrimento. Sed allucinatur homo Anglus: indu itatum ſiquidem eſt ſacra Urbis Cœmeteria nullo unquam tempore è prophanorum cadaverum commixtione, & conſortio aliquam contagionis labem contraxiſſe, nec Gentilium ſepulturà fuiſſe polluta. Hujus veritatis tot invicta proferuntur argumenta, ut minimè convelli queant. Quantum ad me attinet, ea breviter delibabo, non etenim tractatum, & apologiam, ſed notam ſcribo, & ſi quid à recto tramite longiuſculè diverſam, minimè tamen in eo calumniandus, quod alienis (ità fortè Philodemus & Philodemi aſſeclæ) à ſubiecto notis incumbam; quippè cum Romam à malignantium calumniis jàm ab initio, quantum per me licuiſſet, vindicare ſtatuerim, quo non tantùm meus ergà eam amor eluceret, ſed & mea fides, & mea religio, cujus ipſa magiſtra eſt, eminentius proderetur, nil intactum linquere ſtudui, ubi ſe dederit occaſio, quo quicquid ad eam ſpectat invictè. & fortiter tuerer; tantò alacriùs, quod indubitanter noverim id Sectano noſtro pergratum fore, qui dum ſaluberrimis Satyrarum ſuarum ſalibus eam purgandam à vitiis, ſi quæ ſint, contendit, virtutes, religionem, pietatem, quicquid tandem in Urbe laudabile emicat, extollit, & quaſi continuà Panegyri commendat. Jàm igitur ad rem noſtram. Vetuſtiſſimo apud Romanos ritu humo inferendi cadavera, de quo Cic. 2. Leg., & Plin. lib. 2. cap. 54. in deſuetudinem miſſo, mos invaluit, ut igni comburenda traderentur, ac demum in cineres redacta ollis, urniſque reconderentur, itàut id in ſtabilem, firmamque legem tranſierit annuentibus Tacit. lib. 15. Annal., & Laert. lib. 9. in Pyrrhon., quæ tantùm infirmata fuit poſt datam ſub Chriſtianis Imperatoribus Eccleſiæ pacem, prout habetur ex teſtimonio Macrobii, qui floruit ſub Theodoſio Juniore, dicentis: *Deindè licet urendi corpora defunctorum uſus noſtro ſæculo nullus ſit, lectio tamen docet &c.* Temporibus infeliciſſimis, quibus in Chriſtianos ſæviſſimæ Romanorum Cæſarum perſecutiones graſſabantur, morem hunc maximè viguiſſe, teſtantur non ſolùm Hiſtorici quotquot tunc ævi floruere, ſed Chriſtiani quoque Authores, qui pluries meminere ab hujuſcemodi crematione omninò abhorruiſſe fideles, itàut factum fuerit,

rit, quod eis Gentiles, veluti crimen, & probrum maximum talem horrorem objęcerint, dicente Cęcilio apud Minut. Felic. *Execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturam*; cui Catholicus Octavius egregiè: *Non, ut creditis, ullum ſepulturæ damnum timemus, ſed et veterem, et meliorem conſuetudinem humandi frequentamus*; quæ ſcilicet mundo coęva, ſacræ Scripturæ literis, & majorum exemplo probata, & quod magis eſt Dei voce præcepta Geneſ. 3., & ab ipſomet obſervata, cum miſſo Divino Filio ad Orbem à peccato vindicandum, decrevit, ut mors ejus paſſionem, & mortem clauderet ſepultura. At nequidem locus, imò nec ratio, formaque exhibenda defunctis ſepulturæ convenire potuit inter Chriſtianos, & Ethnicos: cum certò certius conſtet à quolibet Gentilium, prout cuique facultates, & cenſus ſuppetebant, conſueta conſtitui ſepulchra plus, vel minùs conſpicua conſanguineis, familiaribus ſuis defunctis, vel in propriis prædiis, vel iuxtà publicas, & celebriores viarum ſemitas, ut agnoſcere eſt ex pluribus ſuperſtitioſæ antiquitatis veſtigiis, quę adhùc poſt tot annorum evoluta ſæcula ſuperſunt. Datus eſt locus pauperibus, infimæque notæ hominibus, quibus ignobile funus, nec communis fortè combuſtio ob anguſtiam rei familiaris, nec etiam nova, elegantiaque ſepulchra, quibus conſtruendis apud hæredes ſumptus non ſuppeterent. Loco huic publicà curà extra Portam Exquilinam delecto, datum nomen *puticulorum* ex Varrone, aliiſque tunc temporis Scriptoribus. Hic autem poſteà Męcenati ab Auguſto in amęnos derivandus, ac excolendus hortos donatus, ne fętore cadaverum aer Romanis Civibus minùs ſalubris redderetur teſtante Horat. lib. 1. ſerm. Satyr. 8., ac alibi ab Urbe remotius ſepultura demandata. Horatii itaque verba malè in ſuam ſententiam detorquet Author Itinerarii Italici, quaſi *Puticuli*, quibus vile Romanorum vulgus tumulabatur iidem eſſent, ac Cryptæ Cœmeteriales, de quibus in præſenti agitur; quod quam à veritate alienum ſit, abundè reſultat ex Varronis teſtimonio ſuprà relato, probaturque à Marliano lib. 4. cap. 11., & Kirchman. defun. lib. 3. cap. 15. Addo Romanorum ſepulchra duplicis generis fuiſſe: alia nimirum eleganti opere conſpicua, & quæ ab humo altius attollerentur; alia verò ſubterranea, ædicularum inſtar, in imo terræ fabrefacta ſinu, ad quæ per gradus, quoſdam deſcendebatur, in quibus omnibus videre erat ordine diſ-

poſi-

poſitas ollas cinerarias in ipſa parietum craſſitudine, prout notant iidem Kirchman. loc. cit., Marlian. lib.4. cap.19., & poſt eos Georgius Fabritius in ſuâ Româ cap.21., horumque poſtremus Ciampinus in Tract. de Veter. Monum., ubi plurium ſepulchrorum adhùc ſuperſtitum rudera eleganter inſculpta exponit, & Lectoribus exhibet. Cum igitur nil horum, quæ ab Ethnicis uſu, & conſuetudine recepta, lege, religioneque firmata obſervabantur, commune cum funeribus Chriſtianorum habere potuerit, penitùs corruit Hæreticorum, aliorumque, ſi qui ſint, opinio de tali cadaverum commixtione, atque conſortio. Sed acrius, & efficacius rem hanc urgemus ex odio, quo implacabiliter Gentiles adverſus Chriſtianos flagrabant, tanquàm in ſuorum Numinum hoſtes, ac Diis ſuis inviſos, itàut ab eorum commercio omninò abſtinerent, ne aliquam ignominiæ notam ex hominum conſuetudine, quos deprædicabant nequiſſimos, & non lucis dumtaxat, & vitæ, ſed & ſepultura ipſius beneficio indignos, contraherent; quippe ubi Chriſtianum aliquem deprehendiſſent dijudicantes ex nomine cauſam, ſcelerum omnium reum pronunciabant: *Chriſtianum nomen* (ſcripſit Tertullianus) *omnium ſcelerum reum, Deorum, morum, legum, naturæ totius inimicum exiſtimas*. Sola ſiquidem nominis confeſſio expreſſa cunctorum criminum nota apud Gentiles, ut Juſtinus Martyr teſtis eſt, habebatur: *Nomen Chriſtianum*, ait, ille, *ſufficiebat ut reos conſtitueret*: Haud ullus verò diſcuſſioni criminum locus erat, ubi Chriſtiani nominis confeſſio præveniſſet; *Solùm id expectatur* (ſunt verba Tertulliani) *quod odio neceſſarium eſt, confeſſio nominis, non examinatio criminis; ſufficiebat enim, ut quis ſe confiteretur Chriſtianum, ad hoc ut acerbiſſimo ſupplicio afficeretur*. Idem conſortium cum Ethnicis pro ſuo poſſe effugerunt, vitaveruntque Chriſtiani ex Apoſtoli præcepto 2. ad Corinth. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*: moniti quippe fuere Fideles, certâ, ſanctâque doctrinâ inſtructi, loca ſanctitatis luce conſpicua, quæ in ipſis tenebris lucent, & ubi requieſcunt corpora, quæ Templa Dei vivi quondam fuere, ab horum, qui filii tenebrarum ſunt, reſpergi caligine haud unquam condeciuiſſe. Nec ſanè ullo ſatis firmo fundamento inniti poteſt ſententia, quæ dicat conſortes ſepulchri Ethnicos habitos fuiſſe à Chriſtianis, qui nequidem ab hujuſcemodi communionem Hæreticorum, Schiſmaticorum, ac excommunicatorum cadavera

vera admiſerunt. Jàm à naſcente Eccleſia lex illa viguit per Apoſtolos, ut ferebatur, tradita, & inter Conſtitutiones, quæ nuncupantur Apoſtolicæ relata, impios ſcilicet Hæreticos non penitentes diſcludendos, & ſemovendos à Catholicis, ac Eccleſiam Dei eis penitùs interdicendam, quodve omnibus modis ab iis declinarent, nullaque ſermonis, aut precationis communio ineſſet. Ex qua doctrina dimanavit vox illa S. Leonis M. epiſt. 91. *Quibus non communicamus vivis, nec mortuis quidem communicare fas eſt.* Sic à primis Eccleſiæ incunabulis obſervatum indubitanter aſſerimus ex Eccleſiaſticis Annalibus, & ex aliis Eccleſiæ ipſius authenticis monumentis, atque Scriptoribus ſacris vetuſtiſſimum. Sed neque ab hac via latum quidem unguem deflexere, poſt Apoſtolos, Apoſtolicoſque Viros, antiqui Patres, ſed recto per Apoſtolos conſtituto tramite Diſciplinam Eccleſiaſticam hujuſcemodi latè propagarunt, atque hæreditario propemodùm jure, ut ità dicam, ad nos tranſmiſerunt. His itaque inhæſit veſtigiis Alexander IV. Pontifex editâ ſpeciali Conſtitutione de cadaveribus Hæreticorum ab Eccleſiaſtica ſepultura arcendis relat. in cap. quibuſdam de Hæret. in 6., qua ſanxit, ut contraveniens, *uſque ad ſatiſfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere, nec abſolutionis beneficium mereatur, niſi propriis manibus publicè exhumulet, et proiiciat hujuſmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetuò careat ſepultura.* Hanc igitur Apoſtolicam diſciplinam ſic firmiter per Summos Romanos univerſalis Eccleſiæ Præſules obſervatam, noviſque roboratam decretis etiam quoad Schiſmaticos Romæ ſemper obtinuiſſe compertum eſt ex plurimis, certiſque teſtimoniis ab eodem Aringhio productis, à quibus, quo conſulam brevitati, abſtineo; nec ambigendum extenſam ad homines anathemate perculſos, & in eo defunctos; cum ea ſit vis majoris excommunicationis, ut non ſolùm à fraterna ſocietate ſeparet, ut inquit Joann. VIII. Pont. Max. relat. à Gratiano 3. quæſt. 4. can. 12., ſed ab ipſo Chriſti corpore (quod eſt Eccleſia) recidat, & omninò divellat, ſicque divulſos, & reciſos etiam ab Eccleſiaſtica ſepultura expellat *juxtà legem patriam* (ſunt verba S. Gregorii Niſſeni) *et veterem Eccleſiæ regulam quæ cœpit à lege, et fuit confirmata in Gratia*; imò per ſacros canones, & Pontificias Conſtitutiones inſtaurata, inter quas ea Clementis ſanctio relat. extra de ſepult. cap. 12. habetur, qua

præ-

præceptum tales repellendos eſſe à communione ſepulturæ ex ſanctarum legum præſcripto; alteraque Leonis Papæ extra de privil. cap. 5., qua juſſit, etiam extra ſacra Cemeteria reiiciendos, ſi fortè inibi ſepulti fuerint. Plura ad hoc facientia, quæ jàm ab aliis adducta repetere minimè audeo, ne plus nimio excreſcam. At inquit Anonymus: Lapides aliqui in Romanis Cemeteriis reperti ſunt, qui Paganiſmum olent; Habent enim Epigraphen inſcriptam D. M. *Diis Manibus*, quæ proculdubio veterem Ethnicorum ſuperſtitionem connotat; item & leguntur aliæ ſimiles, quas veluti huic affines non inculcamus. At quæcumque hæ ſint, nil contra nos evincunt, nec tot inviĉtiſſima argumenta ſuperiùs recenſita minimum quidem convellunt. Potiùs enim dicendum has inſcriptiones, quas inter ſuperſtitioſas enumerat Anonymus è propriis locis à Priſcis Chriſtianis revulſas ad loculos ſuorum defunctorum, ac etiam Martyrum claudendos. Id non tantùm minimus earum numerus arguit, ſed ſuadent inſtantes, urgenteſque perſecutiones, quibus immaniter Eccleſia tunc vexabatur. Qui enim fieri poterat, ut Chriſtiani in ipſis tenebris deliteſcentes, & penè ſepulti, ſatis haberent, etiam ſi omnes ſculpturam callerent, lapidum, quibus tot millium Martyrum, qui in ſingulos dies præſertim ſub Diocletiano occidebantur, ſepulchra contegerent, & clauderent? Cur non neceſsitati concedendum ipſas marmoreas tabulas, etſi prophanis epigrammatibus inſcriptas aſportare, & ad uſum Chriſtiani ſepulchri accomodare in tanto periculoſo rerum Chriſtianarum ſtatu? Coniectura ſatis ex præcedentibus firmatur, & inconcuſſa manet, eoque magis eluceſcit, ac ſolidatur, ſi adverti contingat non ſemel hos lapides repertos cum duplici inſcriptione, quarum exterior Ethnicum hominem demonſtraret, interior verò Catholicum, ac etiam Martyrem. Hinc facilè ſuadeor aliundè quidem, ut dixi, aſſumpta hæc marmora, & ad uſum Chriſtianæ, ſacræque Sepulturæ aptata, non ſolùm neceſsitate, de qua ſuprà, ſed fortè quo proſpiceretur inſano Gentilium furori, qui tam immaniter contra ſacra Cadavera ferebantur, abſcondente, & quaſi mentiente exteriori parte ſepulturæ theſaurum ibidem occluſum, & latentē, revelante tamen interiori, quæ minimè obvia perſecutorum obtutui. Exempla dat Aringh. lib. 4. cap. 37. pag. 258., & alibi. Adde aliquandò repertum marmor cum eàdem inſcriptione è

fron-

fronte inſcriptione D. M., ſed quæ è regione haberet Chriſti Monogramma, & columbam in roſtro ramum olivæ tenentem, & in latere epitaphii vaſculum: Hanc videre eſt in Roma Subterranea lib. 3. cap.61. pagina mihi 512.. Symbola hæc hominem Chriſtianum denotant, & ſi inſcriptio videatur prodere Idololatram, unde aut vera eſt noſtra ſententia aliunde aſportatum, & in Chriſtiani loculi uſum Sacro Priſcillæ, ubi inventus, Cœmeterio invectum; aut appoſita ſymbola aliter, quam par eſt, interpretari & explicare convenit; aut tandem dicere ex Praxi Chriſtianorum literas illas majuſculas D.M., *Deo Maximo* interpretandas, & *Deos Manes* penitus excludendos. Singularis itaque Sacrorum Urbis Cœmeteriorum prærogativa fuit, item decus, & gloria, ut ab omni execrandorum cadaverum labe, & fœtore eſſent immunia. Sanctiſſimos Martyres in iis tumulatos, nemo eſt qui audeat inficiari; id & ſi alia tacerent monumenta, ſatis abundè comprobaret Conſtantini Magni edictum apud Euſebium de vit. lib.2. cap.40., quo præcepit Cœmeteria à Gentilibus per ſummam injuriam occupata Chriſtianis reſtitui, inquiens; *Loca illa, quæ Martyrum corporibus honorata ſunt, et monumenta glorioſæ illorum e vita diſceſſionis, quis dubitet, quin ad Eccleſiam ſpectent?* En Martyrum ibi ſepultorum expreſſam mentionem, en Cœmeteria eorum tumulatione conſecrata, ac idcircò Eccleſiaſtici juris, & dominii effecta. Nec minor lux ex S. Hieronym. in Ezechiel. cap.40., ſe etenim adhuc juvenem Romana Cœmeteria ſæpius perluſtraſſe, ac ad venerandos ibi Sanctos Martyres diebus præſertim Dominicis accurriſſe clariſſimè profitetur; *Dum eſſem Romæ puer, et liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis, ac propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, et Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum*. Quid clarius, quam corpora Martyrum in ipſis cryptis per parietes utrinque diſpoſitis loculis tumulata, quid conformius præſenti ſtatui Sacrorum Cœmeteriorum, ex quibus Reliquias depromimus? Non tamen ità literæ S. Hieronymi ſcrupuloſè adhæremus, ut dicamus omnes quotquot Chriſtianos, qui in hiſce Catacumbis tumulati fuerint, Sanctos Martyres fuiſſe. Id omnibus fidelibus conceſſum fuerat, cunctis etenim optatiſſimum juxtà Sanctos Martyres,

tyres, ſi non iiſdem ſ pulchris, certè ipſiſſimis Cœmeteriis ſepeliri, quemadmodum notum ex ſacris Hiſtoriis, & ex S. Maximo Serm.77. ſcribente; *Ideò namque hoc à majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergò Martyribus quieſcentes, evadimus inferni tenebras, eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate.* Inde praxis hæc poſt datam Eccleſiæ pacem, etiam in ipſis Templis, in quibus plurimæ Sanctorum Reliquiæ transferri cœpere, conſtanter obſervata fuit, & ut innumeros ſileam, qui ſua cadavera proximè ad ſepulchra Sanctorum deponi præoptaverunt, de quibus abundè alii; Primus ſanè Imperator Chriſtianus Conſtantinus in veſtibulo Templi Principis Apoſtolorum, quod Conſtantinopoli exædificaverat, tumulatus fuit, ut refert S. Joann. Chriſoſt. homil.26. in 2. ad Corinth. *Conſtantius Auguſtus Conſtantinum Magnum ingenti ſe honore affecturum exiſtimavit, ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris, quod enim in Regiis janitores ſunt Regibus, id in ſepulchro Reges ſunt Piſcatoribus; & præclarè ſecum agi putant, ſi janua ipſis attingetur veſtibularis.* Et ne Romà digrediar, hæc eadem teſtata religio fuit à pluribus Imperatoribus, Regibus, & Principibus, qui apud S. Petrum condi amaverunt; puta Valentinianum, & Othonem ſecundum Imperatores, Ceduallam, & Offam Saxonum, Conredum Merciorum, & Inam Angliæ Reges, Mariam Honorii Imperatoris ſponſam, Agnetem Henrici II. Auguſti uxorem, Carolam Hieruſalem & Cypri Reginam, aliaſque in paribus dignitatibus conſtitutas perſonas, quas amore brevitatis mitto. Nec etiam dicendum autumo Martyrum, ac aliorum Chriſtianorum, qui in Catholica communione defuncti, Sanctis quoad ſepulturæ locum aſſociari meruere, corpora, ita mixtim, ac confusè appoſita, ut Martyres ab aliis minimè diſtinguerentur per aliquam ſaltem notam, quæ indubitatè Martyrium ipſum indicaret, & Martyrem à non Martyre diſtingueret. Quis enim dixerit primitivæ Eccleſiæ clariſſimos, piiſſimoſque viros, qui jugiter officioſa ergà Martyrum corpora omnimodæ pietatis ſtudia præbere ardenter ſtudebant, ſpretis quoque quibuſcumque obviæ mortis periculis, ſymbola ſaltem aliqua eorum tumulis inſcribere aut incidere ſedulò non caviſſe, quibus corona, laureaque Martyrii decoratos indigitarent.

Novi

Novi quidem vel ſummos Pontifices iis tumulandis piè manus admoviſſe, Clerumque Romanum pari alacritate eos æmulari nunquam deſiiſſe, itàut videretur, hoc inter præcipua eorum munera, majoreſque ſollicitudines potiſſimum fuiſſe, quemadmodum elucet ex ejuſdem Cleri laudatiſſima epiſtola ad Eccleſiam Carthaginenſem apud S.Cyprianum, in qua hæc verba leguntur: *Et quod maximum eſt corpora Martyrum, aut cæterorum, ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus*. Novi ulteriùs Beatum Marcellum Papam titulos viginti quinque inſtituiſſe, teſte Anaſtaſio, *propter ſepulturam Martyrum*; S.Clementem Pontificem nil antiquius duxiſſe, quam ut fortia Chriſtianorum acta, & ipſæ Sanctorum Martyrum res præclarè geſtæ perpetuæ memoriæ monimentis conſiſignarentur, ideòque, ut habet Liber de Romanis Pontif., nomine Damaſi inſcriptus, diviſa in ſeptem regiones Urbe, totidem Diaconis aſſignaſſe, *qui geſta Martyrum ſollicitè, & curioſe unuſquiſque per regionem ſuam perquirerent*; ac Fabianum inde addidiſſe ſeptem Subdiaconos, totidemque Notarios, qui Diaconis in deſcribendis Martyrum paſſionibus preſtò, & quaſi amanuenſes eſſent. Sanè ab ipſis Eccleſiæ incunabulis mos ille conſcribendi Martyrum acta ad ſummum viguit, de eo etenim paſſim habent vetuſta ſacra monumenta, atque Scriptores Eccleſiaſtici, inter quos præclarè Pontius Diaconus in vita S.Cypriani inſignem illuſtrium virorum pietatem, qui ſacræ huic Martyrum memoriæ operam navarunt commendans, enarrat, quod *Majores noſtri plebeis, et catechumenis Martyrium conſecutis tantum honoris pro Martyrii ipſius veneratione detulerunt, ut de paſſionibus eorum multa, aut prope dixerim cuncta conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati ſuimus, pervenirent*. Ex quibus fas eſt colligere quantam hujuſcemodi actorum nunc patiamur jacturam, ſive id temporum injuria, ſive calamitatum, quibus plurimum vexata, maximè ſub Diocletiano Eccleſia, magnitudine factum, ut mox ſuprà retulimus. Nemo tamen dixerit omnium quorumcumque Martyrum paſſiones conſcribi potuiſſe; Quis enim tantæ Sanctorum Martyrum multitudini tam brevem Scriptorum numerum ſatis fuiſſe Romæ dixerit, cum conſtet ex Eccleſiaſticis tabulis uſque ad numerum decem & novem millium hominum uno die juſſu ſæviſſimi Diocletiani martyrio illuſtratos, & tradatur à Gene-

brard.

brard. expoſit. in Pſalm.78. verſ.4. plus quam centies centena millia Martyrum pro Chriſto ſanguinem fudiſſe, & pro fidei confeſſione Tyramnorum juſſu morti traditos, quorum ampliorem numerum in Urbe, ubi Romani Imperii principatus pedem fixit, & Idololatrarum furor acrius exarſit, extitiſſe procul dubio cenſendum, affirmandumque eſt: cum enim juges ac copioſæ ſtrages contingerent, minimè ſingulorum nomina, multò minus acta deſcribi potuere, ſed confusè piâ Chriſtianorum manu in Cœmeteriis tumulanda eorum cadavera neceſſitas ſæpiſſimè compellebat. Quamobrem haud mirum ſi etiam hodiè paſſim ſepulchra inter perſcrutandum ſinè titulo, ac nomine, non tamen ipſius martyrii notâ orbata conſpiciuntur. Hic autem martyrii titulus non alius erat, quam notæ quędam, aut ſymbola, quæ tanquam certa, & indubitata ſigna in iiſdem tumulis erant appoſita, vel inſculpta, & primis Chriſtianis notiſſima, prout evidenter colligitur ex Prudent. Periſteph. hym. 11., ubi B. Hippolyti Martyris Cœmeterium, quod ipſemet ſub annis Chriſti 390. curioſis oculis perluſtraverat, exactè deſcribens, tunc temporis videlicet, quando recens adhuc ubique Martyrum ſanguis fervebat, meminit inſculptorum epigrammatum, titulorum, numerorum, & literularum nomen ipſum indicantium; at prętat eum audire:

Innumeros cineres Sanctorum Romulâ in Urbe
Vidimus, ò Chriſto, Valeriane, ſacer.
Inciſos tumulis titulos, tù ſingula quæris
Nomina, difficile eſt, ut replicare queam.
Tantus juſtorum populos furor improbus hauſit,
Cum coleret patrios Troica Roma Deos.
Plurima literulis ſignata ſepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legis.
Sexaginta illic defoſſa mole ſub unâ
Relliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ &c.

Nomen itaque Martyrum aliquando in ipſis loculis impreſſum lege-

legebatur, ſed ut plurimum notis, ſymbolis, ac etiam numeris deſignabantur, horum nomina ignota manebant. Quæ porrò hæ notæ, hæc ſimbola fuerint, minimè difficile eſt agnoſcere, cum quotidiè ob oculos occurrant illis, quibus Sacras Reliquias è Cœmeteriis Romanis extrahere incumbit, & quibuſcumque aliis, quibus hæc venerabilia loca inviſere placuerit. Paſſim ſiquidem exhibentur inſculptæ in ipſis ſepulchris Cruces, Palmæ, Cupreſſus, Olivæ ob eorum myſteriorum ſignificationes, quæ latè repreſentantur Rom. Subter. lib.5. & 6., item Piſcis, Agnus, Columba, in quibus Chriſtus exhibetur; veteris pariter, & novi Teſtamenti hiſtoriæ, atque imagines, necnon Chriſti nomen Græcis contractum elementis; tandem Deus, qui eſt,& dicitur Apocal.1. & 22., Principium, & Finis, per illos characteres A & Ω expreſſus; & his affinia ſymbola, quæ omnia ultrò concedimus fuiſſe indubitata Chriſtianitatis ſigna, ità tamen, ſi ſola præſertim ſint, quod veluti certas martyrii notas negemus, ac uti tales omninò reſpuamus, excepta tamen palmà, quam pro certo martyrii indicio recipimus, tum maximè ſi aliquam aliam notam, ſaltem defuncti Chriſtianitatem indicantem, eidem junctam conſpiciamus, ut dictum de lapide, quo S.Caii Pontif. & Martyr. ſepulchrum operiebatur cum Palma, & Chriſti nomine brevibus notis contracto inſculptis, quod & in aliis ſepulchris ſæpiſſimè repertum. Facit ad hanc certitudinem comprobandam illud Apocal 7., de Martyribus dictum. *Stabant antè thronum in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*; quæ verba ſic explico ex S.Gregor. lib. 2. in Ezechiel. homil.17. *Quid per palmas, niſi præmia victoriæ deſignantur? Ipſæ quippè dari vincentibus ſolent. Unde & de his, qui in certamine martyrii antiquum hoſtem vicerant, & jam victores in patria gaudebant, ſcriptum eſt: & palmæ in manibus eorum &c.* Paſſim apud Patres hujuſmodi leguntur ſententiæ, ſed unica apud nos prævaleat vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo, quæ in recolendis Beatorum Martyrum natalitiis, ejuſcemodi titulum, & phraſim uſurpare conſuevit: Cujuſlibet enim ſingillatim Martyris, dum glorioſa ejuſdem Sacris in dypticis mentio recurrit, his potiſſimum verbis laudatio concluditur: *Martyrii palmam accepit; martyrii palma coronatus eſt; vel martyrii palmam meruit obtinere*. Qui igitur talem palmam conſecuti dicuntur, benè etiam per palmæ notam diſtinguuntur;

 quia

quia ſicuti hujuſmodi dicendi phraſis ex divinis ſcripturis comparata, & antiquitus ab Eccleſia uſurpata fuit, ità inciſio, & ſculptura palmæ In veteribus Martyrum tumulis, qui ſua paſſione eam aſſecuti ſunt, pari authoritate, more, ac cauſa inducta credenda eſt, atque idcircò minimè pro ambiguo, incertoque ſigno accipienda; Sumimus certiſſimum, indubitatumque Martyrii argumentum ex vitreis, ſeu fictilibus vaſculis, quæ ſacrum Martyrum cruorem oſtentant, ac iiſdem ſepulchris calce obſignata adhærent, vel interiori, ſecretiorique eorumdem loco repoſita cernuntur. Morem hunc quippè, ſanguinem ipſorum, vaſculis hiſce recipere, ac unà cum Martyribus contumulari, latè oſtendunt, & invictis argumentis comprobant Boſius, Severanus, Aringhius, aliique, atque inter plurima, quæ enumerant exempla, inſigne illud memorat cit. Aringh. lib.1. cap.28. de Orientalis gagatis miræ pulchritudinis vaſe, quod in Calixti Cœmeterio juxtà S.Felicis ſepulchrũ, ſanguine ejuſdem Martyris repletum, & aureo panni involucro contectum reperire contigit: quod quidem, ſicut & alia, quæ ſanguinem oſtentant, minimè potuere eſſe lachrymatoria, aut ad excipienda odoramenta, & ſuffitus adhibita; nam obſtat forma, quæ lachrymatoriis minimè convenit, ut benè norunt antiquitatis ſtudioſi; obſtat materies, quæ enim talia unquam ex lapide pretioſo, & tam luculenter parata? Obſtant deniquè quæcumque argumenta, quæ ſuadent nunquam illatos Chriſtianorum ſepulchris ſuffitus, & odoramenta in hujuſcemodi pyxidibus ex altiſſimo, quod eſt apud Authores, ſilentio. Imò luculentis conſtat exemplis de ſanguine; non ſolum, quia id teſtentur S.Ambroſ. exhort. ad Virg., S.Paulinus in vit. S.Ambroſ., paſſimque referat Baronius in not. ad Martyrol., ſed quod aliqua ex iiſdem vaſculis præferant titulum, & inſcriptioné, ſeu S.Martyris, ſeu ejuſdem ſanguinis, qui ibi reconditus fuit, ut videre eſt apud Aringh. Rom. Subter. lib.3. cap.22, pag.497. & ſeqq., certaque docet experientia de omnibus his vaſculis nullo alio liquore, (ſi demas aliqua cum aqua luſtrali appoſita) quam pretioſo Martyrum ſanguine tunc repleta fuiſſe, quo nunc tantummodò tinguntur: Teſtem habes ipſam oculorum fidem, quippè ſi vaſcula eadem poſt tot ſæculorum decurſum Solis radiis obiiciantur, ità ſanguine rubere videbis, ut jam jam è venis dimanaſſe dicas, & ebullientem putes. Si experi-

peri-

perimenta quæras, habes doctum, clariſſimumque virum Leipnitz, (utinam fide & religione nobis conſortem), qui arte Chimica, quam eminenter callet, permiſſu Eminentiſſimi, ac nunquam ſatis laudati Cardinalis Gaſparis Carpinei paucis ab hinc annis materiem his vaſculis adhærentem cum ſublimaſſet, nil niſi verum ſanguinem eſſe aſſeruit. Productis tam noſtris, quam exteris, tum Catholicis, cum Eterodoxis hujus veritatis teſtibus, nulla adhuc de ſanguine dubitatio remanet, qua vaſculorum hujuſcemodi fides uti dubia, & æquivoca minimè ſit admittenda. Sunt & aliæ certæ notæ, quas non recuſamus, ſed libenter amplectimur, aſſerentes pro Martyribus, quibus conſepultum martyrii inſtrumentum cum aliquo vulneris veſtigio. Jam ſiquidem Eccleſia ſub Tyramnorum perſecutionibus triumphante in Martyrum ſanguine, eam viguiſſe conſuetudinem legimus ferreas ungulas, forcipes, ſcorpiones, ſudes, aliaque ad excarnificandos, cruciandos, & neci tandem dandos Martyres barbara inventa iiſdem cum cadaveribus, vel ſaltem propè eorum ſepulchra conſtituendi. Quod ex lege apud Judæos ſancitum fuit reſpectu ligni, in quo reus fuerit ſuſpenſus, ut tradit Rabbi Moſes Ægyptius Majemonidis filius in Opere Jad lib.ult. Galat. Saned. pereſt.15. ob eam ſcilicet rationem, *ne maneret illi malum nomen*: Factum & idem reſpectu Martyrum, licet diverſa ratione, tum ad comprobandum apud poſteros Martyrium, & ipſius Martyrii genus, tum quod diſpoſuiſſet Deus ipſamet inſtrumenta pœnarum ob Martyrum contactum, cum ipſis cadaveribus, quibus adhærebant, honore habenda; imò & perenni Martyrum gloriæ plurimum tributura, teſtante S. Leone Magno ſerm. in Natal. S.Laurent. Martyr., dum inquit: *Quando in honorem transferunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicii*. Hanc aſſertionem, tum antiquarum traditionum argumentis innixam, cum graviſſimorum authoritate virorum fulcitam, experimentis ipſis, & exemplis ità validè confirmat Aringhius, ut minimè opus ſit ulteriori diſquiſitione. Vulneribus, ſi quę detegantur, eadem firmitas, & martyrii certitudo data, puta ſi caput extrà naturalem ordinem ad latus, vel ad pedes poſitum reperiatur, aut aliquid aliud tale, concurrentibus tamen aliis indiciis ſaltem & ſi æquivocis, & per ſe minimè ſufficientibus. Hæc contrà anonymum Hæreticum pro mea erga Sanctam Catholicam Romanam Eccleſiam vene-

ratione, ac impenſiſſimo ſtudio ſatis ſit delibaſſe ex plurimis, quæ paraveram ad retundendas ejus calumnias contra ſummam, & Sacroſanctam Petri Cathedram, cujus communione glorior perpetuò conſociari. Sed quæ in juſtam libelli molem excreſcere debuerant, ſorte factum eſt, ut ſtatim contraherentur, libenterque vices ſuas ceſſerint clariſſimo, & inſignis in Eccleſiaſticis rebus eruditionis viro Alexandro Plouvierio, qui, edito brevi, ſed doctiſſimo tractatu pro defenſa Reliquiarum è Romanis Catacumbis erutarum, acerrimè, invictèque impugnat Euſebium Romanum, ſeù alium, quiſquis ille ſit, qui, ſcripta, atque edita epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum, iiſdem penè, ac Anonymus Anglus, argumentis contrà eaſdem Reliquias fertur, quo fidem, & venerationem earumdem convellat; quo fit etiam, ut unà cum hiſce Reliquiis Romanam Eccleſiam arguat, quaſi magiſtram erroris, utpotè quæ incertos, & fortaſſe fictos Martyres colendos fidelibus, atque ſuper Altaribus in Templis venerandos proponat. Quove magis Plouvierium ſum admiratus, eò dolui Euſebium, ſi famæ fides, hominem Catholicum, pium, ac plurimi inter eruditos nominis ſe in hujus ſententiæ aſſertione junxiſſe Hereticis, & ſic iiſdem penè armis contrà pietatem, & Religionem pugnaſſe, quam ſtrenuè in aliis ſuis operibus tueri viſus eſt. Legi Euſebium, & Plouvierium noſtrum, quem tantum vellem non ità facilè in Euſebii verba conceſſiſſe, ubi ſub primo Epiſtolæ limine affirmat communiter ſepeliri ſolitos in Romanis Catacumbis quoſcumque Chriſtianos, & ſi non Martyres, primorum Eccleſiæ ſæculorum; quia propoſitio hæc, ità genericè ſumpta, non ſolum falſiſſima eſt, ſed plurimi, ejuſdemque lethalis, occulti veneni ſuſpecta, quod ſenſim ſe inſinuat ad lectorum perniciem. Jam enim per hanc notam dictum, compertumque eſt, & contrà Hæreticum oſtenſum Romana Cœmeteria minimè unquam communia fuiſſe Hereticis, Schiſmaticis, & Anathemate perculſis, qui etiam Chriſtiani ſunt, & nuncupatur, ſed tantum conceſſa cadaveribus eorum, qui in communione Eccleſiaſtica defuncti Sanctis Martyribus jure, & loco ſepulturæ meruerunt conſociari: nam & ſi conceſſerim inter hos ſic ſepultos eſſe potuiſſe, ac verè fuiſſe aliquos, qui culpæ lethali obnoxii, in tenebras & in ignem tartareum detruſi æternam fuerint ſortiti damnationem, quandiù id nequaquam conſtet ex

Eccle-

Inſpicies etiam monumenta, & diſce legendum
Libertam, ſcriptam quoties in marmore Libert
Invenies, aliaſque notas, quas plena recenſet
Pagina Gruteri, Sponiuſque, & cætera turba.
Verborum ſeries, & nuda vocabula rerum
Diſce-

NOTÆ.

Eccleſiæ judicio, nec nobis pariter ex ſolo ſuppoſito dijudicandum venit; ſatiſque eſt, ſi omnia cadavera, in eis repoſita, indubitanter Catholicorum eſſe dixerimus, ut compertis certis Martyrii ſignis, atque notis, iiſdemque ex pluribus aliis, forſan æquivocis, ſelectis, tantum habeamus diſtinguendos Martyres à non Martyribus, nam eorum oſſa ibi intacta relinquuntur, nec ad ullum extrahuntur cultum; quibus tamen (ità juvat opinari de primis Chriſtianis) & ſua manet gloria, tum quod in unitate Eccleſiæ obierint, in qua ſola ſalus, & vitaſ cum quod amaverint Sanctis Dei proximè condi, quorum fidem ſi non teſtimonio ſanguinis, certè voluntate, & deſiderio paſſionis, vel etiam invicta confeſſione laudabiliter & ipſi ſunt æmulati.

79. *Inſpicies etiam &c.* Ideſt antiqua marmora ſepulchralia, vel alios quoſcumque lapides inſcriptos, & diſces quomodo legendæ ſint eorum notæ compendioſè ſculptæ.

80. *Libertam &c.* Notarum hujuſcemodi longa ſeries in Gruteri, Sponii, aliorumque, qui tales inſcriptiones congeſſerunt, operibus. Jocum hunc Sectani non ægre attigeris, nam qui fieri poteſt, ut cum legeris Libert. ſtatim non concipias Libertum, vel Libertam: Certè in toto Grutero nil tale: Frequens tantum illud LIB. LIB. Q. POST. Q. E.; vel L.L.P.E. *Libertis, Libertabuſque, Poſteriſque Eorum*: Notarum, ac literarum ſingularium, vocumque abbreviatarum in vetuſtis marmoribus interpretationem habes ad calcem operis Gruteriani cap. 20.

83. *Verborum ſeries &c.* Aliam proponit rationem, qua quiſque doctus videatur: Librorum indices plurimum com-

Diſcere, quæ libri poſtremâ in parte locantur

85. *Sufficit, ut mediis natus videaris Athenis.*

Sed

NOTÆ.

modi ſtudentibus afferre cuique in confeſſo eſt: Maximum verò emolumentum præbent his, qui videri volunt, quod non ſunt; nam nudis eorum vocabulis, & rerum in libris tractatarum titulis imbuti, audent eas proponere, ac ſi materias omnes à ſuis principiis optimè callerent, licet nil aliud noſcant, niſi titulos, quibus fucum faciant quibuſcumq; qui eos loqui audiunt, tanquam magiſtraliter declamantes, ſuaſque viliſſimas merces effronti petulantia exponentes, ubi ſpem lucri eſſe putant. Quanta, bone Deus, horum turba, quanta plebejorum hujuſcemodi doctorum caterva! Scit præ aliis Philodemus talium impoſtorum magiſter.

85. *Sufficit ut mediis &c.* In ſententia Philodemi hoc magnum eſt, nam apud eum plus eſt illudere veritati, quam ipſi veritati mancipari.

85. *Natus videaris &c.* Athenis Græciæ Civitati ſupra reliquas celeberrimæ antiquitus Philoſophię cęterarumque ſcientiarum ſtudia florebant: Ibi maximus, ac toti Orbi notiſſimus Porticus, ubi Plato, & qui poſt eum claruere Græcię Philoſophi, ſuas propoſuere ſententias: In hac Civitate docuit Ariſtoteles, & qui ipſo magiſtro novam philoſofandi rationem amplexi ſunt: Oratoriam artem ibi claruiſſe nemo eſt, qui neſciat: Sic & de reliquis diſciplinis dicendum, ex quibus Athenæ Palladis urbs rectè dictæ fuerunt, nam ea, ut Sapientiæ Dea antiquis venerata fuit. Unde & factum, ut Athenęum non ſolum locus Minervæ ſacer diceretur, ad quem Poetæ, aliique Scriptores Greci ſcripta ſua deferebant, quemadmodum Poetę Latini ad Apollinis templum; ſed pro publico auditorio acciperetur, ad quod conveniebant ſtudioſi, ut aut Poetas recitantes, aut Rhetores declamantes, aut Philoſophos, aliarumve diſciplinarum profeſſores audirent. Favent Jul. Capit. *Ubi adolevit, in Athenęo controverſias declamavit:* & Lamprid. *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum, & Latinorum Rhetorum*

cauſſa

Sed nulli parcat cenſoria lima. Tumore
Statius inſano rumpatur, Virgiliuſque

Non

NOTÆ.

cauſſa proceſſit. Nec omittam Athenas ab ipſa Minerva ſuum nomen accepiſſe, Grçcis enim Ἀθηναία denominata fuit, nec aliter, quam ſub hoc nomine agnita.

86. *Sed nulli parcat &c.* Etiam cenſor maximorum Authorum fieri, magnum virtutis conciliat argumentum, & nulli ex his parcere pluris ad gloriam aucupandam conducit. Scimus id à Philodemo non exanimo dici, & ſaltem optare ſuos diſcipulos aliquantulum indulgentes eſſe erga Græcos Poetas, Lucretium, & Bacconem, quos peramanter ipſe amplectitur. Nec ſanè nos mentiri ſinit; qui cenſura digni ſint, ipſe notat, nec hos, inter illos enumerat: Parcit igitur, mentitur itàque in ſententia proponenda, cum nulli parcendum inſinuat, ni fortè intellexerit de iis, qui maximi apud eruditorum turbam reputantur Authores, nec tamen ipſe recipit, ſed reiicit inter Apocriphos.

86. *Cenſoria lima &c.* Ideſt, caſtigatio: Limam etenim, quæ propriè inſtrumentum fabrile, quo ferrum, aut aliquid aliud terendo expolitur, non ineleganter tribuimus ſcriptis, quibus dicimus deeſſe ultimam limam, cum ſignificare volumus non ſatis terſa eſſe & expolita; Unde lima uti, pro expolire, & caſtigare poſitum, præeunte Ovid. lib. 1. de Ponto.

Scilicet incipiam lima mordacius uti.

Idem de ingenio dictum apud Cic. Volumnio: *Opus eſt hic limatulo & polituło tuo judicio*; necnon de hominis moribus ex eod. de Nat. Deor. *Vir moribus domeſticis, ac noſtrorum hominum urbanitate limatus.*

87. *Statius &c.* Fuit hic illuſtris Poeta Neapolitanus, cognomento Papinius, vixit Domitiani Imperatoris temporibus, Juvenali, atque Martiali æqualis fuit: Sylvarum libros quatuor, Thebaidos libros duodecim compoſuit; & prætereà Achilleidos opus inchoatum, non tamen abſolutum, quippè morte præventus. Scripſit & Agavem tragœdiam, quam inopia coactus

Paridi Hiſtrioni vendidit teſte Juvenalis Satyra 7.

Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

Huic Poetæ vitio tribuit Philodemus, quod nimis tumidus, & ampulloſus ſit, ſecutus aliquorum criticorum ſententiam, qui idem pleno ore dixere.

87. *Tumore rumpatur &c.* Per tranſlationem dicitur ad emphaſim dictioni conciliandam: Tumor ſiquidem de inflatione, ut ex. gr. eſt in hydropicis, qui frequenter, materiæ aquoſæ accremento, cute etiam diſrumpuntur: Cum igitur tumor ad locutionem transfertur, quadam proportione dicitur rumpi, qui tumido ſtylo, verbiſque, ac phraſi loquatur, & ſcribat, & nimia quaſi tenſione diſſiliat.

87. *Virgiliuſque &c.* Forſan quia Author morte præventus ultimam manum tanto operi præbere non potuit, ut habet Author vitæ ejuſdem, unde aliqui verſiculi mutili etiam hodiè leguntur, atque aliquid deſideratur, quod addendum, & emendandum ab ipſo procul dubio omnes cenſent. Æquiorem tamen vellem Philodemum in hunc ſublimem, & veluti Latinæ poeſeos Principem ubique veneratum; & meminiſſe tam veterum, quam recentiorũ Scriptorum calculo divinam ejus poeſim probatam. Divini nomine nuncupavere Macrob. lib. 5. Saturn. *Non mortali, ſed divino ingenio Maro*; Jovinian *Romanę Poeticę Deum* dixit; Statius, *Divinam Æneida*, & poſteà eodem ſpiritu inducit verbum, *adoro*, & Veget. lib. 4. Virgil. *Divino ingenio*; Vnde Scaliger ipſe admiratus divinitatem Virgilianam, perinde atque faſtigium quovis ingenio humano altius, illi aras ſtatuat, tanquam Poetarum Deo, inquiens: *Eſt in eo divinorum ſonus numerorum, & divina phraſis. Nuſquam Muſa Maronis mortale quicquam ſonat.* Huc pertinet dici à Seneca Epiſt. 108. carmen Virgilii debere placere *tanquam miſſum Oraculo*, à Politiano *Mens Cœlo cognata*; Placet & Cœlius lib. 20. Virgilium à literatis omnibus, & ab probis coli, veluti τεμένων ἱερὰ, *templorum ſacra*. Hæc ſatis eſſe debent Philodemo, cui forſan id diſplicere potuit, quod Muret. in Præfat. in Catul. de eo dixerit: *Cui videar injuriam facere, ſi eum ullo modo cum cæteris comparem*: quodve non tantum Homero par habitus fuerit à Seneca in Conſolat. ad Polyb., à Jovian. lib. 1. de Fortuna, à Cœlio lib. 7., & aliis; ſed Homero ipſo major à Macrob., & ex modernis à Muret. in Orat., & à doctiſſimo Scaligero, ubi habet:

Non unâ ſcateat mendâ; puerilia Naſo
Afferat, & Patavinus erit tibi Livius. Omnes
Deni-

NOTÆ.

Virgilius artem ab Homero rudem acceptam lectioris naturæ ſtudiis atque judicio ad ſummum extulit faſtigium perfectionis: quodque per paucis datum eſt, multa detrahendo fecit auctiorem; quodve tandem cunctis Poetis Græcis, præſertim Pindaro, Heſiodo, Apollonio, Theocrito, prælatus fuerit: De Pindaro teſtes Jovinianus in Actio, Scaliger in Critico; de Heſiodo Scaliger in Critico, Politianus in Manto: De Apollonio Delrius in Agamen., Scaliger in Critico: De Theocrito Author Vitæ Virgilianæ, Politianus, & Servius ad Eclog. 1.: Univerſim autem de aliis Rhodig. lib.7., & Landinus. Criminationum porrò quarumcumque, quibus placeat Philodemo Virgilium impetere audiat defenſorem Gulielmum Modicium.

88. *Puerilia Naſo &c.* Aliter Vellejus Paterculus lib. 2. *Tibullusque, & Naſo; perfectiſſimi in forma operis ſui;* Author de Cauſis corruptæ eloquentiæ; *Nec ullus Aſinii, aut Meſſalæ liber tam illuſtris eſt, quam Medea Ovidi;* & Martial. lib. 8.

Non me Pelignus, non ſpernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, ſi quis Alexis erit.

E noſtris uterque Scaliger; Julius Cœſar enim in Hypercritico; *Jam verò ad eum pervenimus locum, in quo ingenii magnitudo, & acumen judicii exercenda ſunt. Quis enim de Ovidio ſatis dignè dicere poſſit, ne dum ut audeat eum reprehendere?* & Joſeph in Prolegomenis Manilianis; *Hoc, ut non mediocre vitium eſt in nitido ſcriptore, ità puri ſunt ab hac labe Principes Poetæ Virgilius, & Ovidius.* Audiendus quoque Muret.in Orat. iratus contrà eos, qui *Ovidium, cui, præter unum Virgilium, Latinorum nemo par fuit, contemnere audent.*

89. *Patavinus &c.* Ferunt de Livio illud frequens in ore Philodemi eſſe, quod ſapiat Patavinitatem: Innovat veterem Aſinii querelam, quam reviviſcere fecit, auxitque novis criminationibus Lipſius, inquiens: *Diffuſus ille, et Placidus in con-*
cioni-

90. *Deniquè ridebis, priſco quos protulit ævo*
Roma viros. Cicero quid? Parcas, ſi lubet, olli.
Eſſe

NOTÆ.

cionibus maximè, & talis omninò qualem Fabius deſcripſit, qui eum magnoperè commendat, et eum Herodoto in concionibus præſertim comparat, ediſcendum pueris, ſuadens, ut Ciceronis imitatorem. Patavinitas ei objecta ab Aſinio; ideſt, ni fallor, ſermonis quædam peregrinitas, nec tam in verbis, quàm ſtylo toto. Nos quoque ſupinum eum alibi, aut frigidum, imò et ταυτόλογον *agnoſcimus &c. At Princeps Cajus tanquàm verboſum, et negligentem notavit.* Contrà Quintilianus, qui Herodoto, Salluſtius, qui Thucididi parem dicunt, & comprobant; plurimum, & celeberrimum de eo S. Hieronym. ad Paulinum teſtimonium ſcribentis; *Ad Titum Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ, Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus, et quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, ut tantam Urbem ingreſſi, aliud extrà Urbem quærerent.*

89. *Omnes &c.* Clara ſententia, qua conſtat nullos Latinos Scriptores in aliquo pretio eſſe apud Philodemum, imò ut riſu dignos, & contemptibiles reiiciendos.

91. *Cicero quid?* Arrogantiam in hac propoſitione, ac ineptiam videtur Lupus agnoſcere. Pingitur itaque interrumpere Philodemi ſermonem, ac de Cicerone interrogare; Benè quidem, nam qui mente ſanus ridendum cenſeat Ciceronem, quem Athenis declamantem cum audierit Poſidonius Græcus Orator, ferunt protinùs exclamaſſe, quod ſolam Græcis dicendi relictàm gloriam videret ad Latinos per eum transferri; Legantur ejus vita apud Plutarchum, & ejus opera per plura volumina digeſta, ex queis merito Patris Latinæ eloquentiæ nomen ſortitum eſſe omnes pleno calamo, veraciterque fatentur.

91. *Parcas, ſi lubet &c.* Philodemi verba ſilentium de Cicerone imperantis: Jocum, Satyramque in Sectano accipe, in
Philo-

Eſſe tamen dices aliquem, cui cedere primas
Roſtra velint, poſſet ſi ſors committere utrumque.

Ma-

NOTÆ.

Philodemo arrogantiam, & vanitatem: Sed quid hoc? Audi ſequentem notam.

92. *Eſſe tamen &c.* Ideſt, ſi de Cicerone loquendum ſit, ſcias, ac dicas volo eſſe aliquem, qui ei primum locum inter Oratores contendat, & experimento probaturum, ſi fortè contigiſſet eos ſimul vixiſſe, ac unà præ roſtris declamare potuiſſe: Quis hic? Philodemus. Ride Lector petulantiam, & inſaniam. Vix tantam in homine vecordiam credidi; atqui ni fama mendax, hanc in ejus ore frequenter eſſe propoſitionem narrant, qui audivere. Gratulor Ciceroni, nam aliquod grave crimen ipſi à Philodemo affingi expectaveram, ac fortè eidem tribui barbariem in dicendo exemplo ſuperbi Rhetoris Ruſi, qui teſte Juven. Satyr. 7. Ciceronem tanquam Allobroga culpavit, loquentem ſcilicet more Allobrogum. En verſus Satyrici:

Sed Ruſum, atque alios cædit ſua quæque juventus:
Ruſum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

92. *Primas &c.* Primas ferre, vel tenere dicitur, qui primum in re aliqua locum obtinet, ex Cic. in Brut. *Ex his Cotta, et Sulpicius cum meo judicio, tum omnium facilè primas tulerunt;* Indè concedere, & deferre primas pro primum locum alicui tribuere. Idem 2. de Orat.: *Non poſſum non ingenio primas concedre,* & 1. de Nat. Deor. *Ad quem Epicurei primas ex noſtris hominibus deferebant.*

93. *Roſtra &c.* Ex quibus declamavit Cicero ſæpè; Roſtra porrò erant templum Romæ in foro ante Curiam Hoſtiliam, pulpitum habens navium Antiatium roſtris ad ornatum, ex quo ad populum concio haberi ſolebat teſte Livio lib. 8. *E roſtriſque earum navium ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, Roſtraque id templum appellatum.*

93. *Si ſors &c.* Caſus extemporalis: Pro ipſa Dea accipitur, ut annotavit Nonius, citans locum Accii ex Andromeda; *Multis, quibus natura prava magis, quàm ſors, aut fortuna obfuit.*

In-

Magna mihi narras Lupe, vix credenda Larino,
95. *Qui ſedet in triviis, & picto dimicat ovo*

Vi-

NOTÆ.

Interdùm pro ipſa fortuna ponitur; Exemplum ex Cicer. ad Attic.4. *Sed de illa ambulatione fors viderit.* Utraque etiam pro Dea, ut apud Terent. in Phor. *O fortuna, ò fors fortuna quantis commoditatibus, quem ſubitò hero meo Antiphoni ope veſtrâ hunc onerastis diem;* Donatus tamen in hunc locum ſic diſtinguit: *Aliud Fortuna, aliud Fors Fortuna. Fortuna dicta eſt incerta res; Fors Fortuna, eventus Fortunæ bonus; Nàm Fors Fortuna Dea habebatur, trans Tyberim ædem habens &c.* Obſerva igitur quàm aptè, & quàm propriè ſemper, & ubique loquatur Satyricus noſter, qui ad ſenſum ſententiæ Philodemicæ non exponit incerto, ſed tuto eventui ejus de Cicerone victoriam.

93. *Committere &c.* Ideſt, ſimul de eloquentia ad certandum jungere, imitat. ductà à pugna, & ab armis; nam pro prœliari frequenter poſitum prœlium committere, dixit etenim Cic. lib.4. Epiſt.famil. *Quo die prælium Panſa commiſit.* Indè appoſitè vox hæc ad pugnam literariam translata.

94. *Magna mihi &c.* Sectantis narratarum rerum magnitudine obſtupefactus, eas incredibiles videtur cenſere; modeſtiam hinc ejus animadverte, qui dictis non excandeſcat, nec bile, iràque rumpatur, nec tantas ineptias ſatyrico furore convellat. Jocatur tantùm, dùm vix credenda ſimplici, viliique cuicumque homini, nedùm experto, atque rerum humanarum perito deprædicat Lupus.

94. *Larino &c.* Viliſſimo homuncione, ſic dicto, forſitan ἀπὸ τῦ λαρῦ, marinà ave, à cujus ſtupiditate homines λάρος laror nuncupamus.

95. *Qui ſedet in triviis &c.* Morem Romanæ Plebis tangit, apud quam venundantur ova ad ſoliditatem elixata, ac rubro colore infecta diebus poſt Paſchalibus: Cuique trivio aſſidet earum venditor.

95. *Et picto dimicat ovo &c.* Eadem Plebs ludum hunc vocat peculiari ſuo idiotiſmo, *giocare à ſcocciatta*: Sic autem luditur,

Vilia laturus victricis præmia cruſtæ.
Sic habet. Ipſe ego ſum teſtis; majora ſuperſunt,
Cum nobis certum ſcribendi tradidit uſum.
Nam poſtquam miſerum culpavit ſæpè Maronem,
Quique novis hominum mutavit corpora formis,
Verba, ait, inſani volitant ludibria venti:
Scri-

NOTÆ.

tur, ut ovuum ovo ſupponatur, & ex pacto invicem collidantur; cui ovum durius minimè frangitur, victor remanet: Indè ex victoria lucrum; nàm ſi ex parte venditoris ea pendet, pretium, & ovum ipſum in ipſius utilitatem cedit, ſi ex altera ovum abſque ullo pretio lucratur: Hinc benè dicitur laturus premia victricis cruſtæ, nam duritiei ipſius cruſtæ victoria debetur.

97. *Sic habet &c.* Aſſertioni tam certæ quis repugnabit, dum ipſe Lupus tantarum ineptiarum teſtem prædicat?

97. *Majora ſuperſunt &c.* Neque hic finis: Majora ſe etiam dicturum ſpondet. Quæ hæc ſint, audiendum eſt.

98. *Cum nobis &c.* Cum ſcilicet, poſtquam dicendorum normam præſcripſit Philodemus ſcribendi rationem certam, & determinatam proponit.

99. *Nàm poſtquam &c.* Nam, dixiſſet Italus, *doppo d'haver detta* (ut ſolet) *un monte di male di Virgilio, & Ovidio,* ut ex ſtatim dicendis habetur.

100. *Quique novis &c.* Intelligit Ovidium ex libro Metamorphoſeon, ubi de hominibus in varias formas commutatis agit per quindecim libros notiſſimos, & cuicumque obvios: Pendent autem hæc verba ex ipſius Ovidii verborum imitatione ſtatim initio ipſius operis propoſitorum.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

101. *Verba, ait, &c.* Optima ſententia, nam citò verba eva-

Scripta manent, ſeroſq; videt membrana nepotes.
Ergo agite, & multas poſthac impunè papyros,
Et

NOTÆ.

evaneſcunt, ni per ſigna, & per literas, æternitati mandentur: Ita diſcere fas eſt ex Auguſt. in princ. Dialect., vbi habet: *Verbum ſcriptum non eſt verbum, ſed verbi ſignum; quatenùs enim negatur nobis diù vivere* (ait Plin. lib. 2. epiſt.) *per has reliquamus opus eſt aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur*. Sed quid? Horatius 2. epiſt.

Sribimus indocti, doctique poemata paſſim.

Satis eſt: Philodemicos Diſcipulos inter doctos enumera, quandoquidèm illabente Numine vi Lucis univerſalis, quaſi divinitùs, omni ſcientiarum genere illuſtrati ſunt. Inter indoctos autem reputa Sectanum cum ſuis aſſeclis, ita etenim placet Philodemo, totique Luminum ſectę, quamvis puſilla, & imbecillis ſit.

101. *Volitant &c.* Quaſi plumæ, aut leviuſculæ aliæ res à vento rapiuntur, atque diſperduntur.

102. *Scripta manent &c.* Futuro ævo conſecrata, uti de tot libris evidenter patet, ex quibus poſt plurima ſæcula eorum authores non tantùm innoteſcunt, ſed admirantur, venerantur que, tanquam optimarum ſcientiarum, & artium Magiſtri.

102. *Seroſque &c.* Nepotes pro poſteris accipe, ſeros autem pro diſtantibus à primo ſtipite, quia tardè, & poſt longum tempus ſuccedant iiſdem. Intellige igitur idem eſſe membranam videre ſeros nepotes, ac libros perpetuò victuros, ac perventuros ad poſteros ſine ulla temporis præſcriptione. In hoc ſenſu nepotes dixit Virgil. Æneid. 6.

Fortè recenſebat numerum, caroſque nepotes,
Fata, fortunaſque virum, moreſque, manuſque.

103. *Ergo agite &c.* Animum ad opus addit, quia nil timendum, pluraque ſperanda. Ad minimum illud fortè conſequendum ſubobſcurè innuit, ut inde aliquod proveniat lucellum, ſive vendere chartas contingat ad uſum Flabellorum, ſive proponere luſcis ad cantilenam: Hac inferimus ex alibi dictis in his

Sa.

Et liceat totas calamo percurrere chartas,
105. *Me duce; neve tua formident thura tabellæ;*
Quicquid moliris, tumeat, moveatur, & artus,
Et

Notæ.

Satyris, ubi clarius de hac re loquitur Sectanus.

104. *Et liceat &c.* Ideſt: Quantas vobis libuerit chartas calamo conſpurcate, ſcribiteque copioſa,& farraginoſa volumina; omnia, hæc vobis benè cedent. Rationem ſcribendi iuſtà veterem morem tetigimus Satyra ſexta: Hic animadvertimus tangi non tantum antiquum, ſed etiam modernum: Ceſſante enim uſu tabularum ceratarum, codicum, & ſimilium, ceſſauit etiam mos ſtylo ferreo ſcribendi, de quo eadem Satyra: His ſubſtituere chartam, ſeu membranaceam, ſeu cujuſcumque alterius generis, quam non graphio conſignavere, ſed calamo atramento imbuto characteres efformare cœperunt.

105. *Me duce &c.* Quo nullus alius melior, ac doctior peniciores Philoſophiæ, ac cæterarum ſcientiarum theſauros revelabit, ac invicta liberalitate donabit, itàut tutè in cœlum per gloriæ tramitem evolare poſſis.

105. *Neve tuæ &c.* Neque tibi timendum eſt aliquod tuis chartis, ac elucubrationibus eventurum infortunium, quale aliquibus accidit, quorum ſcripta in uſum Pharmacopolarum, ac ſalſamentariorum ceſſere tandem ad involvendas viliſſimas merces.

106. *Quidquid moliris &c.* Audi Philodemica præcepta: Quidquid agas, fac ut grandi, tumidoque ſtylo elevetur, vividum, ac vegetum ſit, nec langueat, omnique ſui parte ità benè conveniat, & exultet, ut videatur moveri, membris componi, ac voces proferre, & ſi omnia hæc à natura illi negentur, ideſt, naturaliter non habeat. *Moliris*, dixit, ad efficaciam dictioni tribuendam, molior enim non eſt ſimpliciter, ſed ægrè movere, & cum magno conatu; ut fit de magnis molibus: Indè translatum etiam ad ingenium, cum aliquod difficile ipſum agere dicimus.

106. *Mo-*

Et voces habeat, quamquàm natura negarit.
Si verno umbroſam deſcribis tempore ripam,
Fronde comas cingat, viridique tenerrima labro
Rideat, & nudas invitet margine Nymphas:
Sic

NOTÆ.

106. *Moveatur & artus &c.* Perſiſtit in metaphora à corpore naturali ductà, cui moveri, artubus componi, & voces emittere proprium eſt.

108. *Si verno umbroſam &c.* Exemplum proponit, videlicet, quod ſi ver, & in vere ripam fluminis virentibus arboribus conſitam, umbroſamque deſcribere contingit, nolis vulgaria de ea proferre.

109. *Fronde comas &c.* Sed metaphoricè loquendo fac, ut dicas arbores fronde comas cingere: Ità translatè, eleganterque Virgil. 2. Georg. imitaberis, ubi de Vitibus.

Tum ſtringe comas, tum brachia tonde.

Facit & Plin. lib. de animal., quæ idonea ad ſacrificium: *Veluti arboris ſuperſluos ramos, capillos capitis detondit, atque igni tradidit.* Sed quid moror in re notiſſima, cum paſſim apud Poetas arborum frondes comas nuncupari certiſſimum ſit?

109. *Viridique tenerrima &c.* Ideſt tenerà herbà conſperſa, atque virens: Perſiſtit in metaphora, labrum pro margine dicit, veluti de molli virgine locuturus: Labra pro fluviorum marginibus poſita docent Authores, à quibus libenter abſtineo, quia ubique obvia; ſumpta eſt metaphora ab humano corpore, in quo labra oris extremitates, & vallum quoddam tegendis dentibus à natura datum, quod fluminum reſpectu marginibus tribuitur.

110. *Rideat &c.* Luſere in hac metaphora tam Græci, quàm Latini, ubi de vere actum, Homer. Iliad. 19. *γέλασσε χθὼν: riſit tellus.* Oppian. 1. Nal. *ἔαρος ὧραι γελάσωσιν: Veris horæ riſerint,* & 1. Epigr. *μείδησε ἔαρος ὥρη, riſit veris hora.* Pergo ad Latinos. Horat. 2. Od. 6.

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet.

Cla-

Sic flores riſum telluris, & aſtra vocabis *Pur-*

NOTÆ.

Claudian. 1. Ruf.

Ridebunt virides gemmis naſcentibus algæ.

Martial. lib. 10. epiſt. 51. *Ridet ager*. Petron. in Satyr.

Albaque de viridi riſerunt lilia prato.

Et Maximian. apud Delr. in Oet. Senec. *Veris honos, tepidi flores, vere omnia rident.*

110. *Et nudas &c.* Najades reſpicere videtur, quæ fluviorum nymphæ, & flumina inhabitaſſe feruntur, ſic dictæ παρὰ νάω *fluo*, quod proprium aquarum eſt: Ita ex Virgil. 4. verſ. 381.

Simul ipſa precatur
Oceanumque Patrem rerum, Nymphaſque ſorores,
Centum quæ ſylvas, centum quæ flumina ſervant.

110. *Invitant &c.* Ad ſe oblectandum, ſpatiandum, & ludendum ſuper ipſas herbas virentes, teneraſque.

111. *Sic flores &c.* Huc referenda, quæ dixi not. 110. verſ. *Rideat &c.* etiam potiori ratione ex eo deducta, quod flos propriè veri conveniat, habitumque ejus nomen aliqui putent, quod ſingulari prærogativà ſupra ipſas herbas emineat, ſcintillet, & emicet, uti flamma ipſa à voce φλὸξ, quæ ſonat flammam ex igne ſuſcitatam, ſic dictam à verbo φλέγω, quod eſt *fluo*.

111. *Et aſtra vocabis &c.* Puto à Poeta innui mutuum inter flores, & ignem vinculum, referendo hanc metaphoram ad fulgorem; eſt enim omnis ſplendor naturæ igneæ; atqui ignea dicuntur florere: benè igitur convenit ſtellis, quas à naturà ignea, quà componuntur, ignes celeſtes nuncupavit Macrob. in ſomn. Scipion. l. 1. cap. 14. Quod autem diximus *florere* dictum de fulgore omni, innumeris comprobatur exemplis. Lucret. lib. 4.

Florentia lumina flammis.

Et lib. 1.

Donec flammai fulſerunt flore coorto.

Purpureos Cœli flores, tremuloſque Pyropos.
Sed nunquam propriè dices communia; ſordent
Ver-

NOTÆ.

Stat. 1. Thebaid.

Florentes igne ſmaragdos.

Claudian. in Magnete:

Quo lumine floreat arcus.

Martial. lib. 2.

Florem ignis.

Quod & Græcis commune; nam Homerus habet πυρὸς ἄνθος. Vnde quidam cum Griphanio conveniunt, cenſentes locum Virgil.

Quęrit pars ſemina flammæ &c.

ad metaphoram referendum, quia videlicet, quæ fulgori, & igni dantur ab Authoribus, ſub verbo florere optimè exprimantur; Undè ſicut ii dant igni *florem*, ità Virgilius *ſemina* tribuat.

112. *Tremuloſque Pyropos &c.* Pyropus gemma, quæ carbunculi nomen ſortita, quia flammæ colorem, ſplendoremque refert; Πυρωπὸς etenim factus eſt à Πῦρ ignis; Hinc Ovidius 7. Metam.

Flammas imitante Pyropo.

Metaphora autem, quà hoc loco uſus Sectanus, eamdem rationem, proportionemque habet, quam ſuperiùs expreſſa.

113. *Sed nunquam propriè &c.* Minimè dubium, quin his metaphoris aliquandò ſua opera decoraverint veteres Poetæ, quemadmodùm certum etiam eſt, nec eas omninò frequentes, nec ubique adhibitas. Jocus igitur, & cenſura Sectani in eo ſita eſt, ut reprehendat iis abutentes, & forſitan illudat Philodemo, quod immoderatè geſtiat ſuis poeticis elucubrationibus hac via dignitatem, & majeſtatem conciliare. Vndè in ejus ſenſu affabrè concludit, minimè communia dicenda, ideſt phraſi communiter recepta, nec à vulgari loquendi modo aliena.

113. *Sordent &c.* Addit ſiquidem nullius pretii, viliſſimæ ex-

Verſiculi tenues, exiles, & monogrammi,
Qui fulcris reptant, & de ſermone pedeſtri
Erectos nequeunt ad ſydera tollere vultus.
Nec ſi incipias. Terram verſabat aratro
Principio mortale genus, viridique ſub ulmo
Dulcia ſecuræ carpebat gaudia vitæ.
Hoc facilè in triviis dicet Petaſinus, & Ollus,
Nec

NOTÆ.

extimationis, ac cõtemptibiles verſus eſſe, qui minimè tumeant, tùm ſententià, tùm verbis.

114. *Monogrammi &c.* Quaſi delineati tantùm, non additis reliquis, quæ juſtam picturam abſolvant, ſecundùm propriam hujus vocis ſignificationem; quà factum, ut ipſamet quoque de macilentis, extenuatis, deformibuſque pronuncietur. Certè ex hoc fonte derivatum, ut apud Cic. lib. 5. cap. 19. *Dii Monogrammi* ab Epicuro dicerentur; Sic verſiculi Monogrammi, qui imperfecti, nec ſe ultrà mediocritatem extollunt, ſed quaſi repunt.

115. *Qui fulcris reptant &c.* Qui indigent ſubſtentaculis, & forſan mendicatis epithetis, parùmque aptis fulciuntur, cęterum ruituri.

115. *Et de ſermone pedeſtri &c.* Et nil niſi vulgare, vileque ſapiunt, nec videntur Phębo inſpirante dictati.

117. *Nec ſic incipias &c.* Exemplum novum profert: Admonetque, quæ methodus ſervanda: Si enim initium ſermonis quis ordiretur per hæc verba. Principio genus mortale verſabat terram aratro, & ſub ulmo viridi carpebat gaudia ſecuræ vitæ; ſanè (inquit ille) plebejo ore loquitur, nec quicquam plauſus, & extimationis meretur, nàm aliter vulgariſſimi homuuciones minimè loquuntur in triviis, plateis, & compitis.

120. *Petaſinus &c.* Intellige de homine plebejo, ac infimę ſortis; fortaſſe à petaſone ſic dicto, quia petaſonum venditor,

Nec quidquam prægrandis habet, verique coloris.
Aude ſic potiùs. Communis viſceră matris

Ru-

NOTÆ.

& inter eos connumerando, qui ſalſamenta per Urbem vendendo incedunt.

120. *Et Ollus &c.* Ejuſdem conditionis Ollus; licèt ſub hoc nomine veteres agnoverint quem iam vicorum magiſtrum Romæ ad decimam tertiam Regionem, uti habetur apud Grut. pag.250. in ſiniſtro latere prægrandis marmoris ſub porticu Domus Conſervatorum in Capitolio.

VICO . TRIVM . ALITVM	
L. FABNIVS .	L. L. LAVRENTINVS
L. CORNELIVS	P. F. VIATOR .
Q. POSTHVMIVS	Ↄ. L. CREPNOS
L. OLLVS	L. L. PRIMITIVVS

Dixerim à vendendis oleribus ità nuncupatum, ut ille à vendendo petaſones, & ſalſamentaria; Ollum autem duplici ll. poſitum ad metri regulas ſervandas.

121. *Nec quidquam prægrandis &c.* Ideſt, magnifici, & quod veræ artis oratoriæ majeſtati, atque decori condeceat.

121. *Verique coloris &c.* Colores apud Rhetores dicuntur ornamenta orationis, quæ apud Græcos χρώματα, & τρόποι appellantur docente Cic. lib.6. ad Attic. *Hunc omnibus à me pictum artis coloribus, ſubitò deformatum, non ſine magno dolore vidi.*

122. *Aude ſic potius &c.* Nempè, audacter, ac maximo conatu, arteque incipe, ac eloquere.

122. *Communis &c.* Terram matris nomen ſortitam admonet Plin. lib.9. inquiens: *Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium eximia propter merita cognomen indicimus maternæ venerationis. Nos naſcentes excipit, natos alit, ſemel editos ſuſtinet, & ſemper noviſſimè complexa gremio, iùm ab reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operiens.* Vide quæ latè dicta ſunt Sa-

tyr.

Ruſticus inſonti ferro lacerabat Oreſtes,

Ede-

NOTÆ.

tyr.7., ubi de Marmore Pighiano fuſius diſſerui, nàm plurima attuli ad rem hanc apprimè facientia.

122. *Viſcera &c.* Ideſt loca terræ penitiora, interioraque ex imit. Ovid.2. Metamor.

Nec tantùm ſegetes, alimentaque debita dives
Poſcebatur humus, ſed itum eſt in viſcera terræ.

Undè & viſcera montis apud Virgil. lib.8. Æneid.

Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis.

123. *Ruſticus inſonti &c.* Quia ferrum ex ſui primordio ad fodiendam, colendamque terram in aratrum efformatum publico, communique hominum beneficio: Huic uſui accommodatum, innocens, & innoxium, imò beneficum; aliter quando ex ferro enſes, & arma fabrefacta, ad mortalis generis excidium comparata fuere. De ferri inventoribus diverſimodè ſenſere Authores. Chalybibus tribuere Virg.1.Georg.

Et Chalybes nudi ferrum.

Ammianus lib.22. *Chalybes, per quos erutum, et domitum eſt primum ferrum.* Appollon.2. Argon. qui de illis τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται: *Incumbunt hi in ferri opus.* Æſchyl. qui in Prometh. Chalybas vocat σιδηροτέκτονας, ferri opifices; Diverſimodè ſentit Plin. lib.7. cap.56. *Ferrum* (inquit) *Heſiodus in Creta eos, qui dicuntur Dactyli Idæi*, & poſt eum Strabo lib.10., qui pro ſe Sophoclem adducit, ſcribit: *Hi ferrum invenere primum, et fabricarunt.* Alii aliter cenſuere. Placet Strabo, qui Chalybas ferri inventores, ait eſſe illos, qui poſteà dicti Chaldei; nam iidem cum Hæbreis confunduntur, apud quos ſcribit Moſes in Divina Hiſtoria Tubalcainum Lamechi e Sella filium ferrariæ artis inventorem fuiſſe; ex quo lux affertur Diodo: Siculo dicenti lib.1. ſecundùm Sacerdotes Ægyptios primum in Ægypto regnaſſe Vulcanum, eique poſt mortem divinos honores attributos ob repertum ignis in arte fabrili uſum; Undè enim Vulcanus, niſi ex Tubalcaino per mutationem vocalis B., ut fieri ſolet, in V converſæ, & principe ſyllabà reciſà. Ad rectam redeo, undè ſenſim diverteram.

123. *Oreſtes &c.* Pro quolibet ruſtico, & agrorum cultore:

Ederet ut dulces prægnanti corpore fœtus,

NOTÆ.

Hoc ad agriculturæ laudem pertinet, quæ in magna dignitate fuit apud primos patres, nàm totus populus Hæbraicus agriculturam exercebat, donec peteret Regem, & Samuel juſſu Dei ei diceret, quod Rex agros, vineas, & oliveta optima tolleret, & daret ea ſervis ſuis, & ſegetes eorum addecimaret. Totum hoc ſcribitur 1. Reg. 8. Addo Cyrum Perſarum Regem, primoſque Reges Romanos Agricolas fuiſſe: Arcades mortalium omnium antiquiſſimos ſe jactantes, Paſtores fuiſſe, & agriculturam exercuiſſe, imò & quod.

Pan (Deus Arcadiæ) curat oves, oviumque magiſtros.

A pluribus, quæ ſeſe offerunt, & rei conveniunt, abſtineo.

123. *Lacerabat &c.* Lacerare hoc loco eſt, terram fodiendo colere, atque arare: Translatè dictum, nàm eſt dirumpere, & conſcindere, ut fit de terra, cum aratro diſcinditur, evertitur, ac ex omni parte vomere finditur.

124. *Ederet dulces &c.* Cum reſpectu ad maturitatem, & ad ſaporem ejuſdem fructus, ſive ſint poma, ſive ſint fruges, ſive tandem olera, quæ ex terræ aſſiduà culturà ſylveſtrem qualitatem amittunt, ac mitia, & dulciora fiunt. Hæc omnia complectitur vox fœtus, translatè inducta ab homine, ſive belluà, quæ dicuntur fœtum emittere cum pariunt, à fovendo; quoniam dùm fetus in utero eſt, imò & poſtquàm eductus, à matre fovetur, ideſt calefit. Indè etiam ad inanima tractus ſignificanda, nam arborum fœtus paſſim legimus, & fœnum terræ fetum vocamus. Juvat illud Cic. 2. de Orat. *Edit fœtus meliores, et grandiores ager*. Item & Virgil. 1. Georg. verſ. 55.

Arborei fœtus alibi, et injuſſa vireſcunt
Gramina.

Et lib. 2. ejuſdem verſ. 429.

Nec minus intereà fœtu nemus omne graveſcit.

Quo in loco Virgilius ſumptà metaphorà à prægnantibus, quæ & gravidæ nuncupantur, videtur omninò pràcisè noſtrum Secta-

125. *Et circum patulas ſrondoſa palatia quercus*

Pen-

Notæ.

ctanum, qui de terra frugibus conſità ait, *prægnanti corpore*. Faciunt ad rem. Prudent. lib.2. contr. Symmach.

Gravidis ſe veſtiet æquor ariſtis.

Theophraſ. 1. Cauſ. cap.6. de arborib. κυόντων, *fœtu gravidis*. Iterùm τῷ ἐγκύειν, *partu*: Ita illud *parturit arbos*; Adde Virgil. lib.2. Georg., qui ſcripſit *gravidas fruges*. Hoc autem non tantùm convenire arboribus, & frugibus propriè fructu onuſtis, ſed ipſi terræ, à qua herbæ, fruges, arbores in ſemine excipiuntur, ut foveat, vegetet, nutriat, ac emittat certum eſt.

124. *Corpore &c.* Generaliter dicitur ſubſtantia omnis viſu, tactuque perceptibilis; Quia tamen adhùc in metaphorà Authorem perſiſtere minimè dubium; dicendum etiam corpus pro utero poſuiſſe, in eo enim propriè concipitur fetus; unde uterum ferre dicuntur mulieres, quæ gravidæ ſunt.

125. *Et circum patulas &c.* Arbor patula dicitur, quæ grandibus ramis diffunditur in ambitum, patetque in omnem partem, nec cuncata eſt. Hunc ſenſum reſpexiſſe Poetam noſtrum omninò certum, nam ſubdit frondoſa palatia, velut ad inhabitandum propoſita, ac Solis ardorem, radioſque prohibentem ad æſtum vitandum. Præ oculis habuiſſe videtur Virgil., qui ſuum Tityrum facit recubantem ad umbram fagi patulę Eclog.1. verſ.1.

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

125. *Frondoſa palatia &c.* Hyperbolicam dictionem agnoſce; & forſan reſpectum ad auream illam ætatem, quà ſub dio, vel ſub arboribus homines domum ſibi, atque habitaculum conſtituerant; argenteà ſiquidem ætate, Saturnoque in Tartara miſſo, inquit Ovid. 1. Metam.

Ventis glacies adſtricta pependit;
Tùm primum ſubiere domos: domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & vincta cortice virga.

 126. *Ri-*

Pendula flammiferæ ridebat ſulphura dextræ.

Quam

NOTÆ.

126. *Ridebat &c.* Ideſt deridebat: Translatè ab homine, cujus proprium eſt ridere, ac conſequenter irridere; Itaut ſit ſenſus; Ruſticus ille Oreſtes defenſus umbrà frondoſæ quercus, Solis radios irridebat. In ſimili dixit Stat. 3. Sylvar.

Patulà defendimus arbore ſoles.

126. *Sulphura &c.* Pro radiis, à quibus calor in Orbem diffunditur, vel pro ipſo maximo calore ex ipſis radiis proveniente, quo defendimur arborum ſpiſſitudine, & domorum receptaculis; Violentam hanc metaphoram nimis eſſe minimè dubium, ſed quæ Sectani artem mirè patefaciat, & extollat, nam propoſito ſubiecto optimè convenit; Sulphuris enim materia ignea omninò eſt, ut omnibus notum experientià etiam duce.

126. *Flammiferæ dextræ &c.* Videlicet Solis, quia vi proprii caloris, cum ſuprà nos elevatur, quamdam quaſi flammam infert ſuper terram. Id experimento comprobatur præcipuè in torrida zona, quæ etſi habitabilis ſit contra ſententiam veterum, qui teſte Macrob. in ſomn. Scip. lib. 2. cap. 7. cenſuerunt flammis ſemper obnoxiam; *Quia Sol totius æthere flammæ, et fons, & adminiſtrator nunquam relinquat,* tamen ejus habitatores maximè calore cruciari narrant, qui novum Orbem illuſtri, difficilique navigatione appulerunt.

126. *Dextræ &c.* Ad ejus vim explicandam: Dextræ enim virtus, aptitudoque efficacior quam in ſiniſtra; Indè, ut puto, viri pugnaces, & fortes dextri dicti ſunt apud Interpret. Ariſtoph. in Ran. dicentem; δεξιοὺς νομίζουσι τοὺς ἐστρατευμένους; *putans dextros eſſe viros pugnaces;* Ab hac aptitudine, & vi ait Ovid. de Jove.

Qui fera terribili jaculatur fulmina dextrà;

Et Virgil. 11. Æneid.

Haſtaſque reductis
Protendunt longè dextris, et ſpicula vibrant.

127. *Quam*

Quam ſapit hoc! ſcalpitque animos, intratque medullas!

Eſt quædam veluti formoſa puella Poeſis,

Col-

NOTÆ.

127. *Quam ſapit &c.* Sibi gratulatur Philodemus de re tam bellè propoſita; Sapere propriè ſpectat ad ſenſum guſtus, diciturque res ipſa ſapere, quæ habet in ſe aliquem ſaporem. Transfertur ad animum, ac etiam, ut hic, ad rectam ſententiam, ſeu opinionem. Omitto exempla in re notiſſima.

127. *Scalpitque &c.* Fricat, & levi attritu prurientem ſcabit partem. Animi pruritum, & quemdam quaſi motum ſupponit, quando ſcilicet audiuntur, quæ animum movere poſſunt ad guſtum ex dictis concipiendum, ut fit reſpectu corporis, quando ſanguis caleſcit, ſeu ex concepta voluptate, ſeu ex intemperie aliquâ.

127. *Intratque medullas &c.* Ad ima præcordia penetrat; quia medulla in oſſibus media eſt; diciturque intrare medullas ſermo, qui altè, & firmiter menti inſederit. Ità Philodemus; aliter Perſius Satyr. 1., qui vanitatem Poeticam mordet eorum, qui nimiam ſoni, & concinnitatis verborum, nullam ſubjectæ ſententiæ rationem habeant; & verſus temerè effuſos, inſulſos, turgidos, & affectatos edunt.

Sed numeris decor eſt, et junctura addita crudis;
Claudere ſic verſum didicit; Berecynthius Atys,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin:

Et alia, quæ ſequuntur, carmina à verſ. 95. ad 107., quæ mitto.

128. *Eſt quædam &c.* Urget ulterius Satyricus ex perſona, & ex mente Philodemi: Poeſim dicit ſimilem Virgini formoſæ quidem, ſed ruri natæ, quæ ſi non Urbis cultu expoliatur, ruſtica, & neglecta inter patrios fines manet; Matrona autem, nobiliſque, ac pulcherrima evadit, ſi decoro habitu incedat, ornataque palla veſtiatur. Nunc ad partes.

128. *Poeſis veluti formoſa &c.* Poeſim duplici prærogativâ ornat, Virginitate, & pulchritudine; Quoad primam videtur

rela-

relationem habuiſſe ad Muſas, quas filias Jovis, & Memoriæ dixere Poetæ, eaſdem Virgines, ac Poetis præeſſe voluerunt; Tribuerunt porrò cuique ſuam ſpecialiſſimam proprietatem in pangendis carminibus; Calliopem dixerunt à bonitate vocis, nam *κάλον bonum*, *ὄψ vox*: Clion à gloria, & celebritate rerum geſtarum, quas canit, *κλείω celebrare* eſt: Eraton vel à canendis amoribus, vel quod cantus ab omnibus deſideretur, *ἐράω* enim ſignificat *amo*; Thaliam à voluptate, & laſcivia cantus; *θάλλειν* etenim *virere* & *florere* eſt; Melpomenen à canendo, & modulando, *μέλπομαι* ſiquidem eſt *canto*. Terpſichorem *ἀπὸ τοῦ τέρπειν χόρους* à delectandis choreis; Euterpen à ſuavitate concentus *εὖ* enim *benè*, *τέρπειν delectare*, Polymniam à multitudine cantus, quia *πολὺ multum*, *ὑμνέω canto*, & *laudo* ſonat; Uraniam tandem à cœleſtium rerum cantu, *οὐρανὸν* ſiquidem Græci *Cœlum* vocant. Vide ut in eis tota poeſis ratio contineatur. Placet & in medium proferre Virgilii verſus.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit,
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.
Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget,
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Urania Cœli motus ſcrutatur, et Aſtra
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Pulchram omnes Authores eſſe poeſim cenſuere, atque dixerunt, his adde, qui eam in Muſis agnovere, quarum formoſitatem ipſa juventa juvare dicta fuit. Inde puellarum nomine decoratæ verſiculis veteris Poetæ apud S. Auguſtinum lib. 3. Muſic.

Cunctæ igitur Camœnæ
Fonticulæ puellæ,
Quæ canitis ſub antris
Mellifluos ſonores.

129. Cal-

Collibus Albanis, ventoſo aut Tibure nata;
Quam ſi non Urbis genius, luxuſque polivit,
In-

NOTÆ.

129. *Collibus Albanis &c.* Albanus mons veteri Albe ſuperpoſitus eſt ad lacum Albanum; totus nemoroſus, & incultus. De eo Virgil. Æneid. 12. verſ. 134.

At Juno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo campum ſpectabat.

129. *Ventoſo Tibure &c.* Ventorum flatibus expoſito; Stephan. Byzan. Civitatem dicit in Sabinis, 16. ab Urbe lapide, crebris fontibus irriguam, & ſingularis aeris temperie commendatam. De ea Ovid. 4. Faſtor.

Mœnia Tiburis udi.

Juvenal. Sat. 3. verſ. 192.

Aut proni Tiburis arce.

Quia de Urbe præcipiti, quæ in declivi, longè ex intervallo montis poſita, videntibus menti ſimillima erat. Nuncupat autem Virgil. 7. Æneid. Tibur ſuperbum, innuens forſitan, ut ſcribit Servius, *quod cum aliquando à Senatu auxilia poſcerent Tiburtes ſub commemoratione beneficiorum, hoc tantum à Senatu reſponſum acceperunt; Superbi eſtis.*

130. *Quam ſi non &c.* Poteſt accipi Genius hoc loco pro voluptatis, & naturæ Deo, ac etiam pro ipſa voluptate, & natura; vel potius pro gratia, lepore, & venuſtate. Utcumque explicetur dici poteſt ad Satyrici noſtri explicationem, quod is ſenſus verbis ejuſdem ſit; Quod ſi ex Urbis natura, gratia, leporeque ad exuendum veterem, ruſticumque habitum poeſis non cogatur, novumque, ac ornatulum veſtire, deſpicietur, & veluti vilis paſtor ad ſolita paſcua egredietur.

130. *Urbis &c.* Urbs antonomaſticè Roma, teſte Quintil. lib. 8. cap. 2., qui reſpectu ejuſdem reliqua Oppida nuncupavit. Lege Livium, alioſque Romanæ hiſtoriæ Scriptores, qui habent paſſim.

130. *Polivit &c.* Id eſt ornavit, & in Civem elegit; nam

A[illegible]

Incultis neglecta comis ad paſcua cogit
Errantes pecudes, patrioque ſeneſcit agello.
Fac eadem longos ferro tortore capillos
Col-

NOTÆ.

Agricolæ aborrens, ait Cic. 4. de fin., *à politiore elegantia*.

131. *Incultis neglecta comis &c.* Ideſt incompta, capilliſque per humeros diffuſis, impexis, & incompoſitis, ut gens ruſtica ferre ſolet; Tranſlatè ad Poeſim, cui incompoſita coma eſt verſus nullo ornatu verborum, ſententiarumque concinnatus.

131. *Ad paſcua cogit &c.* Humilis ſemper permanet, velut quæ paſtoritio munere incumbens ad ovium paſcendarum curam eſt per totius vitæ curſum deſtinata.

132. *Patrioque ſeneſcit &c.* Abſque ulterioris, majoriſque gradus conſequendi ſpe, atque meritis jacet obſcura, & ignobilis uſque ad ſenium & obitum.

133. *Fac eadem &c.* Si vero comas alere, in cincinnos vertere, & ordine in faſtigium diſponere cæperit & ſtuduerit, ſi matronali veſte incedet, ſtatim nomen & famam egregiæ viraginis aſſequitur, & nobilium amoribus honeſtatur.

133. *Ferro tortore &c.* Quod antiquitus ſtylo ferreo, ſeu vitreo in uſu eſſet ad decorem, & ornatum criſpare capillos aliquid alibi dixi. Addo iſtrumentum hoc nuncupatum fuiſſe calamiſtrum, ignique eo calefacto capillos intorqueri, quia vis criſpationis tota à calore; Inde Plin. cap. 78. lib. 2. de Æthiopibus ait; *vicini ſyderis vapore torreri, aduſtiſque ſimiles gigni barba, et capillo vibrato.* Quamobrem dicuntur Horatio Satyr. 1. lib. 1. *Ciniſiones*, qui capillos vibrant, quia hoc faciunt calefacto ferro in cinere. Ab eadem re Catullus in Epithal., Plaut. in Aulul., Senec. de Conſtant. Sapient. cap. 14., & Tertul. lib. 2. ad uxorem. Martialis quoque lib. 14. epig. 26.

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos.

Ubi voces *Cauſtica*, & *accendit* pertinent ad hanc rem. Hunc uſum in fœminis agnoſcit Arnob. lib. 2., quia reprehendit in hominibus; *Nec formis erubeſcerent maſculorum calamiſtris vibrare*

Colligat in nodum, ſpatioſam ſerica frontem

Ædi-

Notæ.

brare cæſariem. In quo Scriptore *formis calamiſtris* eſt, *calidis, & ferventibus calamiſtris*; nam antiqui *forma* dicebant *calida*; inde formucapes; quod poſteà forcipes, qui forma caperent, ideſt calida. Eſſe verò in maſculis hanc notam vitæ corruptiſſimæ, & ideò obiici à Virgilio Æneæ lib.12. certiſſimum eſt: Ità in ſimili Cic. pro Sexto; *Conſul unguentis delibutus, calamiſtrata coma*; & Tertull. de fœmin. cultu, ità damnans hanc molliciem ſcribit; *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet; modò ſubſtrictis, modò elaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis?* In quo Scriptore ſuſcitationem poſſum interpretari de vibratione. Nam idem lib.2. ad uxorem *Cinerariis peregrinæ proceritatis*; Cum ergo proceritas à Ciniflone, & Cinerario; videtur quoque ſuſcitatio eo referenda. Hæc mutuavi à Ludov. de la Cerda in comm. ad loc. Virgil. Æneid. 12.

Vibratos calido ferro.

Sciant omnes cui debeam.

134. *Colligat in nodum &c.* Quis nam veteribus Virginibus, matroniſque capillorum ornatus ex erudito Bonarroto hauſi ad Nummiſma I. Maſſimini, quo tres monetæ repreſentantur, ut videre eſt in proximo ejuſdem icone.



Quan-

Quandoquidem earum media, ut optimè, doctèque obſervat, ſimplici capitis ornatu, capilliſque tantum in nodum collectis, virginalique puriſſima veſte decorata conſpicitur; in reliquis autem hinc indè poſitis eſt caput matronali faſtigio decoratum, ac ædificatum, ut ait Juven. Sat. 6. verſ. 501.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis;
Poſt minor eſt: credas aliam.

Diverſitatem hanc firmat idem meus Bonarrotus authoritate Pauſaniæ lib. 8. pag 486. ſcribentis Leucippum induiſſe virginalem veſtem, ſibique comam obſtrinxiſſe eo modo, quo moris erat Virginibus: qui quidem modus erat capillos in nodum colligendo, ut habet idem Pauſanias lib. 10. pag. 659, ubi Trojanum Bellum à Polignoto pictum deſcribens, ait: *Πολυξένη δὲ κατὰ τὰ εἰθισμένα παρθένοις ἀναπέπλεκται τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ θρίχας: Polyxena virginum more collecto in nodum crine.* Et ne putes id tantum ad morem Grecorum ſpectaſſe, quamvis id commune Latinis perſpicuè demonſtret ſuprà relatum Nummiſma, confirmetque Nummus alter laudatiſſimi Cardinalis Carpinei Aurelii Cœſaris juſſu cuſum, in quo Dea Juventutis capillis eodem modo collectis in nodum repreſentatur, affert Bonarrotus Tertulliani teſtimonium lib. de Veland. Virgin. cap. 12., ubi Chriſtianas virgines reprehendens, quæ extrinſecus ornamenta nuptarum affectarent, oſtendit minimè ſolitas fuiſſe virgines in annulos torquere capillos, & ſimul contexere, ac concludit: *Quid quod etiam hæ noſtræ, etiam habitu mutationem ætatis confitentur, ſimulque ſe mulieres intellexerunt, de virginibus educantur, à capite quidem ipſo deponentes, quod fuerunt. Vertunt capillum in acu laſciviore, comam ſibi inferunt, crinibus à fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem.* En igitur diverſitatem cultus virginalis, ac matronalis; Matronis enim, inquit ille, datur comam in annulos vertere, ficto, emptitioque capillo caput veſtire, ipſum à fronte dividere, ac diſcriminare: Nil horum convenit Virginibus, quibus conſequenter ſolum licuit uti ſimplici ornatu ſine annulis, ſine diviſione, aut aliquo alio cultu, ſed tantum in nodos in ſummitate capitis colligato; ut benè ex eodem Tertull. cap. 7., clarèque deducitur: *Coma* (en ejus verba) *pro operimento eſt; utique hoc maximè Virginis inſigne eſt, quarum & ornatus ipſe proprie ſic eſt, ut circumlata in vertice ipſam*

capi-

135. *Ædificent, longoque ſolum ſub ſyrmate verrat;*
Pro-

Notæ.

capitis arcem ambita crinium contegat. Sanè habuere Matronæ, ut & reliquum ornatum, crines peculiari quadam ratione formatos. Sicque Plautus in Milit. cum inſtrui ancillam vult Matronæ cultu, ait:

Utique eam ornatam adducas Matronarum modo,
Capite compto, crines, vittaſque habeat.

Facitque illud Feſti. *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetuſtiſſimus fuit.* Qui plura cupiat, adeat Ferrarium de re veſtiaria, Pignorium de Servis, alioſque.

134. *Spatioſam ſerica &c.* Debet referri ad hodiernum uſum ornamenti capitis muliebris, quod maximam tollitur in proceritatem ad ſimilitudinem criſtæ, diciturque Italico idiomate, *Creſta, Scuffia, Cornetta*, aut aliquid aliud ſimilis nomenclaturæ. Hæc porrò è velis certo ordine compoſitis, diſpoſitiſque conficitur, frontemque quaſi exedificat, poſteriorem capitis partem rotundo tantum pileolo ex eiſdem velis confecto muniens; Ad majus ejuſdem decus vittæ, aut ſericeæ, aut argenteæ, aut aureæ adduntur, necnon tenuiſſima reticula inſigni arte elucubrata, enormi pretio empta. Simile quid fuit veteribus, ſaltem quo ad ejus proceritatem; Locum Juvenal. Satyr.6. verſ.51., ubi res hæc evidenter demonſtratur, retuli notâ præcedenti, nec repeto. Spatioſam ideò frontem dicit, quandoquidem ex hoc ornamento tota panditur cincinnis, capillamentoque quaſi penitus ablegatis, atque remotis. Imò ſi quæ Matrona anguſtam frontem ſortita ſit, adhibita novacula, aut vitro capillos radit, ſpatium amplificat, miſcetque fronti cervicem, ut, correcta per artem natura, uſui, & temporum conditioni ſe accomodet.

135. *Longoque ſolum &c.* Luxum hunc ne ad noſtra ſolummodo tempora referas; Habuere etiam veteres Matronæ veſtes caudatas, & cum longo tractu; Rem latè tractat Ferrarius de re veſtiar. Aliqua addo. Cauda hæc à Græcis σύρμα dicta fuit, vocem hanc Latini poſtmodum patria civitate donarunt, & fe-
cere

Protinus augetur nomen, titulumque maritæ

Vin-

NOTÆ.

ecre Romanam; Ita ex Seneca, ubi de Baccho; *Qui habitu muliebri aliquando ſe ornabat, auro decorum ſyrma barbaricum*, & ex Martial.

Aptaſti longum tù quoque ſyrma tibi.

135. *Verrat &c.* A ſolum verrendo ſyrma hoc dictum puto, nam σύρμα Græcis eſt quoque purgamentum, & id quod ſcopis verritur; quemadmodum rei ruſticæ ſcriptores in fimi, & ſtercoris generibus συρματικὸν κόπρον vocant, id quod undique ſcopis in unum collectum fuerit, quale in purgandis tricliniis, totaque domo, quotidiè in locum quemdam convertitur.

136. *Protinus augetur &c.* Hæc ſi ruſtica puella ſervaverit, ſtatim ejuſdem pulchritudinis & decoris fama, gloriaque accreſcit; virum conſpicuum, à qua in uxorem ducatur, invenit, & quoſlibet in ſui amorem rapit.

136. *Nomen &c.* Pro gloria dixit Horat. Ode 9. lib. 3.

Multi Lydia nominis.

Pro fama Ovid. 2. Amor. eleg. 17.

Et multæ per me nomen habere volunt.

Pro nobilitate Ovid 10. Metam.

Magnum, et memorabile nomen.

Pro dignitate Virgil. 2. Æneid.

Avulſumque humeris caput, et ſine nomine corpus.

Et tandem pro genere idem Virgil.

Illuſtres animas, et noſtrum in nomine ituras.

Item pro familia Catullus.

Non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe.

In iiſdem pene omnibus ſignificationibus acceptum nomen, apud Græcos, quibus ὄνομα dicitur; Mitto Authorum teſtimonia, quia in re minimè neceſſaria, nec magni momenti ſuperflua duxi.

136. *Titu-*

Vindicat, & geſtu, riſuque propinat amores.

Non

NOTÆ.

136. *Titulumque maritæ &c.* Maritæ titulus nuptis mulieribus tribuitur, ut ex Ovid. lib.1. Faſtor.

Dura cum ſorte maritæ
Reddebant uteri pignora cara ſui.

Voluiſſe crederem hoc loco Sectanum, quod non tantum titulum, ſed rem aſſecuta fuerit hæc puella, ſic mirificè decora, & ornata.

137. *Et geſtu, riſuque &c.* Ideſt moribus, leporeque ad urbanarum mulierum, Matronarumque normam compoſitis.

137. *Propinat &c.* Metaph. à prægustando poculo, deinde alteri tradendo, quod propriè propinare eſt; Ponitur autem aliquando pro ſimpliciter dare, atque porrigere, ut apud Terent. in Eunuch. *Hunc comedendum, et deridendum vobis propino.* Inde propinare amores, & aliis amores inſinuare, & leporis, pulchritudiniſque quaſi in poculo ſorbendos tradere, nam bibere attrahere etiam eſt, unde & conceptibus mentis, mentique ipſi tribuitur, prout legitur apud Cic. in Ver *De bonis opinionem imbibiſſet*, & Lactant. lib.2. *horum mentes ſuccum ſtultitiæ perbiberunt*; Inde benè, propinare eſt aliis tradere, quod facilè attrahatur, & inſinuetur, ut eſt amor in virginem formoſam, & decoram.

137. *Amores &c.* Quam autem aptè amores propinare dicatur virgo hæc riſu, & geſtu, conſtat ex iis, qui dijudicant oculos in amando duces eſſe, & quaſi animi feneſtras, per quas intret amor, ac feratur in rem viſam. Expreſſit hoc Muſæus in Leandro, nam poſtquam præmiſit corda hominum figi amore, tanquam ſagittis, ſubdit; *ὀφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἐστιν*, *oculus via eſt*; ſic Plato citatus a Clem. Alexandr. lib.6. Stromat. cap.1. *ἀρχὴ μὲν ἔρωτος ὅρασις*, *Viſus amoris principium*; Propert.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Et Plaut. in Mercat.

Ego illic aſpicio forma eximia mulierem,
Quam ego poſtquam aſpexi, non ita amo, ut ſani ſolent
Homines, ſed eo pacto, ut inſani ſolent,

z Si

Non ſecus exultas comitatur mille procorum
Examen Muſas; quod ſi de gurgite primo
Caſta-

NOTÆ.

Si Latinos, Græcoſque omnes Authores adducam, qui eamdem ſententiam dixerunt, arenas numerem, ſed cenſui ſatis eſſe aliquas conchas elegiſſe. Non omittendum tamen, non omninò eos errare, qui ducti hac ſententia dicunt Græcum ἔρωτα *amorem*, duci ἀπὸ τῆς ὁράσεως *à viſione*: Nam quæ videmus, ea amamus: Ad quod etymon alludit pulchra illa Græcorum paronomaſia ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν, *viſus amorem efficit.*

138. *Non ſecus &c.* Ità quotieſcumque contingit muſas ornatas, & cultas incedere, plurimorum amatorum comitatu honeſtantur; Ideſt, ut mittam figuras, ſi quando carmina luculenter, & ornatè, nec pedeſter, viliterque elaborata fuerint, ſtatim plauſum, approbationemque omnium aſſequuntur.

138. *Mille &c.* Certum numerum pro indefinito poſuit: Exempla alibi attuli.

138. *Procorum &c.* Qui Virginis, mulieriſque nuptias ambiunt, à procando, ideſt poſcendo dicti. Imitationem ſumpſiſſe videtur Sectanus ex Ovid. epiſt. 1.

Turba ruunt in me luxurioſa proci.

Hic *turbam* habet, noſter *examen*, quod ad eamdem ſignificationem tendit; nam examen propriè Apum turba eſt; tranſlate autem dixere Plin. lib. 31. cap. 1. *Examina infantium*, & Plin. alter in Paneg. *Examina ſervorum*. Propert. lib. 2. *Examen ſtuprorum*, ideſt copiam, & numerum maximum.

139. *Quod ſi de gurgite &c.* Ideſt ex prima fontis Caſtalii ſcaturigine, quæ minima. Opinor Sectanum præ oculis habuiſſe fontium, fluminumque origines; cum certò certius ſit, ut plurimum amnes, etiamſi maximos, ſui initio modicos, tenueſque rivos eſſe, ſed paulatim aquarum ab aliis fluentis tributarum incremento, quaſi regali quodam comitatu tumidos incedere. Id perſpicuum eſt in Tyberi, Danubio, Rheno, Pado, aliiſque. Itàut ſenſus ſit, ſi contentus eris vulgari, tenuique ſtylo in carminibus pangendis &c.

140. *Hu-*

140. *Caſtalias potabis aquas, humilique corollæ*
De Myrto, tenuique arbor de fronde placebit,
Vix

NOTÆ.

140. *Humilique corollæ &c.* Is videtur eſſe ſenſus; quod ſi non exurgent carmina, ſed tanquam in aruis Myrtus, humiles ſe perhibent &c., tantum à Lippis in precio habebuntur. Non diſplicebit fortaſſe Sectanum noſtrum eos redarguere voluiſſe, qui tantum futilibus amatoriis cantiunculis incumbunt, nam Myrtus ſacra Veneri, ex teſtimonio Plinii lib.12. cap.1., Plutarch. in Problem. cap.19., Varron. lib.4. Ling. Latinæ, Pauſan. in Eliac., Virgil. Eclog.7., 2. Georg., & 5. Æneid., nec ex Myrto Poetis coronæ texebantur, ſed ſolùm in uſu reſpectu amatoria ſcribentium fuit. Favet Ovid. lib.4. Faſtorum, qui de feſtis ad menſem Aprilis, Veneri ſacrum, acturus, hanc Deam invocat, narratque eam ſibi tempora Myrto tetigiſſe, ut melius canere, quæ ad ſe ſpectarent, valeret. En verſus,

Venimus ad quartum, quo tù celeberrima menſem,
Et vatem, et menſem ſcis Venus eſſe tuos;
Mota Cytherea eſt, leviter mea tempora Myrto
Contigit, et cœptum perfice dixit opus.

Opponit fortaſſe Lauro, quæ ſacra Apollini Poetarum Deo, ac ex ſui natura non ſerpit, ſed in altum vegetat; ea coronari Poetas aſtruit Horat. lib.4.Ode 2., Pindaroque dignum recenſet, inquiens.

Laurea donandus Apollinari,

Talem coronam maxime Epicis Poetis conveniſſe inde reſultat, quod apud Ovid. lib.1. Metamorph. tribuat præclaris ducibus, & ſibi uti Poetarum patri conſecret. Cœterum & hederacea corona Poetas redimitos legi apud Ovid. eleg.6. de Triſtibus, cui conſonant Propertius, & Catullus. Mos hic etiam noſtra ſæcula tetigit narrante Senuccio Florentino Franciſcum Petrarcam celeberrimum Poetam Romæ triplici corona honeſtatum, videlicet Laurea, Hederacea, & Myrtea.

141. *Tenuique arbor &c.* Forte arborem pro frutice dixit, ac hederam in frutice propoſuit.

Vix tua clamoſi laudabunt carmina lippi ,
Et raucus ſolis cantabis manè columnis .

Hu-

NOTÆ.

142. *Vix tua &c.* Difficulter, & quaſi cum vi, & labore, non tamen voluntariè, & abſolutè.

142. *Laudabunt &c.* Non tamen ipſi canere dignabuntur, quamvis ad aliquod lucellum captandum ſoliti ſint cantare aliquas cantiunculas inconditas, & ridiculas.

142. *Lippi &c.* Lippos eſſe, qui ocnlos lachrymantes habent, cum putredo ab his defluat, qualem deſcribit Philodemum ibi:

Taboque oculis ſtillantibus acri.

omnes Grammatici ex Medicis referunt. Lippos autem noſtro Satyrico ſumptos pro penitus oculorum viſu carentibus experientia ſuadet: Hi ſiquidem, non illi cantiunculas haſce clamosè, ſtrepentique voce concinunt, non minus incondite, quam cantio ipſa incompta ſit.

143. *Et raucus &c.* Ideſt obtuſa, compreſſa, & impedita voce cantabis: Raucedinem eſſe vocis vitium ex arteriæ, gutturiſque catharro, vel aliqua alia imperfectione occupato omnibus in confeſſo eſt: Non tamen hujuſcemodi ſenſus loco huic convenire poteſt; nam ex nimio cantu potius raucedine inducta ob arterſam ipſam, gutturque exaſperatum ſit homo raucus.

143. *Solis cantabis &c.* Reſpondet Italico adagio: *Predicare alle panche* de inſulſis, & ineptis Oratoribus, ad quos audiendos populus minimè accurrit: quia ergò tù ò Philodeme ſtrophas tuas in triviis cantare debebis, idcircò diceris cantaturus ſolis columnis, nam nullus ad eas audiendas accedere dignabitur; Affine huic ſententiæ eſt illud Juvenal. Sat. I.

Aſſiduo rupta lectore columnæ.

De obolari, ſtriduloque Poeta dictum; quod quamvis ad alios ſenſus trahatur, involuit, quantum coniicio, etiam illum, columnas aſſidua, ineptaque recitatione ruptas, poſtquam homines eum audire refugerunt.

144. *Huma-*

Humanos animos quanto facundia niſu
145. *Pelliciat, menteſque trahat quocumque jubetur,*

Nos

Notæ.

144. *Humanos animos &c.* Adhuc loquitur Lupus ex perſona, mente, & ſententia Philodemi; Et ut oſtendat conſequenter ad jam dicta, quantum præſtet eloquentia, ad exempla procedit. Hæc omnia autem à Sectano enunciata eſſe falsè, jocosè, & prout Satyrico convenit, quiſque noſcere facillimè poteſt: nam quæ uſque huc proſequutus eſt, minimè ad eloquentiam ſpectant, quæ non ſolum *eſt ars dicendi, non abſque veritate*, ut inquit Plat. de Republic., ſed orationis tumori, qui nequaquem civilis eſt, repugnat, atque tenuem reſpuit dicendi modum, quia non movet: ſed orationem, non modo non ægram, ſed etiam robuſtam requirit, & amat juxta monitum Plutarc. opuſc. de liber. educan. Unde bene Caſſiodor. ſuper Pſalm. 73. *Eloquens eſt ille, qui ſcit parva ſubmiſsè, media temperatè, magna granditer dicere, qui ſcit invenire præclarè, enunciare magnificè, diſponere apertè, et figurare variè*: Videat lector, an Philodemicis inſtitutionibus hæc conveniant; quid enim aliud in iis eſt, quam illuſiones, phantaſmata, umbræ, ſpectra, & quiquid ad fallendum credulos, ad fucum parandum ſimplicibus, & ad uſurpandam indebitam famam, ac gloriam inveniri poteſt malitioſius, ſimul & efficacius. Cœterum veriſſimum eſt eloquentiam alienos animos, atque mentes mirè trahere, atque pellicere: Novere in Cicerone Latini, in Demoſtheue Græci, qui ſibi eos in principes artis benè dicendi adoptavere. Quin, & ut vim hujus artis dignè exprimerent, Herculem aurea catena ab ejus ore effluente, qua homines devinciret, inſignitum finxere Poetæ, denotantes eloquentiæ, qua plurimum pollebat, efficaciam in devinciendo ſibi animos: Sic & propoſitus Orphæus lyræ, cytharæque ſonitus dulcedine, ad ſe montes, ſylvas, feraſque trahens, fluminum, aquarumque curſum ſiſtens, quadrupedes, & volatilia ad manſuetudinem cogens; quod ad ejus facundiam denotandam inductū fuiſſe teſtantur Mythologi.

Nos docuit Barrus, calamo qui vindice magnos
Eripuit fato Reges, famamque ſacravit
Ven-

NOTÆ.

146. *Nos docuit Barrus &c.* Primum exemplum in Barro: Ejus in his Satyris frequens mentio, nec tamen cum laude, unde reſpectu Sectani quæcumque hìc dicuntur, ironicè & ſatyricè; veraciter autem, & ex animo à Philodemo prolata dicendum eſt; Certam perſonam deſignari minimè puto ex his, quæ in Prologomenis enunciata fuere, & proteſtatur noſter Author Sat. 9. ſeq.. Agnoſco igitur tantum deſignatum characterem hominis, qui ſe eloquentiſſimum eſſe dijudicet, & præſumat, quique jam plures Rhetoricas elucubrationes ediderit, & inter cœteras ad Regum laudes aliquam pertinentem; qua edita ſuperbè jactaverit à ſe hoſce Principes æternitati ſacratos, cœternm eorum memoriam perituram. Id ex ſequentibus notis magis eluceſcet.

146. *Calamo qui vindice &c.* Ideſt defenſore, ſeu aſſertore contrà annorum, ac temporis voracitatem.

147. *Eripuit fato &c.* Ideſt Regum nomen, memoriam, & geſta fecit, ne unquam perirent; & quaſi per raptum è mortis manibus abſtulit, ſi non corpus, certè quicquid inſignius, glorioſiuſque ab eis actum fuit. Verbum autem eripio maximè loco convenit, nam ſuppoſita mortis potentia, quicquid è faucibus ejus auferrur, vi rapitur: In cœteris etiam, cum de ſimili agitur re, ut plurimum, adhibitum; Inde apud Virgil. Æneid. lib. 12. Juno ad Juturnam ſororem de fratre Turno:

Accelera et fratrem, ſi quis modus, eripe morti.

Et Cic. de divin. *eripere aliquem à morte*,

147. *Famamque ſacravit &c.* Invidiam, ſive propriè accipias pro mœrore ex aliena proſperitate, ſive pro odio, quo ex felicitate in aliquem conciliatur, convenit apprimè huic loco; itàut ſenſus ſit, Barrum ſacraſſe famam eorum etiam invidiæ, odioque ætatis venturæ, ideſt eam intactam, inviolabilemque ab injuriis temporis reddidiſſe: Sacer ſiquidem, non ſolum eſt, ſonatque, venerabile, & conſecratum, ſed quod violari minimè poteſt, atque debet.

148. *Nec*

Venturi invidiæ (nec vanè credidit) ævi.
Ut bellè aſſurgit! Stravit tibi maximè Regum
Gloria pulvinar, fumant ubi littora fœdis
Strata cadaveribus. Tandem fortuna pudorem
Induit, & proſtant pretio virtutis honores;
Jam

NOTÆ.

148. *Nec vanè credidit &c.* Verba Philodemi, aut adulantis, aut ità opinantis; aliter Sectanus cenſere videtur, ut ex toto harum Satyrarum contextu patet, ubi Barri nomen inducit.

149. *Ut bellè aſſurgit &c.* Plaudit, & in Barri laudes immodicè fertur Philodemus; itàut non ſolum ejus verba, dictioneſque admirari, ſed alios in ejuſdem admirationem deducere velle videatur: Utrumque complectitur his verbis: *Ut bellè aſſurgit*; ac ſi dixiſſet; Audite quantum facundè, eleganter, magnificeque in dicendo, ſcribendoque ſe extollat, & excreſcat.

149. *Stravit tibi &c.* Plurimum hæſitavi, ac in varias ſententias diù abii, incertus, an tam præciſos, peculiareſque ſermonis conceptus alicui deberem tribuere, an in Barro hominem, an vero tantum hominis characterem conciperem. Vicit tandem ea, quæ pro charactere ſtetit, opinio ex iis rationibus, quæ paulò ante ad idem opinandum mentem meam voluere convictam, ac perſuaſam. Ità de Sectani mente, quantum ſatis, certus, notas proſequor, quas rei convenire dijudico. Jocumque ejuſdem Satyrici noſtri ſub Philodemi perſona adhuc perſeverare animadverto. Verba igitur Barro attributa ſic perpendo, ut ſint hominis, qui plurimum de ſua eloquentia præſumat, ac per eam ridicule, & minus appoſitè in altum tollatur, & quaſi ſydera prætervolare videatur, licet alis Icariis tantum præditus; jactabundi denique, cui in animo, menteque ſit, ac etiam clare profiteatur Regum famam, ac immortale nomen ex ſe pendere, utpotè qui poſſit ſuis elucubrationibus æternitati conſecrare. Phraſes haſce forſan agnovit Sectanus

Jam tergit lacrymas, & Numine læta propinquo
Libera vectigal provincia ſolvit amoris.
155. *Sed quid Pumilio? Fortis, nullique ſecundus*
Hac

NOTÆ.

in panegyricis noſtrorum Oratorum, imò in ejus manus quidam ex his devenire potuit, qui talibus expreſſionibus vanè abundaret.

153. *Jam tergit &c.* Innuit orationem quandam, quæ circumfertur, ut mihi videtur, nomine parvæ alicujus Reipublicæ dictam Summo Pontifici, cum ejus nomine noviter electo, ac in Petri Sede legitimè collocato præſtita fuit debita obedientia.

154. *Libera &c.* Quæ videlicet libertate gaudeat, & ſuis legibus vivat, ac dominetur.

154. *Provincia &c.* Ideſt dominatio, ſeu melius Oppidum, ſed Provinciam nuncupat, ut Barri verbis utatur, qui ſic illam dixiſſe potuit.

154. *Vectigal amoris &c.* Non igitur immediatæ ſubjectionis, quæ contraria libero, & abſoluto Reipublicæ (ut diximus) liberæ ſtatui.

155. *Sed quid Pumilio? &c.* Secundò Pumilionis exemplum affert: Pumilionem novo vocabulo nunquam anteà in his Satyris audito, vocat; Pumilionem hominem eſſe parvæ, & humilis ſtaturæ omninò ſcimus, quem νάνον Græci nuncupat. Non vereor tamen aſſere ità potius dictum eſſe, non quia verè ſtaturæ modicæ ſit, ſed cum reſpectu ad ejus elucubrationes poeticas, quæ ut videre eſt ex ſequentibus, ſemper intrà, & ſuprà ſidera caput inferunt; unde dubitare etiam contingit, an hic ſit ille idem, de quo in Satyra 3. not. 216., ubi ejus nimiam in dicendo emphaſim, & tumiditatem reprehendit, agnoſcit tamen, ut celebrem, nobilemque Poetam, dignumque quacumque laude, & encomio.

155. *Fortis, nullique &c.* Fortitudinem, & robur in ejus lucubrationibus, cantionibuſque laudat, & ut primum, aut ſaltem

Hâc iter ingreſſus. Phœbi nam ſæpè quadrigas
Ignivomis diſcinxit equis, calcarque ſuperbis
Addi-

NOTÆ.

tem parem cuicumque moderno Poetæ eſſe inſinuat, ac per eloquentiæ tramites ad metam honoris, & gloriæ gradi tradit.

156. *Phœbi nam ſæpe &c.* Qui equos ſuos, centum illos forſitan, de quib. Satyr. 3., inter ſidera reponens, Solis currum, dignos effecit, qui ducerent.

157. *Ignivomis &c.* Sic Solis equos effinxit Ovid. 2. Metamorph., ubi Phœbus Phætonti.

Nec tibi quadrupedes animoſos ignibus illis
Quos in pectore habent, quos ore, et naribus efflant
In promptu regere eſt.

Et inferius.

Ignemque vomentes
Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt.

Quin & Ovidium ſibi imitandum propoſuiſſe non improbabiliter aſſero Lactant. noſtrum in Cant. de Reſurr. Domini, ubi vocem hanc ad Solem refert, ajens;

Altius ignivomum Solem Cœli orbita ducit.

Indè equorum ipſorum ſolarium nomina apud Ovid. loc. citat. Πυρόεις *ignitus*, Ἑῷος *Lucifer*, Αἴθων *ardens*, Φλέγων *comburens*.

157. *Diſcinxit &c.* Eodem apud Phœbum munere fungens, quo Horę apud Ovid., de quib.

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis;
Juſſa Deæ celeres peragunt.

157. *Calcarque ſuperbis &c.* Quin, & aliquando Phœbi vices in curru diem mundo ferente ducendo geſſit; Brevibus verbis hominis virtutem, & prudentiam ad ſummum evehit; Quantum enim difficile illud iter ingredi, quam arduum indomitos equos regere, quam præceps via, quantoque moderamine decurrenda, habent monita ipſa Solis Phœtonti tradita, dùm à deſiſtendo à petitis ſuadet, nec non quæcumque alia, quibus

Addidit, & cœli ſpatium dimenſus utrumque
Fatali diros ſpoliavit luce Comatás,
160. *Et nuda ad cytharam juſſit conſiſtere fata.*
Sci-

NOTÆ.

eum hortatur, ut mediam viam teneat, & ab aliis ſervatam; nàm inquit ille

> *Manifeſta rotæ veſtigia cernes*
> *Utque ferant equos, et cœlum, et terra calores,*
> *Nec preme, nec ſummum molire per æthera currum;*
> *Altius egreſſus caleſtia tecta cremabis,*
> *Inferiùs terras; medio tutiſſimus ibis.*

Hæc ſi ad ſcribendi inſtitutum referamus, conjiciemus quid vitandum, quid non. Poeta iſte auſu felici omnia ſuperavit, nàm non ſolùm currus ſolaris, & equorum ipſorum Rector ſublimiores Cœli partes evaſit, ſed calcaria, & ſtimulos eqnis ipſis addidit, contra Solis ipſius monita illa;

> *Parce puer ſtimulis, et fortius utere loris;*
> *Sponte ſuâ properant; labor eſt inhibere volentes.*

158. *Et Cœli ſpatium &c.* Qua tendit ab ortu ad occaſum.

159. *Fatali diros &c.* Vel tanquam beneficus Planeta, qui Cometarum malignitatem retunderet, vel quia ipſe primus cœlum metiendo agnoverit, ac nuntiaverit minimè aliqua mala ab earum exortu portendi, quippè aliorum cœleſtium ignium naturam non egrediantur, fallique aſtrologos, qui ad earum viſum horreſcunt, & calamitates aliis portendunt.

159. *Fatali luce &c.* Quaſi ab ea aliquid lethale, luctuoſumque denotaretur; nàm fatale pro mortali dictum.

159. *Diros cometas &c.* Ex imit. Virg. 1. Georg. verſ. 488.

> *Nec diri toties arſere cometæ.*

& Silii lib. 4.

> *Regnorum everſor rubuit lethale cometes.*

160. *Et nuda &c.* Ideſt vi, virtute, dulcedine carminum ſuorum irrevocabilia fatorum decreta potuit immutare, vel eorum executionem imperioſè retardare. Poſſunt hæc dicta eſſe re-

Scilicet humano nunquam præfigere metas
Ingenio valeas, geminas dum concutit alas,
Quas

Notæ.

relativè ad aliquam ſimilem expreſſionem nimis ſanè violentam, ac animoſam, quæ in cantionibus hujus hominis legatur, vel ad illud Ovidii lib.10. Metam., ubi de Orpheo repetente ab inferis Euridicem; nam ad ejus cantum refert, quod

Exangues flebant animæ; nec Tantalus undam
Captavit refugam; ſtupuitque Ixionis Orbis:
Nec carpſere jecur volucres; urniſque vacarunt
Belides; inque tuo ſediſti Syſiphe ſaxo
Tunc primum lachrymis victarum carmine ſama eſt,
Eumenidum maduiſſe genas; nec regia coniux
Suſtinet oranti, nec qui regit imas negare.

Hanc tantùm agnoſco differentiam, quod Ovidius hæc geſta apud inferos referat; noſter Poeta, qui Pumilio vocatur, ea egerit apud Superos, dùm Cœlum ſpatiatus eſt.

160. *Juſſit conſiſtere &c.* Immobilia à ſe pendere non oravit, ſed abſolutis juſſionibus voluit ab inceptis deſiſtere, ac ſuo imperio obſecundare.

161. *Scilicet humano &c.* Ea eſt vis hujus ſententiæ Philodemicæ, ut pro coronide monitorum hujuſcemodi, illud inſinuet nunquam limites certos ingenio hominum præſcribendos, liberamque ei pandendam evolandi, vagandique, quocumque voluerit, libueritque, viam, quia ſcilicet, ut ait Homer. Odiſſ.12. *ingenium ſervitute opprimitur.*

162. *Geminas dum &c.* Benè alas tribuere antiqui ingenio, ſi quando pingere, & deſcribere placuit, ad ſignandam ejuſdem velocitatem, quia pollet ſermone, & varietate rerum inventarum, inveniendarumque eminet. Hinc benè Pindarus ſublimis ingenii homines aquilæ comparavit, quia acutiſſimè videat, & reliqua volatilia longè volatus præſtantia ſuperet, & antecellat: Indè Thales apud Diog. *Velociſſimam omnium mentem dixit.*

163. *Quas*

Quas menti natura dedit. Delirat ineptè
Gargilius veterum laudator, & uſqueſequendos

165. *Au-*

NOTÆ:

163. *Quas menti &c.* Conſonè ad illud Plutarch. de fort. Alex. *Mens cernit, mens audit, reliqua ſunt ſurda, cœcaque ſunt, et rationis indiga*, & *Maximum,* inquit Senec. epiſt. 121., *eſt argumentum animi, ab altiore venientis ſede, ſi hac, in quibus verſatur, humilia judicat, et anguſta, ſi exire non metuit; ſcit enim, quo exiturus ſit, qui, undè venerit, meminit.* Neſcio tamen, an hic volatus mentis, & ingenii approbandus venerit à Philodemo, qui majorem laxitatem videtur in eo deſiderare, etiam ſecluſa ratione, quæ, uti neceſſaria, requiritur ab aliis, ſpecialiter à Cicer. 2. de offic. At oblitus eram totum in homines fallendo incubuiſſe Bionem, & ex ejus ſententia locutum eſſe Sectanum noſtrum. Abſtineo ab ulteriori indagine.

163. *Natura dedit &c.* Intellige Deum, qui *natura naturans* à noſtris Theologis dicitur; ab hac in nobis mens, & ingenium, ut benè Iſidor. de Summ. bono, ſicut & anima inſita ſunt; nàm mens, & ingenium ſunt ingenita rei alicui potentia, & virtus ad inveniendum, quod ratione judicari poſſit, quæ à natura tantùm præſtantur.

163. *Delirat ineptè &c.* Conſequens præcedentium Gargilii delirium, qui moderandos, temperandoſque ingenii conatus ad regulam, normamque veterum Authorum obſtrepit, certamque metam, non tam in opinando, quàm in dicendo, & etiam in ipſa verborum methodo, uſuque præſcribere contendit.

164. *Veterum laudator &c.* Contradicit ſibi ipſi Philodemus, qui alibi tantùm veteres Authores, recentioribus pro nihilo habitis, laudabat: At hic nubem oculis, & hominum menti opponere ſtudet, alibi ſententiam ſuam ex animo proponebat. Hinc hoc loco mentiri eum cogita, veritatem ſui dogmatis ſuprà propoſitam diſce.

165. *Au-*

165. *Authores clamat, quos æneus umbilicus*
Claudit, & antiquus commendat pulvere codex.
Utque ebur, & trito laudamus Mentore guttum
Jam

NOTÆ.

165. *Quos æneus umbilicus &c.* Umbiliculorum denominationem ſortiti ſunt quidam, veluti claviculi, quibus libri ornantur: Huc reſpexit Mart. lib.2. inquiens:

Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior, ut ſit umbilico?

Hos oſſeos, ligneos, corneos, atque umbilici noſtri formam imitantes, additoſque voluminibus iam abſolutis refert Porphyrio in Horat. Epod. Hinc procul dubio vulgare proverbium derivatum eſt, *ad umbilicum perducere*, pro eo, quod eſt, *abſolvere, ad finem perducere*, & extremam manum imponere: In quem ſenſum dixere Horat. in Epod. *Deus, Deus, nam me vetat incœptos, olim promiſſum carmen Jambos ad umbilicum ducere*, & Mart. in fin.4.lib.

Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle
Jam pervenimus uſque ad umbilicum;
Tu procedere adhùc, et ire quæris?

Ex his, quis æneus umbilicus in libris, liquet; qui videlicet ex ære fabrefactus fuerit. Adhùc libri ſuperſunt cum his umbilicis, ſed ii tantùm, quos vetuſtas commendat; ceterùm ex moderno uſu in deſuetudinem hic ornatus penitùs abiit.

166. *Et antiquus &c.* Antiquitatem etiam ex ſuperpoſito pulvere arguit, quo codicum tegumenta veteri pulchritudine, & colore fraudantur.

167. *Utque ebur &c.* Similitudine veterum vaſculorum id probandum ſuſcipit, quæ etſi fracta, trita, & in iis partibus, ubi prius cęlata fuerat inſigni Sculptoris arte aliqua imago, penè deleta, attamen ex ipſa antiquitate laus, ex cinere gloria exurgit.

167. *Ebur &c.* Ideſt vaſa, ſeu tabulæ, ſtatuæ, aliaque monumenta ex ebore confecta.

167. *Trito Mentore &c.* Nempe abſumpto nobili opere, quo
Men-

Mentor, mirus in cęlandis vaſis, conficiendo laboravit. De Mentore iam dictum præcedentibus Satyris. Refero tantùm teſtimonium Plin. lib. 12. *Mentori quotidie teſtimonium perbibet Capitolinus Juppiter, et Diana Epheſia, quibus fuere conſecrata ejus artis vaſa*, Et Proper. lib. 1.

Leſbia Mentoreo vina bibas opere.

Satyrici noſtri locus de quocumque veteri vaſculorum cęlatore ſumendus, non de Mentore tantùm, ſub quo reliquos hac arte nobiles, & præcipuos reprehęſentat; & tritum Mentorem dic confractum, ac penè deletum quicquid eorum opera admirabiliter cęlatum fuit; nec enim Poetis inſuetum artificem pro ipſo opere ponere, ut præcisè Juven. Sat. 8.

Raræ ſine Mentore menſæ.

Plurimus in vaſculis luxus pridem fuit, nam imaginibus decoris honeſtabant, itaùt ſapè contingeret materiam ab opere ſuperari. De qua re legendus Plin. lib. 23. cap. 11., & 12., ubi plurima hujuſmodi opera refert. *Aſpera* vocavit Juven. Sat. 14. verſ. 62.

Vaſa aſpera tergeat alter.

Ideſt anaglypha, & figuris cęlata, in aſperitatem ſculpta; quemadmodùm à Perſio dictus *aſper nummus*, qui recens excuſus, ſignis, & litteris aſper, & inæqualis. Eadem dictione uſus Virg. Æneid. 9. verſ. 263.

Bina dabo argento perfecta, atque aſpera ſignis
Pocula.

Illi ſimilia, quem idem Author lib. 5, appellavit *cratera impreſſum ſignis*. Illud Athenęi lib. 11. ἔκπωμα ἀργυροῦν, καὶ προσκολλὲς poſſis explicare de vaſe aſperato. Sunt hæc, quæ Plinius lib. 14. cap. 22. vocat *vaſa adulteriis cęlata*, undè lux Perſio, ubi ait

Vitreo bibit ille Priapo.

Licet alii aliter explicent, quia videlicet poculorum emblemata ſæpe obſcœna. Fuit ſanè in more veteri, ut vaſa haberentur in pretio, quæ aſpera eſſent, & ſimulacris Deorum ornata. Athen. lib. 6. vaſis meminit habentis toreumata efformata in modum draconum; Idem lib. 5. crateris cujuſdam ex argento metretarum ſexcentarum capacis, qui ſub labris, & auribus animalia haberet elaborata. Id præſtitum & in vaſis marmoreis; Plurima Roma publicè exhibet, ab eis recenſendis abſtineo, quia notiſſima ſunt, & majori ex parte Typis vulgata. Pulcherrimum

vas

vas marmoreum, dùm adhùc Romæ morarer, vidi in ædibus nobilis, ingenuique viri Vincentii Cicciaporcii, illuſtre antiquitatis monumentum; emicat in eo non tantùm magnitudo, ac partium omnium proportio, ſed pampini, vuæque circumquaque anaglyptica arte ſculptæ forſitan Baccho pridem ſacrum fuiſſe demonſtrant, & quantum conjicere licet, oſtendunt. Hujus tantùm meminiſſe non piguit, etiamſi tot alia, & quidem celeberrima, uti Mediceum, Odeſcalchum, & ſimilia ad manus eſſent, quia non omnibus obvium, atque notum, nec ferre debui ulterius tantum opus in obſcuro latere, & nobiliſſimi operis notione exteros fraudari. Sed admirabile iam aliud profero inter Aventini montis rudera nuper effoſſum, in quo mulierum chorus ad ſacrificandum Priapo lætanter properat. Nobiliſſimum hoc vas temporis, & ruinarum Romanarum ab injuriis vindicavit Nicolaus à Judice Cameræ Apoſtolicæ Clericus meritiſſimus, qui antiquitatis eruditæ amans, tantum opus perire non ulteriùs tulit, ſed ſingulari ſtudio inſtaurandum curavit, & in ædes ſuas planè regales ad augendum avitæ domus ſplendorem, Neapolim iuſſit transferri. Ceterùm inſignis hujus Romanæ Curiæ Prælati, ac Cameræ Apoſtolicæ Clerici virtutes, & merita enumerare longum foret; ſat erit dixiſſe natum è clariſſimo Viro Dominico Juvenazii Duce, educatumque ſub Patruo Franciſco S.R.E. Cardinale Ampliſſimo, quorum in rebus gerendis conſilium, & (quod difficillimum eſt) mixtam alacritati prudentiam utraque Aula, Romana, & Hiſpana iàm diù ſuſpiciunt, & admirantur. En igitur vaſis imaginem fideliter quantum fieri potuit expreſſam.

167. Gut-

Jam fractum, & ſigni miramur crura; ſic illi
Sa-

NOTÆ.



167. *Guttum &c.* Pro quolibet vaſe poſitum liquet: nam guttus vas eſt ad plures uſus accommodatus, colli quidem anguſti, quo utebantur in ſacrificiis, ut ex Plinio lib.6. habetur: *Curius juravit ſe ex preda nihil attigiſſe, niſi guttum ſaginum, quo ſacrificaret.* Item ad oleum ſervandum teſte Agellio; *Guttum Samium oretenùs imprudens inanem, tanquam ineſſet oleum, affert.* Sic & ad balnea pro unguentis aſſervandis apud Varronem, qui notat irà dictum à gutta, quod propter colli anguſtiam humor indè guttatim efflueret.

168. *Et ſigni miramur &c.* Ideſt aliquas ſtatuarum fractarum par-

partes ſuperſtites: Signum ſiquidem ad fuſilia, & ſculptilia refertur, indè ſtatuæ ſigni nomine appellatæ. Salluſt. *Signa, et tabulas pictas, vaſa cælata mirari, ea privatim, et publicè rapere, delubra ſpoliare*; & Cic. in Verr. *Delum veni, ex fano Apollinis religioſiſſimo noctu jàm ſuſtulit ſigna pulcherrima, atque antiquiſſima*. Imò ſtatuas, ſimulacraque Deorum, ut plurimum, ſub ſola ſignorum nuncupatione recenſita habent veteres inſcriptiones apud Gruterum, nam pag. 42.4. SIGNM. ARGENTEVM. HERCVLI. POSITVM. pag. 84.1. SIGNA. DEORVM. ARGENTEA. CASTRENSIA. pag. 174.8. SIGNVM. AVREVM. MARTIS. IN. FORO. POSITVM pag. 77.3. PANTHEI. CVM. PARERGIS. pag. 9.5.18.5.28.1.2. SIGNVM. ET. BASIS. POSITA. & alia paſſim præcipuè Diis dicata, quorum tanta religio erat, ut tangi tantùm à liberis hominibus, minimè à Servis poſſent, quemadmodùm antiquum marmor apud eumdem Authorem pag. 57.2., quod formam baſis ſervat Lannuvii in Latio.

MAVORTIO

SACR.

HOC SIGNVM

A. SERVO. TANGI

NEFAS. EST

Ceterum Romæ ſuperſunt plurima hujuſcemodi ſignorum fragmenta, quæ omnes admirantur; & ut ea taceam, quæ ſervant Capitolinæ ædes, ac alibi viſuntur, illud inter celeberrima, ac præ ceteris omnibus laudatur, quod extat in Hortis Vaticanis, nuncupaturque *il Torſo di Belvedere*; quoniam etſi cruribus, capite, & brachiis mancum ſit, attamen uti artis miraculum noſtræ ætatis ſtatuarii ſculpturæ ſtudioſis proponunt obſervandum, imitandumque.

168. *Sic illi &c.* Ideſt antiquitas ſola in extimatione apud Garcilium eſt; quaſi dicat non Author famam, non operis excellentiam, non materiæ raritatem, non tandem aliquid eruditionis reconditioris, illuſtrium geſtorum, ac politioris litteraturæ monumentum, ſed tantùm ipſam libri vetuſtatem; quod ſi verum ſit, quid ineptius?

Sæcula ſunt pretio, ſolos, & computat annos;
170. *Tantaq; longævis tenet hunc reverentia faſtis,*
Ut ſi fortè recens referat membrana Catonem,

Pa-

NOTÆ.

170. *Tantaque longævis &c.* Ideſt ſolummodò venerationem tribuit libris, qui vetuſtatem ſapiant; nàm faſti pro libris. Hoc nomine cenſebantur apud veteres libri, in quibus totius anni res Populi Romani ſcriptæ continebantur, & cauſæ feſtivitatum explicabantur; quales ſunt libri illi, quos Ovidius ad imitationem Callimachi de cauſis feſtorum conſcripſit, quorum argumentum ipſe explicat lib. 1. Faſtor. his verſibus:

Sacra recognoſces annalibus edita priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.

Adeoque notandum, authore Priſciano, ante tempora Appii Cęci Romanos non habuiſſe faſtos, paucoſque ſcire, poſſet lege agi, necne; donec Cn. Flavius Appii Scriba, compilatis Patroni ſcriniis, faſtos populo publicè legendos propoſuit; quod tam gratum Populo Romano extitit, ut illum primum Tribunum Plebis, deinde etiam Ædilem Curulem deſignarit: Faſti autem nuncupati, quod dies annotarent, quibus ſine piaculo Prætoribus licebàt tria verba fari, ſcilicet, *do, dico, abdico*, & nefaſti, quibus non licebat fari. Ità Ovid. lib. 1. Faſt.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Nomen porrò hoc à diebus ad libros ipſos referendi uſum ductum ex dictis conſtat.

171. *Ut ſi forte recens &c.* Tanta, inquam, veneratio, ut ad ſuperſtitionem proxima ſit; quandoquidem etiam tabulas, quibus volumina conſtringuntur, velit carioſas, & pulverulentas, ſecus illas faſtidiat; Unde etſi fortè Catonis opera, antiquiſſimique Pacuvii poemata annoſa papyrus referat, nauſeet tamen quotieſcumque recenti membrana circumdata videat, & ſplendidà, pretioſàque fibulà conſtricta ſint: quippe hæc omnia ei videantur venerationem illi detrahere, quæ ex vetuſtate conciliа-

Pacuviumque liget pretioſo fibula morſu,
Deſipere incipiant ſubitâ novitate decoræ
Pelliculæ; ſolum caries, & pulvis amatur.
At vos, ò juvenes, queis pectora liber inundat
Sanguis, & anguſtæ neſcitis vincula mentis,
Di-

NOTÆ.

ciliatur. Similitudinem hic claudit, qua Garcilii ſententiam impugnat, & oratoriam induens dignitatem ad modum declamantis, hortatoriam ad diſcipulos habet, qua à ſimili opinione deterreantur.

175. *At vos &c.* Declamantis igitur in morem viam ingreditur Philodomus, ſententiam ſententiæ opponit, inque ſuadendo nititur, ut juventutem à lectione, ſtudioque veterum Authorum avertat, ac ad recentiorum amorem pelliciat. Timendum ne hoc extremum aliquo, & quidem maximo vitio laboret; Sequentibus notis delibabimus; interim non poſſumus non ipſi iram ſuorum Pindari, & Lucretii denunciare; clamant etenim violatas amicitiæ leges, læſam fidem; At patienter ferant, ità tempus, & occaſio exigunt, nec de gratia Philodemi deſperent, ſi tamen res id poſtulabit. Imitationem hujus loci ductam puto ex Perſ. Sat. 1. licet in re diverſa:

Vos ò Patricius ſanguis, quos vivere jus eſt
Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.

175. *Queis pectora &c.* Favorem auditorum ſibi primo conciliat; quod ad Rethorem ſpectat, cui præcepta artis obſervare placeat: Liber ſanguis in eorum pectoribus redundans, eſt ſpiritu plenus, & fervens, cujus calore ferveſcit animus, ad magna concipienda, exequendaque promptus. Poteſt & hæc libertas ad ingenuitatem eorum referri, melius ad ingenii, mentiſque libertatem, dum nullo præjudicio detenta, volatum, quo quo vult, tendere, & in eas opiniones pergere, quæ magis arriſerint, valet.

176. *Et anguſtæ neſcitis &c.* Nempe certis ſententiarum vinculis conſtrictæ, quibus adherere cogatur abſque facultate vagandi, & ad majora aſpirandi.

Diſcite non ævo tantùm, ſenioque referre
Scriptoris ſamam. Forſan fuligo libellos

Illu-

Notæ.

177. *Diſcite &c.* Me præceptore.

177. *Non ævo tantùm &c.* Ideſt, mente, qua polletis, apprendite, minimè pendere Scriptorum famam à vetuſtate, quam adeò efficaciter commendat Garcilius. Ævum à ſenio videtur diſtinguere; forſan ut opponeret modernis, poſuit pro vetuſtatis Authoribus, nam ævum longævum, & à nobis remotiſſimum tempus ſignificat, ſenium autem ad ætatem minus remotam referri optimè poteſt, quippe etſi decurſum annorum denotet, non tamen tantam antiquitatem ſupponit. Veriſſima eſt hæc propoſitio, nam laus Authoris ab excellentia operis derivatur.

178. *Forſan fuligo libellos &c.* Acrius excandeſcit, & interrogat, an libri à fumo, & fuligine, veluti petaſones, propriæ excellentiæ indicia proferant, nigricantes, furvi, ſpurcique? an illuſtrentur ex nigredinis, & fuliginis tenebris? an ſapientia corroſis, & jam laceris, temporiſque injuria affectis chartis inſideat, hæreatque? an tandem blaptis, & tineis ea vis, & virtus ſit carminibus inſulſis, ineptis, nulliuſq; valoris decorem, pretiumque addere? Hoc loco, ſi unquam alibi, velim Lector amice, artem Sectani admireris; opto iterum, ut Philodemus ipſe, quantum ſatyrico debeat, agnoſcat, & gratias agat tam maximas, quod in ejus ore, tot pulchra, elegantia, totque Rhetoricis fucis ornata poſuerit, queis forſan ipſe, licet magiſter in arte, non tam bellè ſuas ſententias pinxiſſet. Quid etenim efficacius, elegantiuſque his, quæ, ut ait Perſ. Satyr. 1. *librat in antithetis*: Quam benè, aptè, affabrèque contrapoſita hæc conciliet, & ad concinnitatem perducat, res ipſa aperit, & legenti attentè obvia: Quid enim ſatius, ut ſe opponeret Garcilio tanta fuliginoſis, vetèribuſque libris tribuenti, quam antithetis fuliginis, & lucis, ſeſſionis in re, quæ iam evanuit, & bonitatis in ſubiecto, quod non exiſtit, aut ſaltem corruptum ſit, alterius propoſitionis inefficaciam, & abſurditatem demonſtrare, poetico-

Illuſtrat, roſiſque ſedet ſapientia chartis?
Aut bona, ſurtivæ fecerunt carmina blaptæ?
Non ità. Quin veteres me judice deſerat omnes,
Qui

NOTÆ.

coque quodam œſtro percitum eà vi inſinuare, quæ eloquentiæ efficaciam mirificè augeant, ac omninò, plenèque ſuadeant? & quod magis eſt, veritati congruat, inter hæc lenocinia minimè adulteratæ, atque inter hos fucos nequaquam quicquam ex ſua puritate, ſimplicitateque dimittenti? At iam ad alia.

181. *Non ità &c.* Per negationem concludit, & benè: Abſolutè ponit, ut magiſtrum decet; ſtat enim ratio in hominis authoritate; Ac ſi dictum eſſet: Minimè ità cenſendum, judicandum eſt, nec vobis hoc perſuaſum volo.

181. *Quin veteres &c.* In eadem ſententia videtur fuiſſe Perſius Satyr. 1., ubi poeticæ vanitatis argumentum dixit, quod ſui temporis Poetæ affectarent obſoleta, & antiqua verba, & Poetas vetuſtiſſimos, & antiquitate ſquallentes Accium, Pacuvių, & alios imitarentur, & legerent ſpretis recētibus, & κακοζήλως eorum vitia pro virtutibus æmularentur. Addo verſiculos, queis illos irridet.

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Acci,
Sunt quos Pacuviuſque, et verrucoſa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta;
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quæriſque undè hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? Undè iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia levis?

At ſi verba benè perpendantur, Perſium diverſè à Philodemo ſenſiſſe in comperto erit. Perſius ſiquidèm non damnat antiquorum Scriptorum lectionem, atque imitationem, ſed ſuperſtitioſam illam, vanamque religionem in eorum verba omninò jurandi, deſpectis recentioribus: Non enim Accii, Pacuviique, & aliorum vetuſtiſſimorum Poetarum pretium poterat ignorare: Accii inquam inſignis Satyrarum Scriptoris, quas gravitate ſen-

Qui vult eſſe aliquid. Noſtri proh dedecus ævi!
Mirari antiqua, & verbis hærere minutis,
Ac

NOTÆ.

tentiarum, verborum pondere, & authoritate perſonarum clariſſimas dixit Quint. lib.10 cap.1. Ità & Pacuvii, item Tragici Poetæ, de quo idem, quod de Accio ait, teſtatus eſt Quintil. loc. cit., ac ante ipſum Cicer. in Orat. *Omnes apud hunc ornati ſunt verſus*, & lib.1. de finib. initio: *Quis Ennii Medeam, & Pacuvii Antiopam contemnat, & reiiciat?* Duritiam igitur ſolam parùm probavit, ceterùm non rejecit. Aliter Philodemus, qui veteres omninò reſpuendos conſulit, & jubet. Falſitatem hujus opinionis redarguit Macrobius in Satur., ubi latè probat plurimis in locis Homerum à Virgilio imitatum fuiſſe; imò ipſe Virgilius, quem dixiſſe fertur in legendo Ennio, ſe aurum ex ejus ſtercore colligere. Pluribus dicendis abſtineo, ne in ſuperfluis laborem, meque jure recentes Scriptores, reprehendant, quod in re notiſſima, quam omnes, quotquot literis incumbunt, abundè probant, excepto Philodemo, plus nimio inſiſtam.

182. *Qui vult &c.* Ideſt, qui velit proficere, & inter doctos annumerari.

182. *Proh dedecus &c.* Proh, interjectio admirantis, dolentis, ſeu indignantis. Uſus in primo ſenſu Terent. in Adelph. *Proh Dii immortales, facinus indignum, quod narrat*, & Plaut. *Proh ſancte Juppiter, quid video?* In ſecundo idem Terent. in Heaut. *Proh Deum, atque hominum fidem*; & Virgil. 5. Æneid. verſ.793. *Proh ſcelus*, & lib.4. ejuſdem verſ. 590.

Proh Juppiter ibit
Hic, ait, et noſtris illuſerit advena regnis

Indignationem autem ſapit iſtud *Proh* apud Philodemum; dedecus eorum hominum noſtræ ætatis putans, ac infamiam, qui aliter ſentiant, & operentur, quam ipſe doceat. Hoc ardentius exagerat.

183. *Mirari antiqua &c.* Ideſt, antiquis Scriptoribus aliquid deferre, habereque in admiratione eorum elucubrationes;

nec

Ac veluti mentes, & non majora tuliſſet

In-

NOTÆ.

nec tantùm libros, ſed & quaslibet nugas pro recta dicendi norma excipere.

183. *Verbiſque hærere minutis &c.* Videlicet, barbaras voces eas putare, quæ apud antiquos non fuerint in uſu: Horum autem veſaniam, qui antiquos Scriptores deſpiciunt, nemo melius unquam arguit, quam multi nominis, ac plurimæ eloquentiæ, vir Janus Gravina, qui brevi, quem edidit tractatu *de Converſione doctrinarum*, magiſtraliter docuit, doluitque Italiam, *in qua ſplendor, et elegantia* (verba ejus ſunt) *florentibus Romanorum opibus nata eſt, et multis poſt ſæculis, quamvis convulſo iam imperio reſtitutam; nunc non modo videri hujus laudis præſidio ſpoliatam; ſed in ſummam bonarum artium ignorationem penè demerſam*. Forſitan hæc non probaſſet Sectanus noſter, utpotè tot eruditis, maximiſque, qui Italiam illuſtrant, ingeniis injurioſa: Sed ulterius pergamus; Poſt pauca; *Nam etſi poſt imperium in Græciam adſportatum, Italiam Barbarorum armis divexatam, Itali ab omni cultiori ſcientiâ, et ſermonis, ac morum elegantiâ relicti fuerint; emerſerat tamen quatuor ferè ab hinc ſæculis priſca dignitas, authore potiſſimum, ac vindice Franciſco Petrarcha, homine, ſupra quam tempora ferebant, erudito, atque diſerto, qui bonarum artiũ inſtitutionem Italiâ iam abactam, atque depulſam, à veteribus fontibus arceſſivit*, (nota) *bonaque ſtudia longo iam tempore intermiſſa revocavit. Is enim* (iterum adverte) *veteres Oratores, atque Poetas, undè fuerant barbariè dejecti, reſtituit, et eloquentiam reduxit iamdiù exulantem. Ejus exemplo* (*ut hominum ingenia ſtatim, atque ſavilla inciderit, exardeſcunt*) *affectum iam opus, egregiè fuit à noſtris pro re nata continuatum, atque adeò confectum; eoque melius omnia proceſſerunt, quod ad cultum Latinitatis ſtudium Græcarum literarum, quod caput eſt omnis eruditionis, acceſſit.* Habes igitur à viro inſigni laudatam, probatamque Latinorum, Græcorumque veterum Scriptorum imitationem; Habes quem dignè non tantùm Philodemicis nugis, ſed cuicumque, qui eadem opinetur, opponas.

184. *Ac veluti &c.* Rationem addit, quia hodiernis tempo-

185. *Ingenia hæc ætas, quam ſæcula priſca tulerunt.*
Invidiâ careat ſermo; nam tempore ab illo
Mille artes crevere novæ, quin crevit & Orbis
Gran-

Notæ.

ribus majora ingenia ſurrexere, quam anteactis ſæculis orta ſint. Ita Philodemus, an id verum ſit, præcedens nota conſulatur. Ego tamen eadem ſemper ingenia fuiſſe arbitror, cultum tamen imparem; imò id veteribus conceſſerim ſupra nos, quod viam ſtraverint, veluti magiſtri, & duces noſtri ad ſcientias, & ſi quid novi induxerimus, vel ſi quid in eis corrigere fas fuit, totum id eveniſſe, vel quia inventis addere facillimum, vel quoniam experimentum rerum, quod tempore acquiritur, ità ſuaſit; cum ceteroquin inconcuſſus, immobiliſque ſtet, & ſtare debeat omnium eruditorum conſenſu illorum in Republica literaria Principatus.

186. *Invidia careat &c.* Probandum ſumit intentum; at prius veniam exorat, ne ejus ſermo in invidiam vertatur, ac odium audientium incurrat.

186. *Nam tempore ab illo &c.* Totum cavilloſum, ac fallax argumentum hoc, nàm qui divertere ab initiò ſtuduit iuventam ab antiquorum librorum ſtudiis, id unum propoſuerat de locutione, & de iis, quæ ad theoricam pertinet: illa autem omnia minimè aptari poſſe aliis ſcientiis, aut artibus liquidè apparet, quippè novis notionibus, atque experimentis perfici poſſunt: Vera igitur ſunt, ſed ad aſſumptum propoſitum minimè quadrant; mundus novis regionibus detectis auctus ab inſignibus, qui præcedenti ſæculo claruere, viris, item & nova ſidera perſpicillorum beneficio viſa, quæ iàm latuerant; ſunt & alia plurima, quæ minimè recenſeo, quia notas ſcribo, non quæſtionem, & tractatum.

187. *Mille artes &c.* Videantur Polydor. Virgil. de rer. inventor., & alii, & certè plurima pulcherrima habemus, quæ priſcis illis ſæculis ignorata fuere, uti in promptu ſunt, perſpicilla inſignem diſtantiam penetrantia, orologia vi rotarum equi-
men-

Grandior & toto creverunt ſidera cœlo.
Sic animos ſenſim digitis natura magiſtris
Fin-

Notæ.

menſuris, nedùm horas, ſed minuta, Solis, Lunæ, dierum, menſiumque curſus moderantia, & ſimilia, quibus ad miraculum fabrefactis, ac inſigni arte præparatis, non tam ad commodum, quam ad luxum, utimur.

187. *Quin crevit &c.* Primus omnium novum Orbem patefecit nobis Chriſtophorus Columbus, qui difficillimam, nullique hactenus tentatam navigationem ſub auſpiciis Sereniſſimorum Hiſpaniarum Regum Ferdinandi, atque Iſabellæ aſſumpſit anno 1492. Perfeeerunt alii, de quibus in propriis hiſtoriis rerum Hiſpanarum, ac Americarum, ex quibus propono Ferdinandum Columbum de vita genitoris ſui Italicè editâ 1570., Americum Veſpuccium libris ſuarum navigationum, Franciſcum Lopez in hiſtoria generali de Indiis Hiſpanicis, Chronica Peruvenſia tripartita Venetiis editâ 1650., Auguſtinum de Zarate de Inventione Perù, ſive Peruvenſis tractus Hiſpanicè editum Antuerpiæ 1555., Joannem Petrum Maffeum è Societate Jeſu in Hiſtoria Indiarum, & Joannem Acoſta de natura novi Orbis; alios autem mitto, ne in immenſum creſcam.

188. *Et toto creverunt &c.* Noviter ab Aſtronomis agnita, ut ſunt Medicæa in Jovis Satellitio, quorum primus Galilæus Author, & detector.

189. *Sic animos ſenſim &c.* Senſus eſt, non ſolùm ingenia majora hàc noſtrà ætate producta, ſed naturam ipſam ità hominum animos efformare didiciſſe, ut ſint rerum capaciores, & ad perdiſcendum, inveniendumque habiliores. Errorem hunc ſuprà ſatis rejeci, niſi velis ad exagerationem omnia hæc pertinere; ſed ſatius puto Sectanum noſtrum velle falsè, acutèque Philodemum talia ſentientem, atque loquentem redarguere.

189. *Digitis magiſtris &c.* Naturæ operationes ſpirituales ſenſibili actione explicat, dum illis ea tribuit, quæ corpori conveniunt; nàm aliter homo non operatur, atque agit, niſi per manus, & digitos, quando rebus materialibus incumbit; Benè di-

190. *Fingere majores didicit, rerumque capaces,*
Quas lux noſtra videt. Quod ſi præſentia Rulli
Di-

NOTÆ.

digitis magiſtris de opifice in ſua arte iàm excellenter verſato.

190. *Fingere &c.* Ideſt *componere, et formare*, quod Græcis πλάττειν dicitur, translatum ab opere figuli; unde formare, eſt agere more figuli, uſurpatumque etiam pro creare, indeque ſublimiori ſignificatione ipſi Deo tributum, qui πλάσης dictus per antomaſiam, quaſi orbis, & omnium rerum conditor. Rectè igitur de natura *fingere* ſcripſit, cum admirabilium operum ſuorum efformatrix inducitur.

191. *Quas lux &c.* Ideſt, quæ ad hæc uſque noſtra tempora agnita ſunt.

191. *Quod ſi præſentia &c.* Hactenus inepta, falſaque cum aliqua veri mixtura deſierant Philodemi ſophiſmata, nulliſque circumſcripta veri ratiocinii regulis eloquentia modum ſervaverat: Dixerat quippe, ità referente Lupo, majora nobis, ac noſtræ ætati ingenia ſupereſſe, ac præ antiquis habenda. Id modo exemplis probandum ſuſcipit, ac velut maximum heroa Rullum proponit: Quis Rullus fuerit jam pluribus Satyrarum locis dedimus. Talem apud Philodemum, aſſerente Lupo, cenſeri minimè dubitandum; ſed tenendum pariter Sectanum hic, ſi unquam alibi, jocari, & mordere ejus veſaniam, ac verè Satyrum agere. An ne dignus, qui inter maximos viros computetur Rullus, an ne ejus ingenium inter naturæ prodigia reponendum? Ridet Sectanus, & pluries riſit, riſumque movent ea, quæcumque ſcripſit. Sed jam ad Lupum audiendum propero. Rullum inter Principes de Sodalitio adoptavit Philodemus, ac jam vi Lucis univerſalis omni ſcientiarum genere, ut fingebat, mentiebaturque, imbutum inter ſibi charos habuit Bion, tantaque inter eos doctrinæ, ac morum conformitas, quanta neceſſitudo, qua, ex compacto ſeſe invicem laudando, reliquis illuderent. Alter igitur alterius lateri aſſiduè adhærebat; ſed Rulli in magiſtrum reverentia, magiſtri in diſcipulum extimatio gradibus ſuis procedebant, ut decebat. Laudaturus

Dicere, quæ vellem, non importuna vetaret,
Exemplis poteram vobis fortaſſe juvare.
Nam quoties repeto ternis cantata capellis
Carmina, & ingratis hærentes cruribus uvas,
Quantaque divinis inerant oracula lanis,
Exci-

Notæ.

igitur, & in exemplum producturus Rullum Philodemus, dolet eum præſentem eſſe, ex timore lædendi ejus modeſtiam, qua plurimum elucere effingit.

192. *Dicere quæ &c.* In ejus laudem, & ad virtutis & meriti ejuſdem gloriam.

192. *Non importuna &c.* Quia modeſtia Rulli minime opportuna Philodemo, qui illum laudare, & uſque ad ſydera extollere cupiebat.

193. *Exemplis &c.* Ideſt, potuiſſem (ſic Philodemus) ex ejus doctiſſimis elucubrationibus ea ſeligere, & afferre ad veſtros animos inſtruendos, quæ vobis maximam lucem, ac præclara documenta præberent. Reticentiam ſimulat, ſed optimus Rhetor, ea quæ laudanda fuerint, breviter attingit; imò non tam illa, quam hominem immenſis, licet per tranſennam, proditis encomiis cumulat; ſed quæ hæc opera, quorum exemplis nedum reſtituta vetus elegantia, ſed novum quid & admirabile additum eſt. Dicam Italicè, quia fertur Rullum hoc idiomate tantum ſcripſiſſe.

194. *Nam quoties repeto ternis &c.* Ideſt, *la canzona delle trè pecore*, cui illud intercalare celeberrimum, de quo alibi dictum.

Trè bianche pecore, ahi ch'hò perdute.

195. *Et ingratis &c.* Nempe *la Vendemmia*, de qua pluries in his Satyris mentio. Quare uvas ingratis cruribus hærentes dixerit, indè factum puto, quod fructum uberem minimè pro Rulli libidine reddiderint, nec ejus arriſerint votis.

196. *Quantaque &c. Il Sibillone*, qui & ex his Satyris innotuit; in eo etenim Oraculum reſponſa dare fingitur aliquid peten-

Excitor, & doctâ manant mihi labra ſalivâ.

Nul-

NOTÆ.

petenti, atque interroganti. Cur autem Oracula hæc tribuerit divinis lanis, non alia de cauſa id eveniſſe puto, niſi quod etiam hiſce ſermonibus capellas ſuas immiſcuerit; Niſi potius alluſum dixeris à Sectano noſtro, hæc per Lupum referente, ad veterum religionem; apud quos nullum penè templum, ara, Deorum ſtatua, & ſepulchrum (ex his Oracula ſiquidem manabant) ſine vittis laneis, quæ propterea in uſu ſacrorum eſſe dicebantur, quia ornarent illa omnia. De Templis Virgil. 4. Æneid. verſ. 457.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, et feſta fronde revinctum.

De Sepulchris Plutarch. in Philopœmene, Varro de Ling. Latin. lib. 6. *Itaque nunc, cum ad ſepulchrum frondes, et flores ferunt, lanas addunt.* De aris, & ipſis Deorum ſtatuis Livius lib. 40. *Lanaque cum integumentis, quæ Jovi appoſita fuit, decidit.* Morem hunc ſcias volo ortum ex ea forſan conſuetudine, qua veteres illigabant vinculis Deorum ſimulacra, ne hoſtili carmine avocarentur. Id Tyrii præſtitere, uti docet Curt. lib. 4. de Geſt. Alex. Magni, ad alias gentes poſtmodum etiam tranſiit idem mos. Nonnulli tamen referunt ad Matrem Peſſinuntiam, quæ velleribus contexuit pinum illam, ſub qua Atys ſibi virilia deſecuit, annotante Arnob. lib. 5.; utque ferax eſt ſuperſtitio, potuit ex his propagari ritus ad templa, ſepulchra &c. Quicquid tamen ſit, nil moror, conſuetudinem tantum contemplor, qua ſuppoſita, tranſlatè pro ipſis aris, templis, imaginibus à Sectano lanas has ſumptas non abſurda divinatio eſt: præcipue cum reſpectu ad epitheton *divinas*, quod religionis eſt; unde ſenſus ſit hoc Rulli oraculum eaſdem veritates pandere, quam Numina, quæ in templis colebantur, ſuper aras adorabantur, quorumque ſimulacra proponebantur populis, vincta, ornataque tæniis laneis &c.

197. *Excitor &c.* Quando ſcilicet hæc mente revolvo,

mire

Nullus enim veterum tam miſcuit utile dulci,

Ut

NOTÆ.

mirè commoveor, & quaſi à claſſico excitatus, in maximam admirationem ducor.

197. *Et docta &c.* Præ inſigni guſtu, quem ex iis concipit. Ità de Guſtu *ſalivam* interpretatus eſt Turnebus lib. 30. cap. 7., & poſt eum Salmaſius in Perſium Sat. 6. ibi:

Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſalivam.

Unde in hac ſignificatione dixere Latini *ſalivam movere*: iterumque Perſ. Sat. 1.

Summa delumbe ſaliva
Hoc natat in labris.

de his qui molli, tenera, & liquata voce pronunciant. Hinc latinè, eleganterque redditum dixerim proverbium illud Italicum, quod de his intelligitur, qui maxima alicujus rei voluptate, guſtuque capiuntur, & quaſi ad libidinem provocantur: *Gli viene la ſaliva alla bocca*, eo tamen moderamine, ut guſtus hic, & delectatio innocua, & laudabilis in Philodemo fuerit, quippe ex doctrina, eruditiſque Rulli ſententiis emanans.

198. *Nullus enim veterum &c.* Cauſam dat tantæ voluptatis, videlicet, quod Rulli ſcripta, Poeticæque elucubrationes mirificè utilitatem dulcedini conſociatam habeant, in tantum, ut nemo veterum Poetarum id tam plenè, completiſque omninò numeris aſſequutus ſit. Miror quod Philodemus non dixerit de Rullo, quæ ſcripſit de Homero Horatius:

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius, ac melius Chryſippo, et Crantore dicit.

Imò & Platone, & Ariſtotele; nam quæ præceptis, & theorematibus Philoſophi docent, ſatis innuit hunc Poetàm in ſuis capellis, vindemia, & oraculo repræſentare; ac etiam Virgilio, ei tribuens præ illo candidam locutionem, admirabilem carminum ſtructuram, ſuavem rythmorum modulationem & ſimilia. At inquies, eas omnes in dulce & utile reſolvi, & conſociari; Vereor tamen ne Sectanus ex perſona Lupi jocetur, & in æquivoco ludat, & ſatyricè mordeat; id in ſequenti nota pandere ſatagam.

199. *Ut*

Ut riſu prodeſſe queat, pariterque monere;
200. *Dj Rullo tantum, facileſque dedere Camœnæ.*
Sunt alii genio molles, quos vernula captat
Ethru-

Notæ.

199. *Ut riſu &c.* Quæ ſub oſcurè indicavit apertè pandit; dulcedinem igitur, & utilitatem ex ejus carminibus eliciendam tradit, ex eo tantum, quod riſum moveant, ſimulque moneant: Scurrilem muſam igitur agnovit, ac mimum agere indicavit. Vilem itàque delectationem ſuppoſuit, non quæ deceret Virgini caſtæ, pudicæ, & gravi, qualis eſſe debet poeſis inter cordatos, ac doctos viros; tota igitur utilitas, & dulcedo in riſu conſiſtit: Apage muſam hanc, magis dignam, quæ habitet in ganeis, & triviis, quam inter honeſtas gentes in aulis,

200. *Di Rullo &c.* Ac ſi dixiſſet tantum munus peculiari privilegio Rullo ſolummodo tributum à Diis & à Muſis, deberique ab ipſis auditoribus ità credi, quia ipſe Philodemus affirmet. Forſan & hic reſpicit Lucem univerſalem, quam alibi afflatu Numinis hominum mentibus illabi dixit; Hujus arcani moſtra Philodemo patent, ipſe horum oraculorum ſolummodo interpres, penes ipſum fides ſit: Ego nil niſi ſcopticè, & ſatyricè, & quidem eleganter, & argutè à Sectano dictum agnovi.

201. *Sunt alii &c.* Alios quos reprehendat habuit Philodemus, illos videlicet, qui Etruſco ſermone loqui, ſed nimis ſcrupuloſæ, ſuperſtitioſæque obſervationi quorumcumque verborum & vocum ſtudent.

201. *Genio molles &c.* Ideſt delicatuli, & in verborum delectu, & loquendi formulis nimia ſuperſtitione preſſi.

201. *Quos vernula &c.* Qui nativi Tuſci ſermonis amore capti, toti in ejus gratiis, leporibus, & in ipſius pronunciationis gutturali opacitate conquirendis animum intendunt: Hos damnari minimè cenſuerim à Philodemo, quandoquidem inter Italica idiomata purius, & elegantius præ omnibus eſt, quod

viget

Ethruſcus ſermo, charites, tenerique lepores,
Et voces, patrium quas guttur fecit opacas.
Hi ſcelus eſſe putant, verbum ſi labitur ullum,
Quod

NOTÆ.

viget penes Ethruſcos, nemine, qui ſanæ mentis ſit, diſſentiente; Quis enim ignorat probatiſſimos inde Authores manaſſe, à quibus ratio rectè loquendi in communi, vulgarique lingua ad nos manavit.

202. *Charites &c.* Hanc vocem, licet Græcam, ſæpe Latini in ſuos uſus tranſtulerunt; eas pulchras, teneraſque effinxere puellas, & Veneris Amorum matris comites, de quibus Heſiod. in Theogon., & Orphæus in hymn., cui tit. in Charites: Hinc nomen ad quodcumque lepidum, & ſuave tranſlatum, ac ſermonis elegantiæ, ac decori maximè accomodatum, diciturque nobis loquendi, dicendique gratia, nam χάρις Latinè *gratiam* ſonat.

202. *Tenerique lepores &c.* Ideſt urbanitas, & venuſtas ſermonis ex Cic. 6. Ver. *Lepore, ac venuſtate affluens*; unde & propriè dicendi lepos aliis appellatur ornatus, concinnitas, & elegantia; In quo ſenſu idem Cic. 4. Acad. quæſt. *Cujus primo non admodum probata ratio, quamquam floruit acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi &c.*

203. *Et voces &c.* Imò & vocem, atque pronunciationem imitari conantur, quam ideo opacam dixiſſe Sectanum cenſeo, quia intrà guttur efformatur cum quadam obtuſitate, quæ Etruſcis penè omnibus communis & à reliquis Italiæ gentibus illius Provinciæ accolas diſtinguit. Inde eos dicunt reliqui Itali *parlar con gorgia*, quod puto derivatum à Latino verbo *Gurges*, qui qui ad aquæ profunditatem pertinet, ex qua ſonus quidam, ac ſi ebulliat, & obmurmuret, dum per varios flexus circumvolvitur, & in altum emergit.

204. *Hi ſcelus eſſe &c.* Ideſt, apud hos crimen eſt, ſi vel è calamo, vel ex ore labatur ullum verbum, quod prius ad exactam, diligentemque trutinam, non revocent, & ab antiquis hujus linguæ magiſtris uſitatum non comperiant.

205. *Quod*

205. *Quod non lympha prius medio purgaverit Arno.*
Ut-

NOTÆ.

205. *Quod non lympha &c.* Ideſt, quod prius ab omni ſorde verborum, & locutionis ad artis regulas minus apparatæ expurgatum non ſit ſecundum Ethruſcos ſcriptores, qui magis in bene, eleganterque loquendo, ſcribendoque excelluerunt. Metaphora deſumpta eſt ab ipſa aquæ natura, ea ſiquidem, quicquid ſordidum eſt, abluimus, & expurgamus; forſan etiam relationem habuit Author ad luſtrationes veterum, qui ſacra facturi abluebant manus, & ſe purgabant aqua viva, putantes illa ſordes animi penitus tergi. Ità Æneas apud Virgil. lib.2. Æneid.5.

Tù Genitor cape ſacra manu, patrioſque Penates
Me bello è tanto digreſſum, et cęde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Ovid. *vivo rore* dixit 4. Faſtor.

His Dea placanda eſt, hæc tù converſus ad aras
Dic quater et vivo perlue rore manus.

Silius lib.8.

Ac vivo purgor in amne.

Ad quam ſuperſtitioſam praxim reſpiciens Lactant. lib.5. c.20. *Se piè ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tanquam libidines intrò pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

205. *Medio Arno &c.* Regium hoc flumen Ethrnriam alluit; ac ſi dixiſſet, purgationem hanc in medio ejuſdem, ubi aquæ profundiores, & velocius fluunt, faciendam; Sic ſemper ſervata elegantia metaphoræ innuit ex vividis, perennibuſque Authorum Ethruſcorum fontibus, libriſque hos ità ſcrupolosè cenſere haurienda etiam ipſa minuta verba, ut quicquid aliter dictum, ſcriptumve fuerit, barbarum penitus ſit, nil morando, an uſitata, an obſoleta ſint ipſa verba, quandiù ſunt in ea firmiſſimè ſententia, qua dijudicant, ſatis eſſe, imò plus quam ſatis, ad propriæ cauſæ victoriam, quod ſic, vel ſic aliquis ex receptis Scriptoribus dixerit &c.

206. *Ut-*

Utque queant dulci condire poemata metro,
Ad Sorgæ latices properant, Laurumque pudicam,
Inſer-

NOTÆ.

206. *Utque queant &c.* Hucuſque non improbandam cenſeo Philodemi ſententiam; ſed in ſequentibus maximè errare autumo, quippè videtur damnare eos, qui ad optimorum Authorum, quos Linguæ, & rectè loquendi Magiſtros agnoſcit Ethruria, opera confugiunt, ac talium imitationem reſpuere.

206. *Dulci &c.* Condire dulci metro, eſt tranſlatum ab epulis, quas condire dicimus, cum eas ſapidas, ac commendabiles facimus addito ſapore, ſalis, pinguedinis, ſeu aromatum; Condire autem poemata eſt omni elegantia, ornatu, & verborum proprietate componere.

207. *Ad Sorgæ &c.* Ideſt, toti incumbunt in ſequendis, ſtudendiſque operibus Petrarchæ & Dantis Aligherii. Quoad primum habet Author ejus vitæ, quod *Avenionem regreſſus, & tædio curiæ affectus, cum ſolitudinem, et locum quietis exquireret, et operam tandem rebus ſcribendis daret, et liberius ocio frueretur, Incidit in Vallem, quam Incolæ clauſam appellant &c. In ea Cæli ſerenitas quædam, et jucundus aſpectus, Sorgiæ fonti pulcherrimo, qui ibi viſitur, nomen eſt;* Igitur Sorgæ latices petere idem eſt, ac Petrarcham, qui ibi plurima elucubravit, adire. Sorgam pro Sorgia, dixit ea, qua pollent Poetæ, libertate, & ad metri commodum.

207. *Laurumque pudicam &c.* Lauræ nomine nuncupata fuit nobilis Virgo, quam pudicè Franciſcus Petrarcha adamavit, ac coluit; cujus frequentiſſima mentio, lauſque in ejus cantionibus: Sic de hac recit. Author: *Captus etiam dum ſic ſtaret* (ad Vallem clauſam propè Sorgiæ fontem) *amore Lauretæ, quam ipſe ampliato nomine Lauram vocabat, et ardenter illam amavit, et multa carmina, et rithmos in ejus laudem compoſuit, et undique quantum ingenii valuere vires in omni genere virtutis illuſtrem reddidit.*

Inferniſque petunt carioſà vocabula Bulgis .
Omne tulit punctum, Tuſco qui carmine Domnam
Pro Dominâ dixit ; qui ſævo ſpicula plumbo
Scit

NOTÆ.

208. *Inferniſque &c.* Dantem intelligit, qui canticum inferni elucubravit, ubi varias, plurimaſque bulgas, queis truſi criminum rei pœnis debitis afflictantur, effingit: Bulga porro ſacculus ex corio, aut alia materia confectus, quo circumferunt peregrinantes pecuniam, aut alia vitæ neceſſaria; Ità Feſtus: ex earum autem ſimilitudine bulgarum nomen Dantes tribuit cavitatibus illis, quibus vult ſcatere infernum ad recipiendos ſontes pœnis cruciandos.

208. *Carioſa vocabula &c.* De verbis intelligit, quibus uſus eſt ipſe Poeta, quorum plurima nunc obſoleta à communi, ac etiam quorumcumq; Scriptorum uſu abierunt, & ut antiquata nunc reſpuuntur; hinc benè carioſa nuncupantur tranſlatè à tignis, aliiſque rebus, quibus præ vetuſtate caries inducitur. Unde Ovid. 2. Amor. *Carioſa ſenectus*.

209. *Omne tulit &c.* Ex imit. Horat. in Art.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Ideſt totum opus, atque rem aſſecutus eſt.

209. *Tuſco qui &c. Domna* apud Authores Ethruſcos eadem, quæ *Domina* apud Latinos, à quibus derivata in noſtrum idioma. Ludit Sectanus, ſeu potius per Sectanum Philodemus, qui in re tam modica perfectionem rectè loquendi locat; ni potius intelligas de futilibus poetaſtris, qui quoties aliquid ſimile ineptè inſerunt ſuis cantiunculis, magnum opus perfeciſſe exiſtimant.

210. *Qui ſævo &c.* Poetæ finxere Cupidinem duplici telo armatum, quorum alterum aureo mucrone munitum amorem induceret in homine, qui ab eo vulneraretur; plumbeum ſecundum, quo quis ſauciatus alteri in amando reſpondere, ac amare prohibitus cenſebatur. Hoc paſſim apud Poetas ſcribitur: Unde jocus de eo, qui meditatur ſe magnum quid ſcribere,

quo-

Scit puerum Veneris torquere, atque altera ſata
Ap-

NOTÆ.

quoties hujus rei meminit, vel alterius hujuſcemodi fabulæ notiſſimæ, tritiſſimaque etiam apud puerulos, qui primis grammaticæ rudimentis vacant. Proculdubiò alludit ad fabulam Apollinis & Daphnidis, quam refert Ovid. lib. 1. Metam., ubi ad rem noſtram de aureo, & plumbeo telo: Ibi etenim Cupido dicitur:

Eque ſagittifera prompſit duo tela pharetra
Diverſorum operum; fugat hoc, facit illud amorem:
Quod facit, auratum eſt, et cuſpide fulget acuta,
Quod fugat obtuſum eſt, et habet ſub arundine plumbum:
Hoc Deus in Nympha Peneide fixit; at illo
Læſit Apollineas trajecta per oſſa medullas.
Protinus alter amat; fugit altera nomen amantis.

211. *Scit puerum &c.* Ideſt filium; Variæ de matre Cupidinis ſententiæ, quas legere eſt apud Lilium, & Natalem Comitem in Mythol., ubi fabularum diſcrimina: Addo Ludov. de la Cerda in comm. ad Virgil. 1. Æneid., ubi elucidans locum illum, quo inducitur Venus Cupidinem alloquens his verbis:

Nate, meæ vires, mea magna potentia, ſolus.

refert Poetas, & alios fabulatores, cum repræſentant unum tantum Amorem, tribuere illi matres diverſas; cum duos ſemper Venerem: cum multos, uni Cupidini Venerem, reliquis Nymphas: Firmat primum ex Heſiodo, qui eum filium facit ex Chao, & Terra; ex Simonide, qui Venerem & Martem ei parentes tribuit; ex Alcæo, qui ex Lite, & Zephyro ortum dicit; ex Sappho, quæ genitores aſſignat Venerem, & Cœlum; tandemque ex Alcmæone, cui natus ſcribitur ex Zephyro, & Flora: Alterum notat ex Ovid. 1. Faſtor.

Alma fave, dixit, geminorum mater Amorum.

Et ex Horatio.

Quam vocat mater geminus Cupido.

Appellat ſamam, mortem, ſunuſque ſecundum.
Aſt ego jejunos reputo, cerebrique minores,
Quos

NOTÆ.

Hi enim (ut qui duos tantum exhibent) utrique dant matrem Venerem. Tertium ex Claudian. qui multos producens, unum tantum dat Veneri, reliquos Nymphis. Canit enim;

Mille pharetrati ludunt in margine fratres:
Ore pares, ævo ſimiles, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea contrà
Edidit.

Venus tamen communiori calculo tanquam mater Amori aſſignatur, quæ enim Venus apud veteres, niſi pulchritudinis, deliciarum, & voluptatum omnium Dea? Unde apud Virg. loc. cit. Amor ejus vires, & ejus potentia nuncupatur, quia ut ait Plutarch. ἐν Ἐρωτ. ἀψίκορος ἡ τῆς Ἀφροδίτης χάρις ἔρωτος μὴ ἐπιπνέοντος: *Languida eſt, et faſtidioſa Veneris gratia Cupidine non ſpirante.* Ibidem rem firmat comparatione, ait enim tenebroſam eſſe terram abſque Sole, & Venerem μὴ παρόντος ἔρωτος, *abſente Amore*. Sed de his ſatis.

211. *Atque altera fata &c.* In Triumpho Famæ Divinus Franciſcus Petrarcha famam ſic appellavit;

Chiamaſi Fama, et è morir ſecondo.

ea videlicet ratione, quia ſicuti fama eſt nova vita, qua Viri illuſtres poſt mortem vivunt; cum ſæpè contingat poſt longum temporis effluxum ipſam famam intercidere, merito ab Ethruſco Poeta ſecundum funus nuncupatur. Quo verò ad ſenſum Authoris, videtur ineptos quoſdam noſtræ ætatis Poetas mordere, qui ſtatim ac ſuis cantilenis inſeruerint dictum aliquod præclarum veteris Scriptoris illius famam ſe putant aſſequtos.

213. *Aſt ego &c.* Verba Philodemi de his ridiculis ſcrupulis hominum in re minima. Primò igitur vocat jejunos, ſecundò cerebri minores. De utroque ſingillatim.

213. *Jejunos &c.* Ideſt, ſterili ingenio præditos, & omni virtute, atque doctrina vacuos, prout jejunus dicitur, qui cibum non guſtavit, ac ſi pari ratione itidem jejunus ſit ille, qui

nequi-

Quos vanus captat titulus, nomenque Poetæ,
215. *Traditus & faſtis error. Pia thura Camœnis*
Per-

NOTÆ.

nequidem primis labris aliquam ſcientiam attigerit, unde de terra ſicca & ſterili bene Virgil. *jejunam glaream* dixit: Jejunum animum pro languido, & imbecilli poſuit Cic. 4. Philip. Itidem & *jejuna oratio* ſæpe nuncupata, quæ copioſæ, & plena apponitur.

213. *Cerebrique minores &c.* Pro ſtultis accipe, ſeu ad minimum pro ineptis; nam cerebri minores, qui cerebri vitio laborant, quique apud Italos dicuntur *baverpoco cervello*; Nam cum cerebrum ſit ſenſuum arx, & mentis regimen, inde pro ſtulto accipitur, qui eo vel infirmatur, vel prævia aliquali exſiccatione minuitur, & flacceſcit.

214. *Quos vanus &c.* Qui ſibi uſurpant nomen, & titulum Poetæ, vel qui hujus nominis, titulique amore rapiuntur, proximè ad ſenſum Cic. in Piſon. *Inania ſunt iſta, captare plauſus, vehi per urbem, conſpici velle.*

214. *Titulus, nomenque &c.* Titulum intellige pro dignitate, nomen pro gloria, atque fama: Itàut ſenſus ſit; ego Philodemus ſtultos reputo, qui ſibi tribuunt dignitatem, & gloriam Poetæ, cum vix, ac nedum vix prima poeſeos elementa noſcant.

215. *Traditus &c.* Ideſt, quædam inveterata opinio, & præjudicata ſententia minimè fidelis & prudens, ſed falſa, & erronea, quæ malum maximum hominibus eſt, ſut inquit Demoſthenes.

215. *Pia thura &c.* Poſtquam Philodemus in alios, qui ſibi nomen Poetæ uſurpant indebitè, acriter inſurrexit, de ſe gloriabundus agit; ſeque plurimum Muſis debere jactat, ideòque ſe ſacra eis perſolvere paratum pro gratiarum actione, quod ſe immortalitati ſacraverint, & ſuprà omnes Ethruſcos Poetas tam veteres, quam modernos evexerint.

215. *Camœnis &c.* Finguntur Poetæ eſſe Sacerdotes Muſarum. Teſtes profero, Horat. lib.3. Od. [illegible] de ſe.

Carmina non prius
Audita Muſarum Sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Virg.2. Georg. verſ.475.

Me verò primum dulces antè omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore
Accipiant.

Propert. lib.3.

Primus ego ingredior puro de fonte Sacerdos
Itala per Grajos Orgia ferre choros.

Et Ovid. 3. Amor. Eleg.7.

Ille ego Muſarum purus, Phœbique Sacerdos.

Quod autem dicat thura, & cinnama adolere, id pertinet ad ritus veterum ſacros; Adolere eſt verbum ſacrorum, nam eo utuntur Lucretius lib 4., Virgil. Eclog.8., & paſſim alibi, aliique, ubi de re hac. Thus verò, & alia ſuffimenta in ſacris adhibita teſtantur Virgil.5. Æneid. verſ.744.

Pergameumque Larem, et canæ penetralia Veſtæ
Farre pio, et plena ſupplex veneratur acerra,

Et Eclog.8.

Verbenaſque adole pingues, et maſcula thura.

Arnob. noſter lib.7. *Non ſi tu mille pondera maſculi thuris incendas, cœlumque hoc totum reaundantium vaporum nebuloſitate cludatur &c.* Unde quia nullum ſine eo ſacrificium fiebat, cenſuere aliqui, nec incongruè quidem, thus nomen accepiſſe ἀπὸ τοῦ θύειν, quod eſt *ſacrificare*. Ritus hujuſcemodi antiquitatem vetuſtiſſimus Herodotus pandit, qui lib.1. ſcripſit, Babylone in Jovis templo mille quot annis talenta thuris adoleri ſolita; Item Athen. lib. 12., apud quem Empedocles de Venere Paphia ait:

Nullum ex Diis prorſus illi venerabuntur,
Non Jovem Regem, non Saturnum, non Neptunum:
Sed Reginam Venerem, quam Sacris ſtatuis placabant
Animalium picturis, unguentis varia ſpirantibus
Sinceræ myrrhæ ſuffitu, et thuris ſuaviter olentis,
Effuſo in pavimentum melle flavo libantes,

Con-

Perſolvam, ſanctiſque adolebo cinnama flammis,

Quod

NOTÆ.

Conſonè Virgil. lib.1.Æneid.de eadem Venere.

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ.

Et antè eum Homerus 8.Odyſs.

Illa verò ad Cyprum pervenit ridens Venus
In Paphum, ubi lucus vaporanſque ara.

Illud & refert Pindar. Od.7. Olymp., quod Oraculum Apollinis reddatur *ἀπύροις ἐν ἱεροῖς*: ex quibus fortaſſe eluditur ſententia Plinii lib.13. cap.1., & Arnob. ſentientium thus novellum fuiſſe in ſacris: Ille etenim *Iliacis temporibus thure minimè ſupplicatum* aſſerit: Ille nullam *thuris mentionem temporibus heroicis* factam, nec Numæ ævo convenire: quandoquidem de ipſiſſimis Heroum temporibus loquuntur Herodotus, & Homerus, quibus addo Macrobium, apud quem annotatur, Ægyptios, à quibus derivata ſacra ad Græcos, & Trojanos thure Deos ſuos placaſſe, atque hos ex Moſaicis ceremonis ſumpſiſſe, & in prophanam religionem induxiſſe probabile eſt; In lege enim Moſaica cautum, thus in Sacrificiis ſuper altare adoleri, paſſim in ſacris libris habetur.

216. *Cinnama &c.* Plinius lib. 12. cap. 19. refert Cinnamum eſſe fruticem naſcentem apud Gebanitas in finibus Troglodytarum, præſtantiſſimum exundantem odorem, quod & ipſum Cinnamomum dicitur. Inde argumento eſt de quolibet odoramentorum genere ad ſuffumigationes apto dicere voluiſſe Philodemum, qui in thure lacrymas arborum, in Cinnamo ligneam eorum materiem, odoramentum autem utrorumque ſuppoſuit in Muſarum ſacrificiis.

216. *Sacris flammis &c.* Plures habentur rationes, ex quibus flammæ ſanctæ dicendæ ſint; primò quia in igne divinitas excogitata fuit, de qua re alibi dictum; ſecundò ex eo quod ad ſacra adhibito multa religio: Illud enim in more fuit, nefas eſſe ignem ad ſacrificia accendi ex igne prophano, ſed ex eo,

Quod mihi ſorte datum craſſas domuiſſe tenebras

Lam-

NOTÆ.

qui ex præcedenti ſacrificio aſſervatus fuerit, ſacerque idcircò factus. Ità Phœdrus in fabul.

Itàque hodiè nec lucernam de flamma Deum,
Nec de lucerna fas eſt accendi Sacram.

Ubi habes minime flammam prophanam excitare licuiſſe ex ſacra, ſicuti nec ex prophana ſacram. Favent Virgil. 8. Æneid. verſ. 542. ex Latinis.

Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat, externumque Larem, parvoſque Penates
Lætus adit.

Et ex Græcis Callimachus in Hymn. Apollinis.

ἀεὶ δὲ τοι ἀέναον πῦρ
Οὐδὲ ποτε χθιζὸ περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη.

Abditus aris
Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.

Hic obiter ſubdam, in toto hoc Satvrarum contextu miram Sectani artem, loquendi proprietatem, & elegantiam, ſententiarum gravitatem, jocos, lepores ſervatos apprimè eſſe: nec tamen omninò, ut forſan decebat, diutiùs in laudibus ejuſdem permanſi; At hunc locum perpendens, non potui non eum magis mirari, quantum ſemper rei, de qua agit, ſe mirificè accomodet. Acturus de re ſacra ne minimum quidem verbum, quod ad eam non pertineat, ſcripſit, eaque elucidavit proprietate, ac elegantia, qualem forſitan nullam majorem apud veteres Scriptores legere eſt: Hinc *Pia thura*, & *cinnama* in ſacrificio Muſarum, *adolere*, *ſanctis flammis*; quis unquam duorum verſuum complexu tanta, ac tam bellè expreſſit? ut nulla linea deſit, quin ad perfectam ſacrorum veterum normam, & regulam explicandam feliciter progreſſum fuiſſe meritò fateamur.

217. *Quod mihi ſorte &c.* Quod mihi fortunæ munere conceſſum: Ità Philodemus.

217. *Creſ.*

Lampade Palladiâ. Non jactet Ethruria Vates;
Nam ſi fortè meos vellem prompſiſſe libellos
Bucolicos, poterit paſſas Aligherius uvas

Cin-

NOTÆ.

217. *Craſſas domuiſſe &c.* Translatum ab equis, aliiſque animalibus, quæ domare dicimus, cum ad manſuetudinem cogimus; Hinc domare craſſas tenebras, eſt earum obſcuritatem pellere lucis ſucceſſione; in noſtro caſu intellige de tenebris ingenii ex ignorantiæ nebulis, quas depulſas à ſe narrat Philodemus, non ſtudio, non labore, ſed vi, virtuteq; Lucis univerſalis, qua ad omnium virtutum, ſcientiarumque culmen ſe evectum profitetur, ac ſi Numinis cujuſdam illapſu communicatæ fuerint.

218. *Lampade Palladia &c.* Lampada pro ipſa luce, de qua ſtatim ſupra, dictum agnoſce; Dixit Palladiam ad explicandum clarè de qua luce intelligat; Nàm [Pallas ſapientiæ Dea, quæ ideò ex Jovis cerebro ſine matre nata à Poetis fingitur, quia liberalibus artibus, & diſciplinis credatur præſidere, quæ non ex invento humani ingenii, ſed ex inhexauſto divinæ ſapientiæ fonte creduntur dimanaſſe. Ita lampas, ſeu lux Palladia, quæ à Luminoſis Univerſalis nuncupatur, ex eo quia prædicent ſuperiori lumine potiùs infuſam, quàm arte acquiſitam.

218. *Non jactet &c.* Proſequitur Philodemus laudes ſuas, ſeque omnibus Ethruſcis Poetis excellentiorem, ſed tamen modeſtiorem dicit,

219. *Nam ſi fortè &c.* Excellentiam probat ex ſuis Bucolicis, modeſtiam verò, quia latere ſinit, nec in lucem prodire patitur. Minas tamen ſimul miſcet; itaùt ſenſus ſit: Nolím Ethruriam de ſuis Poetis ſuperbire, quia ſi aliquando promam meos Bucolicos verſus, quos ſervo, ſanè videbit gloriam hanc, quam ſibi uſurpat, illi indebitam, mihi verò tantùm convenire.

220. *Poterit &c.* At quid faciendum de Poetis, qui Ethruſco ſcripſerunt idiomate, famamque maximam ex ſuis operibus acquiſivere? Audi Philodemum: Dantis Aligherii opera

Vi-

Cingere, & accenſà volitare Petrarcha papyro,
Romuleæ feſtis cum lucent ignibus arces,
Aligerique micant mediâ de nocte Coloſſi.
O Lupe, me Caſtor, ſileas; ne pigra Tonantis
Ful-

NOTÆ.

viliſſimo miniſterio proſtituentur; videlicet involvendis vilis paſſis, aliiſque ſimilibus rebus deſtinabuntur.

221. *Et accenſà &c.* Iterum auſculta: Franciſci Petrarchæ elucubrationes, celeberrimique rythmi inſumentur in conficiendis tubulis illis, qui pulvere pyrio certâ arte parato repleti, in pervigilio Principis Apoſtolorum, ac ejus feſto accenduntur, vique accenſi ignis ad volatum coguntur; quod & fieri ſolet in majoribus feſtivitatibus ad oſtendandam lætitiam ob diei celebritatem.

222. *Romuleæ &c.* Romuleas arces, ideſt Romanas, pro Mole Hadriana in arcem converſa Summorum Pontificum curà: In ejus enim vertice hi ignes accenduntur non ſolùm veſpere pervigilii, & feſtivitatis SS. Petri, & Pauli, ſed præcedenti, ac ipsâmet anniverſaria nocte Coronationis Pontificie.

223. *Aligerique &c.* Pons in proſpectu Hadrianæ Molis ornatur ab utroque latere coloſſeis ſtatuis Angelos repræſentantibus, ſtudio, ac impensâ Clementis Noni Pont. Max., cujus pietatem, doctrinam, ac liberalitatem, præcipuamque in ornanda Urbe curam adhuc hominum ora deprædicant, & ſemper admirabitur poſteritas. Cum itaq; in hujuſmodi feſtis noctu lampades in gyrum accendantur, ipſoque in ponte magna vis ignium erumpat, meritò dixit Author, Aligeros coloſſos micare.

224. *O Lupe &c.* Hic finis Lupo narranti, quid in conventu Philodemico geſtum, atque dictum fuerit; forſan alia ſupererant dicenda, ſed iræ impatiens Sectanus, ulteriùs tot ineptias referre, ſilentio imperato, ei prohibuit.

224. *Me caſtor &c.* In imponendo ſilentio jusjurandum addit, ut majorem vim ſententiæ addat. Formula hæc jurandi uſitatiſſima apud veteres, & compendiosè idem erat, docente Feſto,

225. *Fulmina ſollicites, alienaque crimina ſontem*
Effi-

NOTÆ.

ſto, ac ſi dictum fuiſſet: Ita me Caſtor adjuvet. Exemplum propono ex Terent. in Hec: *Salve me Caſtor Parmeno*; ubi Donatus; *Olim ſalutantes addebant jusjurandum*.

224. *Ne pigra Tonantis &c.* Nè has proferendo blaſphemias celeſtem ultionem experiaris, quæ quò tardior, eò gravior; Hinc Valer. Max. lib. 1. *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, et tarditatem ſu, plicii gravitate compenſat.*

225. *Fulmina &c.* Fulmen ignis è nubibus eſt, quod Jovis telum dixere Poetæ, *rubrum* ſanè, *& ſanguineum*, ut ſcribit Acron in illud Horat. *Jam ſatis terris &c.*, undè Calaber lib. 14. vocat eum ὀλοὸν κεραυνὸν, βροντῇ στονόεσσαν, *perniciosum fulmen tonitrum mæſtificum*. Hoc autem ferire ſolitum nocentes omnium mens eſt, qui apud Ethnicos ſcripſere; Indè ad puniendos Græcos prompta Pallas apud Euripid. in Troad. gloriatur, quod ſibi promiſſum fuerit à Jove fulmen, inquiens:

> Ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον
> Βάλλειν Ἀχαιοὺς
> *Mihi verò daturum ſe dixit ignem fulmineum*
> *Ad feriendos Græcos.*

Quo referendus Senec. in Agamen.

> *Fulmine irati Jovis*
> *Armata Pallas.*

Mitto cuicumque Numini ſuum fulmen tributum fuiſſe, uti de Pallade Flacc. 4. Argon., de Junone Servius, & Statius, de Vulcano idem Servius, de Marte Plutarch. ἐν ἐρωτ, & ſic de aliis; nam non eſt hujus loci hæc differere. Unum addo quadruplex fulminum genus agnitum fuiſſe, teſte Servio, videlicet *Diſſiciens, Transfigens, Corripiens, Infigens*; Quod totum repræſentatur à Virgilio lib. 1. Æneid., ubi de Pallade:

> *Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem*
> *Diſiecitque rates, evertitque æquora ventis.*
> *Illum expirantem transfixo pectore flammas*
> *Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.*

Uti

Efficiant. Tantum ne ſuperba cucurbita frontem
Erigit è limo, fœdaſque è ſtercore vires
Colligit, ut ramos tendat, Cælumque laceſſat?
Na-

NOTÆ.

Ubi habes exercitium totius hujuſce carnificinæ: *Disjecit rates, transfixo pectore, corripuit turbine, infixit ſcopulo.*

225. *Alienaque crimina &c.* Et tanquam reus, & particeps alieni delicti ad penam voceris.

226. *Tantum ne &c.* Irà majore abripitur Sectanus, quàm continendi impotens evomit, exageratque contra homuncionis intolerabilem petulantiam, atque ſuperbiam, qua Cœlum ingredi, & ſidera penetrare præſumat, qui vix ſe è terra, atque è luto queat attollere, & ſerpat, quaſi cucurbita.

226. *Superba cucurbita &c.* Ideſt; Exclamat: Tantum ne vanus, & ſuperbus homo, quique veluti cucurbita à limo, & à ſtercore vires quaſcumque ſuas agnoſcit, & habet, audet, ut frontem aſtris inſerere, ramos in altum tendere, & Cœlum vertice tangere velit? Cucurbitam ſuperbam dixiſſe Sectanus puto, non tantum quia longè ſerpit, foliorum, fructuumque magnitudine, multitudineque luxurietur, ac omnes quantumvis maximas arbores ſuperet; ſed quia cucurbita pro homine inſano, ſtulto, vaniſſimoque accipitur, ut iàm dictum fuit Satyr. 1. not. 81.

226. *Fronte &c.* Naturam cucurbitæ reſpicit, cui ſerpere, non ſe in altum erigere eſt; & in limoſis, ſtercoratiſque agris naſcitur.

228. *Ut ramos tendat &c.* Quaſi annoſa quercus ramos in ſublime tendat, & ſui cacumine, velut Celum laceſſere videatur. Similitudinem, & metaphoram aptiſſimè ſervat, nam nemo melius de ſuperbo, & ambitioſo, ſed tamen vulgari homine, qui de ſe nimis altè, ſed tamen vanè præſumat.

228. *Cœlumque laceſſat &c.* Ultra præcedentem hujus loci explicationem illud dici poteſt, quod laceſſere Celum ſit eum irritare, tantos, totque Poetas inſignes ledendo, & tantæ ambitio-

Naviget Antyciram, tenui ſi naſcitur herbà
Elleborum; celſas fas eſt ſuperare cupreſſus,
Roboraque, & Cajo prognatas Conſule quercus,
Quæ

NOTÆ.

bitionis conatibus ultra modeſtiæ limites egrediendo; nam, ut dixi, Poetæ Muſarum Sacerdotes, ſacri, ac Diis chari habiti fuere; ambitio autem, & ſuperbia, quam *parentem ſuperſtitionis* vocat Phavorin. apud Stob. *et principium hæreſis* dicit Sanctus Greg. 3. Moral. *nos à Deo ſeparat*, ut rectè admonet S. Auguſtin. de Morib. Eccleſ. Cathol. cap. 1., *et fidei maxime reſiſtit*, teſte eod. in lib. expoſit. ad Galat. Nulla autem ratione Philodemo ſuperbiendum docuit Sectanus Sat. 2. penè per tot., eam ſi lubet conſule.

229. *Naviget Antyciram &c.* Elleborum in Antycira naſci iam dictum, nec repeto; Quam benè, eleganterque, emphaticè tamen, & prout Satyrum iratum, & furore percitum Apollineo decet, ſententiam ſuam augeat noſter Author, cuicumque legenti in comperto eſt. Quid igitur? Veſaniæ Philodemi tantam ambitionem tribuit; ſtultitiam hanc non vulgarem exageraturus, & ejus repræſentaturus magnitudinem, majora, efficacioraque antidota neceſſaria contendit, quam ipſum elleborum, qui etſi malo huic medendo aptum ſit, attamen non ſatis Philodemico. Exclamat igitur, & quidem mirà elegantià, ac vi in dicendo, exclamat inquam; Naviget, & redeat Antyciram ſuam, natale ſolum elleborum, ſi è tenui herba naſcitur; tantus enim eſt Philodemi furor, ut nil prodeſſe ei valeat humilis frutex, mollis herba, tenue virgultum; Quicquid enim pro medicamento Calabri veſanię curandę parandum eſt, quercuum, roborum, & cupreſſuum altitudinem, & craſſitiem æquare opus eſt; Maximis, non minimis antidotis utendum.

231. *Cajo prognatas &c.* Ideſt annoſas, & in maximam proceritatem elatas. Imitationem duxiſſe crederem ex Juvenal. Satyr. 5., ubi notat vinum vetuſtate commendari, amphoraſque ipſas

Quæ Calabræ prodeſſe ſoluti medicina laborat .
Quid tibi cum puro vecors ſermone? Quid audes
Immundo Ethruſcas labro fellare Camœnas,
Et ſacros Vates, ſanctiſſima nomina, nugis
Im-

Notæ.

ipſas, queis ſervabatur, nomine Conſulis ad indigitandum annum ſolitas conſignari. Undè ait;

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat .

Ac ſi dixiſſet antiquo Conſule, quia veteres intonſi erant, & promiſſos crines, & comam prolixiorem nutriebant, prout obſervat Brodæus 1. Miſcell. cap. 3. Ita quercus prognatæ Cajo Conſule antiquiſſimæ ſunt, ac ſi dicantur anno ejus Conſulatus conſignatæ.

232. *Quæ Calabræ &c.* Cenſco intelligendum de malagmate, quod ſtultorum capiti applicant Medici, vulgò *ceroto: ἔδωκι δι ἐν ταῖς Σίνοις* .

133. *Quid tibi cum puro &c.* Ad eumdem Philodemum ſermonem dirigit, & eum tanquam vecordem iterum taxans, de ignorantia purioris Linguæ Ethruſcæ arguit; Senſus, & vis hujus ſententiæ eſt; Quid tibi, Philodeme, rei eſt cum puritate, leporibus, ac elegantiis idiomatis Ethruſci, qui natus, & educatus inter Calabros, non niſi barbaros, rudeſque illius ſermonis idiotiſmos benè, rectèque noſcere potuiſti?

233. *Quid audes &c.* Undè nam tanta tibi audacia, ut non verearis Ethruſcas Muſas tuis improbis verbis corrumpere, Virginalem earum puritatem, candoremque obſcœnis labro, & ore contaminare, ac quaſi inhoneſtiſſimas Meretrices prodere?

235. *Et ſacros vates &c.* Quin & Poetas, quorum non ſolùm perſonas, ſed etiam nomina, ceu ſanctiſſima, & nulla non laude digna ſingulari veneratione proſequimur, qua nam fronte inter tua ſcurrilia carmina recenſes, & improbà cenſurà eos damnas, communibus omnium eruditorum votis repugnans, & ju-

Immiſcere tuis? Ubi nam liber? Ede beatos
Bucolicos, Philodeme, modos, membranaque victrix

Ex-

Notæ.

juſtiſſima Doctorum ſuffragia improbo calculo redarguens, aut injuſtitiæ, aut falſi, aut tandem ignorantiæ?

135. *Nugis &c.* Quid nugæ ſint, jàm explicavimus: Hic autem nugas haſce pro ipſis Philodemicis carminibus ponit, ac ſi agnoſcat in iis tantùm nugatoria, inepta, & ludicra.

236. *Ubi nam liber &c.* Liber videlicet Bucolicòrum, de quo ſtatim infra; Inſtat, ut edat, & publici juris faciat, quo poſſit de eo judicium ferri ſolemne, & publicum.

236. *Ede beatos &c.* Animum addit, ſuadetque, ut tandem producat. Advertendum tamen illud *ede* hoc loco non dictum imperativo modo, ſed eſſe verbum, velut enixè deprecantis, ac efficacius hortantis.

236 *Beatos &c.* Quibus videlicet eſt omne bonum nullo adjuncto malo, ut explicat Cic. lib. 5. Tuſcul. inquiens; *Hos exiſtimo beatos, qui ſint in bonis nullo adjuncto malo.* Hoc tamen ſcopticè à Sectano dictum puta, ac reſpondere Italico joco, quo falsè in eumdem ſenſum accipiuntur dictiones illæ; *Dì pure queſta beata canzone*, & ſimile in communi praxi frequentiſſimum, quæ ſupponunt petulantiam recitare cupientis aliquid ineptum, ac impatientiam alterius, qui quaſi per vim ad id audiendum, eo pertinaciter inſtante cogatur, & invitus, & nauſeans aſſentiatur.

237. *Bucolicos &c.* De Bucolicis Philodemi plura paſſim in his Satyris; ea adeat Lector.

237. *Modos &c.* Modus, qui propriè menſura, ad poeticam regulam trahitur pro menſura illa, quam Poetæ in ſuis carminibus ſervare præcipiuntur, & ſolent, ut ea voci canentium concinnè reſpondere queant; Faciunt Cic. in lib. de Conſul., quod fragmentum eſt apud Boet. lib. 1. Muſar. *Tarditate mo-*

do-

Explicet imberbem Catinenſi pumice frontem.

Sed

NOTÆ.

dorum, et gravitate cantus illorum furentem petulantiam reſediſſe, & Horat.3. Carm. Ode 30.

Aeolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos.

Et Ode 11.

Dic modos, Lyde, quibus obſtinatas
Applicet aures.

237. *Membranaque &c.* Qua Bucolica conſcripta ſunt; Victricem appellat, quia in ſententia Philodemi, ut ſupra relatum, hujus operis excellentia reliquis Ethruſcorum Authorum operibus, non tam ſententiarum gravitate, & doctrinæ fecunditate, quam linguæ puritate, ac lepore prævaleat, ac quæcumque iàm præcedenter conſcripta, & elucubrata ſuperet. Perſii: in eodem joco Satyricus.

238. *Explicet &c.* Videlicet, hæc membrana, ſeu liber in publicum prodeat totus decorus, & ornatus.

238. *Catinenſi pumice &c.* Ideſt molliter levigatus pumice; Imitationem ſumpſit ex Juven. Sat.8. verſ.16., ubi de viro effeminato ait,

Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum.

Ideſt expolitum pumice Æthnæo, vel cavernoſo lapide, qualem Æthna ſæpè evomit, ut inquit Plin. lib.37. Undè Catinenſes dicti homines molles, qui ſe pumice leves, & glabros reddebant, à Catina Urbe Siciliæ Æthnæ proxima, quemadmodum explicat Turneb. lib.7. cap. 20. Pumicatores inter ſervos librarios iam enumeravi.

238. *Frontem &c.* Frontem libri dic exteriorem partem, metaphorà ſumptà ab hominis fronte, quatenus accipitur pro vultu; undè illud Juven. Sat.2.

Fronti nulla fides.

De iis, qui externè ſapientiam, ſanctimoniam, pietatem, & morum gravitatem ſimulant, internè autem vitiorum omnium

labe

Sed latitat, timiduſque ſinu prodire recuſat
Authoris codex, & ſparſo palpitat auro
Pallidulus. Jàm non tibi proderit umbra lacernæ;
Inſpexiſſe juvat, populoque oſtendere chartas
Stul-

NOTÆ.

labe tabeſcunt; Utinam etiam noſtris temporibus;

Omnis non vicus abundet
Triſtibus obſcœnis.

239. *Sed latitat &c.* Ideſt, ſed adhùc in occulto permanet, & prodire in publicum expaveſcit codex Philodemicus.

240. *Et ſparſo &c.* Et aurum, quo conſperſus eſt, non decorem ejus pandit, & gloriam auget, ſed pallorem ex timore indicat; nàm pallidus, ut plurimum, qui metu tenetur immani, ſanguine ad interiores partes recurrente, ex quo pallor amantibus tributus, quibus aſſiduus timor rem amatam amittendi, continuàque anxietate, & zelotypià cruciantur, quod advertit Ovid. 2. de Arte:

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

240. *Palpitat &c.* Palpitatio propriè cordis eſt, quando frequenter ex timore movetur, & concutitur. Translatè ad librum hunc dictum eſt, non enim inanimatis convenit, niſi metaphoricè ſumptum.

241. *Jàm non tibi &c.* Dixerat ſupra Satyricus noſter librum hunc in Philodemi ſinu latitare timidum, & prodire nolle; Nunc quaſi vim illaturus, atque coacturus ad prodeundum e latebris, quibus abſcondebatur, ſubdit nil ei profuturam umbram togæ Philodemicæ, quin ulterius in tenebris manere debeat.

242. *Inſpexiſſe juvat &c.* Conveniens, & neceſſarium eum pervidere, & diligenter conſiderare, ac etiam populo oſtendere, qui de eo ſententiam ferat.

Stultitiæ pingues, vacuæque inſomnia mentis.
Principio famam Baccone lucratus inemptam
Se nova divina jactat præcepta poeſis
Tra-

NOTÆ.

243. *Stultitiæ pingues &c.* At hoc judicium iàm perfectum eſt; nil niſi ſtultum, nil niſi inane, & ſomnio ſimile in illis chartis invènire, & admirari eſt. Chartas porrò ſtultitiæ pingues eſt idem, ac dicere exuberanter refertas infinitis ineptiis; Dicitur enim pingue pro fecundo teſtante Virg. lib. 4. Georg.

Et pingues hortos.

243. *Vacuæque &c.* Mens vacua idem eſt, ac inanis, ac nihil continens ſolidæ eruditionis, & doctrinæ.

243. *Inſomnia &c.* Ideſt phantaſmata, quæ noctu dormienti obiiciuntur: Inſomnia crederem forſan idcircò dixiſſe, quia cum inſomnium ſit, quod figuris tegitur, & velatur ambagibus, nonnisi interpretatione intelligendis, maximè Bucolicis hiſce convenire certum eſt, quibus nil niſi obſcurum, myſteriis abundans, & penè oraculis ſimillimum, prout de Pane ex antro prodeunte, de Virgine catenata, & ſimilibus jactat Philodemus, qui utinam reconditos tantarum rerum ſenſus aliquandò pandat, & huc uſque aliis impenetrabiles ambages referet.

244. *Principio famam &c.* Undè autem hæc omnia hauſerit, jàm patefacit Sectanus; electione videlicet Bacconis, è cujus ſententiis famam ab initio ſibi conciliavit, ac nomen Calaber.

244. *Lucratus inemptam &c.* Ideſt, nullo ſtudio, nulloque labore, nec pretio acquiſitam, quippe ſuperni luminis influxu, ac per univerſalem lucem donata.

245. *Se nova &c.* Præſumit ſe tradere poſſe nova, & nunquam antea agnita præcepta de arte poetica, quæ quid divinum ſint, & ultrà ipſas naturæ, artiſque vires operentur, influantque ſapientiam in humanum intellectum.

245. *Divina &c.* Iterum ad Lucem uniuerſalem, quæ è Cælo in mentes humanas illabente fiunt (ità Philodemus) ſtatim Poetæ, Philoſophi, cæteraque otioſorum turba momento tem-

Tradere. Gaudete, ò pueri, nàm torva Magiſtri
Hinc facies aberit, ferulæ, coriumque ſonorum.
Vos

NOTÆ.

temporis quarumcumq; ſibi libuerit ſcientiarum perfectionem, nedum cognitionem adipiſcitur.

246. *Gaudete &c.* Jocum proſequitur, & jure gaudium annunciat illis, qui ſi præcepta Philodemi ſervaverint, abſque Preceptoris alicujus ope, abſque ferula, abſque tedio, laboreque verſiculos ſcribendi, & quidem perfectiſſimè, artem addiſcent.

246. *Nam torva Magiſtri &c.* Ideſt ſevera, triſtis, atq; gravis facies Præceptoris.

247. *Ferulæ &c.* Ferulæ uſum apud Magiſtros, & Pędagogos ſemper fuiſſe probat illud Juven. Sat.7.

Metuens virgæ jàm grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus.

Velim accipias ferulam pro virga, qua manus puerorum feriuntur, undè & nomen habet, ut placet Grammaticis; Adde Juvenal. eumdem Sat.1.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.

Et Col. *Nec manibus mites ferulas*, & iterum; *Ferulæque minaces plantantur*; Has meritò, & eleganter nuncupavit Martial. lib. 10. ſceptra Pedagogorum.

Ferulæque triſtes, ſceptra Pędagogorum
Ceſſent.

247. *Coriumque ſonorum &c.* Aliud ferularum genus, quo ſecundùm hodiernam praxim utuntur Patres Soc. Jeſu in Scholis ad emendandos, corrigendoſque pueros. Hæ ferulæ ſunt membranaceæ, confectæ videlicet ex membranis in longas lineolas ſectis, ſimulque contortis, veluti funiculis pluribus unà junctis; Apud alios mos hic diverſus eſt, nàm non deſunt, qui eas è corio bubulo conficiant; Hæc ſunt, quæ tantùm antiquitùs ad ſervos viliſſimos verberandos, ſi fortè in aliquem errorem, ſeu ſcelus incidiſſent, adhibebantur; Cujus rei plurimus teſtis eſt Plautus i Pœnul.

In tergo meo tres facilè corios contrivisti bubulos.

Vos nimium Philodemus amat, minimoque labore

Scri-

NOTÆ.

In Moſtell. act.4. ſcen.1.

Caſtigabis eos bubulis exuviis.

In Sticho act.1. ſcen.2.

Vos monumentis commoneſaciam bubulis.

In Aulula. act.4. ſcen.1.

Abſtinebit cenſione bubulâ.

Ideſt verberibus lori bubuli, cujus cenſurâ in ſervos animadvertebatur, ut notat Caſaubonus ex Turneb. lib. 24. cap. 23., addens, quod cenſio, quæ propriè eſt extimatio ἀμωτυ, hic ſit animadverſio, τιμωρία.

247. *Sonorum &c.* Ideſt obſtrepens, & crepans, vt de eo Plaut. in Trinum. act.4. ſcen.3.

Bubuli in te cottabi crepent.

Ubi te admonitum volo, amice Lector, quod Græci in conviviis ſolebant è poculo reliquias vini arte quadam in terram elidere, ut ſonum redderent, vel (ut Cic. de eodem 1. Tuſcul.) *reſonarent*; idque κοτταβίζειν, *facere cottabum* vocabant. Quo reſpiciens Plautus *cottabos bubulos* facetè vocat, vel plagarum crepitus, qui eduntur, cum ſervi corio bubulo cęduntur; vel lora ipſa, quibus verberantur. De hoc ludicro convivali multi multa tradiderunt. Athenęus lib. 10., & maximè 15. rem ex profeſſo tractat pag. 666. & ſeqq. edit. Caſaubon., accuratè autem, totum expendunt Lipſ. Antiq. Lect. lib.3., & J.Parrhaſius de reb. per Epiſt. quæſitis: Illud poſtremò addo ex præcedentibus reſultare, quod ferulæ ictus à Magiſtris diſcipulorum manibus infligebantur, ut apertè Juven. loc. cit.; impingebantur autem verbera ſervorum tergoribus bubulo corio ex Plaut. in Penul. jàm adducto.

248. *Vos nimium &c.* Amori erga pueros id tribuit, & rectè; quandoquidem viam invenit eos tam facilè erudiendi ſine labore, & ſine mora.

249. *Scri-*

Scribere verſiculos Calabro Doctore licebit.
Jàm valeant numeri, valeat pede regula certo,
Et cum Spondæo currat confuſus Jambus.
Ipſe docet faciles Helicone ciere Sorores,
Quo-

NOTÆ.

249. *Scribere verſiculos &c.* Ideſt, itâ minimè cunctanter, nec veſtris curâ, & tædio evenietis excellentiſſimi Poetæ, ſi præceptis Doctoris Calabri obſequentes eritis; nec tantùm temporis, ſub exitus incerti timore, inſumetis in addiſcenda ratione faciendi verſiculos, ut ſub vulgarium Præceptorum diſciplina, & praxi ſolet accidere.

250. *Jàm valeant &c.* Hunc Magiſtrum igitur ſi vobis ſequi placet, non amplius numeri in carminibus côquirendi ſunt, ideſt, quæ ſyllaba brevis, quæ longa, quæ communis, quæve metri regula, & harmoniæ ratio.

250. *Valeat pede &c.* Latini verſus per pedes, Italici per ſyllabas metiuntur: Quamvis autem expreſse de primis ſermo ſit, tamen etiam ad hos refer, quandoquidem pedes ſunt legitimæ carminum dimenſiones, ſecundùm quas Latini dicunt carmen heroicum ſex habere pedes; Pentametrum, Phaleucium, & Sapphicum quinque &c. Metaphora autem videtur ſumpta ab animalium pedibus; nàm ut illa ſuis pedibus moventur, itá etiam carmina ſuis quibuſdam incedunt pedibus; aut certè à menſuræ genere, quæ pes vocatur, quod carmina ſuis pedibus, veluti menſuris quibuſdam dimetiantur. Inde apud noſtrum Satyricum *regula pede certo*, quia cuique carminum generi ſua menſura certa, & determinata tribuitur.

251. *Et cum Spondæo &c.* Dic, nec quidem ullus ordo in ipſis pedibus diſponendis ſervetur, itàut Spondæus, qui convenit heroicis carminibus confundatur cum Jambo, qui eis minimè debetur, ſed potiùs Comedie proprius eſt; Spondæum agnoſce ex duobus ſyllabis longis conſtantem; Jambum verò ex priore brevi, & ſecundâ longâ. In re cuicumque Poeſis ſtudioſo notiſſimâ non moror.

152. *Ipſe &c.* Ipſe videlicet Philodemus eſt, cui tantum mu-

Quoque modo humanas intret ſapientia fibras,

Se-

NOTÆ.

munus debemus; quod etſi nullus ordo, nulla metri ratio in pangendis carminibus ſervetur, peculiari tamen privilegio Philodemi diſcipulis evenit, ut quod aliis imputaretur ad errorem, & gravi cenſura plectendum eſſet, his in gloriam cedat, & lepos ſit.

151. *Docet faciles &c.* Ideſt, hac nova via reperta docet, qualiter arduis ſtudiorum ſenticetis contemptis, facili tramite iter Poeſeos ingrediendum ſit, quo per plana ad Muſarum ultrò occurrentium Regiam perveniamus, & Poetica lauro redimiti immortalitati ſacremur.

252. *Faciles &c.* Evocare Muſas à propria ſede, ut nobis præſto ſint nullà impoſità morà, & ad earum ſacerdotium evehamur imperante, docenteque Philodemo.

252. *Helicone &c.* A Beotiæ monte, Phocidi vicino, nec procul à Parnaſſo, ut ſcribit Strab. lib. 9. Appollini, Muſiſque ſacro.

253. *Quoque modo &c.* Senſus eſt: Ipſe Philodemus facillime quemcumque Poetam fieri docet, non tamen vulgari, quæ huc uſque fuit in praxi, via, ſed quadam inuſitata, & noviter inventa; at qualiſcumque ea ſit, nil curandum, quoquo modo metam aſſequamur, & ad ſapientiæ apicem extolli nos contingat.

253. *Humanas intret &c.* Sapientia nobis infundatur; intrare fibras, eſt proprie præcordia penetrare, faciente Perſ. Satyr. 1.

Nec enim mihi cornea fibra eſt.

Quem locum ità explicat Scholiaſtes ejuſdem: *Non ſunt mihi ità dura præcordia, ut laudis amore non capiar*; Hinc translate in ſatyrico noſtro accipe ſapientiam intrare fibras, denotare doctrinam non ſuperficie tenus hominis intellectui inhærentem, ſed quæ radices egerit, & in intima mentis ſe inſinuaverint.

254. *Se-*

Sedibus æthereis, & Cœlo lapſa ſereno.

255. *Gratulor ò Calaber; cui ſic veſica cerebri*
Intumuit-ſcelus eſt medicam protendere dextram;
Gaude ſorte tuâ. Nunquam tibi deerit amœna
Læ-

NOTÆ.

254. *Sedibus æthereis &c.* Utpote quæ è Cœlo, aereque quidem ſerenâ lapſa ſit: Habes hic pulcherrimum jocum, nàm id inſinuare videtur, quod minimè aliter caſus hic evenerit, aut eventurus ſit, quàm ad inſtar roris, qui ex tenui vaporatione concretus nonniſi ſereno tempore de Cœlo fluit ſerena nocte.

255. *Gratulor &c.* Scopticè hoc etiam dictum, ut & præcedentia. Cum ſit *gratulor* teſtari verbis ſe gaudere de fortuna, & fœlicitate alterius, quodnam verum, & perfectum gaudium eſſe poteſt de Philodemi ſtultitia, fatuitateque, nec non de tot ineptiis, quas ex ſomniata Luce Univerſali deducit? Unde procul dubio, cum hæc gratulatio ad ſcomma pertineat, jocosè accipienda eſt, & qualis condecet irridenti, ſubſannantique Satyro.

255. *Quod ſic veſica &c.* Veſica urinæ receptaculum, quæ eſt excrementum ſanguinis, quod in renibus colatum, per ureteres tranſmittitur ad veſicam. Tranſtulit Sectanos ad cerebrum, dixitque cerebri veſicam intumeſcere, quæ tantis ineptiarum ſuarum excrementis farcita ſit, itàut maximo tumore penè rumpatur.

256. *Scelus eſt &c.* Monet inde, ne malum hoc curare ſatagat, quippe ſanitas infelicem, & miſerrimum facere poteſt; quandoquidem ea hujus ægritudinis vis eſt, ut turbatâ mentis, & intellectus virtute imaginativam cogat ad ſibi tribuendas fictas fœlicitates, fortunas, & gaudia, quæ minimè ſuſſiſterent, quando mens ipſa talibus turbationibus libera foret. *Pol me occidiſtis amici, non ſervaſtis*, Plautus ait.

257. *Gaude &c.* Ideſt, tuâ fortunâ, quod tibi contigerit in maxima infœlicitate fœlicem eſſe, vel ſaltem putare te fortuna-

Lætitiæ fons, & menti cognata voluptas.
At quoniam largo ſervet tibi munere Divum
In-

NOTÆ.

natum, tanto quippe Divum munere honeſtatum, ut te, non ſolùm ſapientiſſimum dicas, ſed ſapientiam aliis impartiri te poſſe credas.

257. *Nunquam tibi &c.* Si ſic tibi permanere placuerit, ſemper lætus eris, nec ullo unquam mœrore afficieris, quia ex turbata phantaſia nil, niſi quod te delectari poſſit, derivabit.

258. *Et menti cognata &c.* Nempe ex mente inordinatè affecta voluptas etiam inordinata, nec rationis veræ, ac benè compoſitæ limitibus conſtricta, qualem haberes, ſi tibi ſanus eſſet intellectus. Cognatam dicit, ex eo quia ex intrinſeca mentis affectione motus externi regulentur, ſenſuſque ceteri moveantur; vel quia cum voluptas animi propriè ſit, ægro animo fit ipſa voluptas ægritudinis hujuſcemodi particeps.

259. *At quoniam &c.* Ulterius jocum producit: Tam fertile pulchrarum, novarumque rerum ingenium minimè eſſe vult, & permanere ocioſum. Quid igitur: Audies in ſequentibus notis.

259. *Largo &c.* In Philodemi laudes effunditur: Senſum colligo; At quoniam, ô Philodeme, divino munere tanto polles ingenio,& non aliter,ac torrens multitudine aquarum tumefactus fluis, imò præcipiti curſu veheris ad pangenda feliciter carmina, & ad omne eruditum opus. Nunc ad partes. Largum munus, vel intellige de abundanti, ex Horat. lib. 1. Carm.

Ligna ſuper foco largè reponens.

Vel ad liberalitatem, aut prodigalitatem refer, quod advertit Cic. 2. Offic. inquiens: *Omninò ſunt duo genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales.*

259. *Fervet &c.* Ideſt ebullit, & quaſi æſtu agitatur ex imit. Horat. 1. Serm. Sat. 10.

Qualefuit Craſſi rapido ferventius amne
Ingenium.

260. *Ple-*

260. *Ingenium, plenoque fluis torrentior amne,*
I, precor, ad madidas Paulo comitante tabernas;
Hic

NOTÆ.

260. *Plenoque fluis &c.* Præcedentem, & hanc ſententiam ſimul junxit Horatius verſu ſtatim propoſito, ubi Craſſi ingenium *ferventius* dixit *rapido amne*: Disjunxit noſter Author, & abſolutè fervere dixit ingenium Philodemi, ubi calorem, quo ebullit, denotavit: Subdit autem, quod etiam fluat torrentior quolibet amne, cum relatione ad impetum aquarum, qui fit, cum ex earum multitudine flumen aliquod excreſcit, & quaſi regurgitat; ut connotet quale ingenium Bionis, quod non propriis, ſed alienis, atque aliundè mutuatis aquis, ideſt ſuperficiali diverſarum ſcientiarum tinctura, ac concutſu tumidum procelloſè, præcipitanter excurrit, ſeu potiùs ruit; vel dic, ex facilitate ad poeſim, & ad poeticos verſiculos pangendos rapi, ut quicquid dicat, verſus, & carmen ſit.

260. *Torrentior &c.* Ideſt rapidior, & vehementior, exemplo Virgil. Eclog. 7., ubi:

Torrentia flumina.

Senec. in Med.

Properatque torrens
Iſter, et junctos vetat eſſe pontes,
Ac vagus errat.

Et Plin. lib. 6. cap. 3. de Pado: *Agris, quam navigis torrentior.* Dic etiam intelligi poſſe de torrente propriè dicto, qui rivus, & fluvius temporarius eſt, non è fonte, ſed è pluvià naſcens, æſtate ſiccus, hyeme magno fluens impetu, & quod voluerit Philodemi ingenium torrenti æquiparare, qui ſi alienis, adventitiiſque aquis ſpolietur, ſit aridus, qualis æſtate torrens. Ac utcumque ſit, jàm qualis torrens fluit.

261. *I, precor, &c.* Eat igitur oportet cum Paulo ad madidas tabernas. Explico. Morem Piſtorum, Olitorum, Salſamentariorum, & ſimilium Romæ degentium, & viles hujuſcemodi artium profitentium tangit, qui in ſocietates diviſi, & præ-

Hic ubi cum crotalis, & cruſmate, & utre ſonoro

Fœda

NOTÆ.

præeunte aliqua religioſa Imagine variis, pluribuſque muſicis inſtrumentis aſſociati, Urbem circumeunt, & quarumcumque tabernarum Dominos, qui illi Societati adſcripti ſint, adeunt, ut quoddam emolumentum, quo ſe obſtrinxerunt favore Societatis iidem Domini, percipiant, ac in utilitatem Eccleſiæ, ubi ipſa Societas congregatur, cedat. Quotieſcumque autem aliquam ex præſcriptis tabernis tangunt, circum curſantes homines, antè eam imaginem ſiſtunt, ac ad cruſmatum & crotalorum ſonitum obolaris quidam Poeta aliquid canit inconditum, ineptum, inſulſumque, quod ut plurimum ad laudem Domini ipſius tabernæ pertinet, & debito emolumento accepto digrediuntur.

261. *Ad madidas tabernas &c.* Nomine madidarum tabernarum notantur eæ, de quibus ſtatim ſuprà dictum eſt, nam omnes humentes, aliquæ ex aqua, aliæ etiam ex putri ſalſamentorum liquore, omnes autem ſpurciſſimæ, atque lutulentæ. Placet etiam, imò propius, ut ex ſequentibus, intelligere de cauponis, ubi vulgus ad ebrietatem omninò convenit; nam madidum pro ebrio poſitum ſæpe apud Scriptores legimus: At duplici teſte contentus, Plautum profero, qui in Amph.

Faciam, ut ſit madidus ſobrius.

ideſt, ut videatur ebrius, qui nihil biberit; & Apulejus lib. 7. *Sauciis illis, et crapula, vinolentiaque madidis.*

261. *Paulo comitante &c.* Qui cognomento Planella: Hic ad cantum ab his conducebatur certo dietim tributo pretio, atque ſtipendio; Neſciſſes an temeritati, an impudentiæ hominis magis tribuendum, quod ſic caneret; nam nullus ordo, nulla ratio, nullus decor veræ, & puræ poeſis, ſed omne quodcumque ineptum, vile, & pedeſtre.

262. *Hic ubi cum crotalis &c.* Plura enumerat inſtrumentorum genera, ad quorum concentum feſtum celebrari ſolitum. Crotala primum proponit, veterum inſtrumenta percrepa, aſſerente Piſandro Camirenſi apud Pauſan. in Arcadic., Stymphalides


lides aves, quæ humana carne victitabant, non transfixas fuiſſe
ab Herculis ſagittis, ſed crotalorum ſonitu è loco pulſas; quod
aliquid in eis terrificum eſſe procul dubiò connotat; non enim
tantum opus fieri potuiſſet, ſi ſonitus ſuavitas eis ineſſet. Favet
& Euripid. in Helen., qui ait κρόταλα Βρόμια, *Crotala Bacchica*;
cum nemo ſit, qui ignoret in Bacchi ſacris adhibita tintinna-
bula valdè perſtrepentia feſtaque hujuſcemodi maximè clamo-
ſa fuiſſe, unde Virgil. ea deſcribens lib 7. Æneid., Bacchas
ululatibus æthera implere dixit, cujus clamoris partes eſſe re-
tulit Maxi:n. Tyrius diſſ.33. κώμους, θιάσους, χόρον, αὐλοὺς, ᾄσματα;
Nocturnos diſcurſus, thyaſos, choreas, tibias, cantus, ſed inor-
dinatos, necnon furentes. De Crotalorum materia conve-
niunt eruditæ antiquitatis ſcrutatores, freti Euſthat. teſtimonio,
qui Iliad. A, Crotalon dixit vas è teſta, ligno, aut ære, quod
manibus tenebatur. Diſcrepant autem circà formam; quando-
quidem Sponius ſcribit eum propriè fuiſſe arundinem ſciſſam,
& conſtructam ſtudio, ut ſonet, ſi quis ipſam quatiat manibus;
qui Author firmitèr hanc ſententiam propugnavit, quippè ad-
hæſit interpreti Ariſtoph. in Nebul's, à quo & Suidas accepit,
affirmanti de calamo ſciſſo hujuſcemodi; unde etiam ex ſchedis
Bagarrianis imaginem ejuſdem crotali retulit in ſuis Miſcella-
neis &c. ſect 1. art 6. tab. 43., à quo eam nos mutuavimus, ut
in ſuppoſito graphio oſtenditur. Putavit Antonius Auguſtinus
lib. 3. Iconum crotalum reſpondere illis, quos ab ſonando
Hiſpani *Sonaſſas*, Itali *Naccare* dicunt. Nec deſunt, qui an-
nulum ferreum interpretati ſint, q'ui ferio quateretur, cujus
ſententiæ principes ſunt Celi. lib. 10. cap. 4., & Budæus Com.;
Aliter la Cerda in illud Virgil. lib. 8. Æneid. verſ. 696.

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.

Excogitavit quippe referendum ad inſtrumentum illud percre-
pum, Hiſpanis *caſcavelum* denominatum, quod eſt genus tin-
tinnabuli. Autumat autem Joann. Sarisber. Policrat. lib. 8.
cap. 12. *crotala dici ſonoras ſpherulas, quæ quibuſdam granis, ſeu
anulis interpoſitis pro quantitate ſui, et ſpecie metalli, varios ſonos
edunt*, fortè ejus formæ, quam mutuavit ex antiquis marmo-
ribus Pignor. de Servis, nos verò ex eodem Pignorio hauſimus,
& reddimus inferius. Prodit tandem Pignorius ipſe, qui ex
vetuſto monumento exponit crotalum, qualem etiam nos da-
mus, aiiiſque coniicimus præferendum, quippe duplex ad ſimul

reper-

repercutiendum aptiſſimum, annuloſque habeat, quibus digiti infigantur ad motum, & repercuſſionem faciendam, ac tandem ejus formæ, ac ſtructuræ ſit, qua maximus clangor elici poſſit.



Laudamus tamen, & reliquos Scriptores; fieri enim potuit, ut diverſa crotalorum genera eſſent, prout varius expoſcebat eorum uſus. Quis enim omnibus tam aſperam, atque obſtrepentem colliſionem dixerit? cum puellis ad choreas ducendas tribuerentur, uti docet Virgil. in Copa, inquiens: *Criſpum ſub crotalo docta movere latus*; cum conviviis ad delectandas accumbentium aures inducerentur, aſſipulante Clemen. Alexandrino, qui convivas ab eorum uſu arcere ſtuduit, admonens reicienda *tympana, et cymbala, et crepitacula, quæ dicuntur crotala, inventa à Siculis*; Ex quibus verbis in ea videtur fuiſſe ſententia, ut putaret, crotali nomen genericum fuiſſe, omnibuſque convenire muſicis inſtrumentibus, qui ex pulſatione, vel ex colliſione ſtrepentem aliquem ſonum redderent: quę plurimum favet huic ultimæ conjecturæ, ubi non incongruè diverſa crotala propoſuimus fuiſſe, forma, ſonitu, & fragore varia, ſed ſemper cum colliſione, aut pulſatione juncta, quandoquidem vox ipſa à Græco *κροτέω pulſo* derivatur, ut tradit Voſs. in Etymol.; unde factum, ut ciconia, ob ſimilem Crotalis roſtri colliſionem, crepitationemque nuncupata fuerit *pietati cultrix*, *gracilipes*, *crotaliſtria* à Petron. Arbit. in Satyr.. Crotaliſtriarum puellarum, quæ maximo apud Ægyptios in precio fuere, meminerunt Scaliger ad Propert. lib. 4., Bernart. in Stat. Sylvar. lib. 5.

lib. 5. in fin., Savaro in Sidon. lib. 1. epiſt. 2. Has publicis feſtis dicatas illud ſuadet, quod crotala in Deorum celebritatibus uſurparentur, prout innuit Virgil. in Priap.

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulſa manu.

De ſacris Bacchi Euripid. jam citatus, plurimique alii, quos libenter omitto: nam propoſito jam longior. Nec apud Ægyptios tantum in honore, nam idem Romanis dedit Propert. lib. 4. eleg. 9., ubi agens de convivio, ait:

Nile tuus tibicen erat, crotaliſtria Phyllis.

Id unum ultimò addo, Ariſtophani garrulum, & loquacem hominem *crotalon* nominari; ac à ſimili cum crotalis colliſione crotalia dicta fuiſſe à Plinio lib. 9. cap. 35. inaures quaſdam ex margaritis confectas, de quibus ſcripſit: *Subeunt luxuriæ ejus nomina, et tædia exquiſita perditiore portatu, ſiquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, et colliſu ipſo margaritarum.*

262. *Crumate &c.* Crumata eſſe ſpeciem Crotalorum notat Spon. loc. cit. tab. 44; hæc etenim digitis pulſabantur, ut de crotalis ſuprà dictum fuit. Præſtat eumdem Sponium audire; qui ex Scalig. ad Copam dicit fuiſſe *teſtulas, et oſſicula uſum Crotali præſtantia.* Maximo in uſu apud Hiſpanos invaluiſſe, præcipuè iis, qui Beticam Provinciam, Gadeſque incolebant, probat idem Author præeunte Martial., cujus verba ſunt.

Ità de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos.

Et alibi:

Edere laſcivos ad Bætica crumata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Fortè ad ſaltationes, his inſtrumentis concomitatas, alludit Junalis.

Forſitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ
Ad terram tremulo deſcendat clune puellæ.

Hæc omnia ſuadent, ut in crumatibus hiſce uſum eorum apud Hiſpanos frequentiſſimum agnoſcamus; Hæc illi *caſtagnetas*, nos *naccare* appellamus: Certè ab illis ad nos pervenit earum-

dem

Fœda coronatus celebrat Quinquatria Piſtor
Dum-

NOTÆ.

dem pulſandarum mos. Suadet etiam vetus marmor, quem proponit idem Sponius, ex quo earum forma noſtris ſimillima eruitur.



tiam teſtarum nomine agnitæ fuere, ſic etenim apud Martialem ſcribitur.

Audiat ille
Teſtarum crepitus, cum verbis nudum olido ſtans
Fornice mancipium, quibus abſtinet.

Habuere & Græci, nam Ariſtoph. in Ranis: *π' ἔστιν ἡ τοῖς ὀστράκοις ἄνω ψοφοῦσα: ubi nam eſt illa, quæ oſtreis*, ideſt crumatis, *pulſabat*. Hæc amice lector Sponio debes, quem ut præcipuo, dum in vivis fuit, amore cultus ſum, ità redivivum in ſuis operibus nunquam meritis laudibus fraudabo, & memoriæ ejus, quantum potero, gratum me exhibebo.

262. *Utre ſonoro &c.* Uter ſonorus eſt tibia, ſeu tibiæ infixæ utriculo, quæ & tibiæ utriculares nuncupantur. Hinc qui eis concinit, utricularius. Sueton. in Nero. *Voverat ſe proditurum hydraulam, choraulam, et utricularium*: Veterem utriculi, cui apponendæ, inſerendæque erant tibiæ, formam exhibet Pignorius lib. citat. Ad noſtra etiam tempora utriculi hujuſce-
modi

Dumque foris Icon, & ſancta Sigilla morantur,

Um-

NOTÆ.

modi pervenere, ſed tantum bubulcis in uſu ſunt, & *Cornamuſe* Italicè dicuntur. En veteris utriculi ex Pignorio imaginem.



263. *Fœda Quinquatria &c.* Reſpectu hominum, qui hæc Feſta celebrant; nam, ut plurimum, malè olent, & peſſimo mercium, quibus incumbunt, odore nauſeant adſtantes: ni potius dicere placeat fœditatem hanc tribuendam iis abuſibus, quibus plebs ſcatet, videlicet vinolèntiæ, crapulæque, quæ ſunt ſimilium celebritatum finis, & terminus.

263. *Quinqurtria &c.* Qninquatria ſacra erant Minervæ, quæ Romæ celebrabantur ab Ethnicis: Minimè de noſtris feſtis id ſenſiſſe Sectanum dixeris, ſed veteri voce uſum ad denotandum feſtum hoc, quod ut verum fatear, minime pietati Religionis convenit, ſed potius aliquid Baccanalibus nedum Quinquatriis proximum ſapit; plebejamque petulantiam, & impudentiam redolet.

263. *Coronatus piſtor &c.* Qui Feſti Dominus nuncupatur. In piſtore intellige reliquos, videlicet caupones, ſalſamentarios, olitores, lanios &c., qui fœdas artes exercent.

264. *Dumque foris &c.* His igitur ſic diſpoſitis, tu Pauli

Pla-

Umbricii ructus inter, crepituſque Marulli,
Levà ſuſpendens cytharam, cui chorda, nec unus
Deficit articulis modus, unumquemque ſaluta,
Dj tibi cum bellà faciant dormire puella,

O ju-

NOTÆ.

Planellæ more, dum Imago ante fores alicujus tabernæ ſiſtit, poſitus in medio obſcœnorum hujuſcemodi hominum, cytharam pulſans, debita ſalutatione facta, ſic concine.

264. *Icon &c.* Ideſt picta tabella, quæ, ut diximus, in ipſa via ante tabernas ſiſtitur, dum cantiuncula canitur.

264. *Et ſancta ſigilla &c.* Nempè imaguncula.

265. *Umbrici ructus &c.* In medio poſitus inquam ructantis Umbricii, & crepentis Marulli præ ebrietate, vel ex more inconditæ, & malè morigeratæ plebeculæ.

266. *Lava ſuſpendens &c.* Dixiſſet Italus: *Dato di mano ad una chitarraccia ſcordata*.

266. *Cui corda, nec unus &c.* Cui non una chorda, nec unus modus deficit, ſed diſcordi ſonitu aures audientium fatigat.

267. *Unum quemque ſaluta &c.* Mos fuerat diobolari Poetę Paulo Planellæ cum caneret in triviis, etiam prætereuntes diſticho aliquo ſalutare honoris, & reverentiæ cauſa; ut mox patebit in Rullo viam tranſeunte.

268. *Di tibi &c.* Carminum, quibus ultra veterem per pedes menſuram, duplex in medio, atque fine rithmus additur, antiquitatem commendat Stiglianus de art. verſif. cap. 14., nec improbabili conjectura, quandoquidem ei favent Virgil. lib. 6. verſ. 165.

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Ovidius,

Quot Cęlum Stellas, tot habet tua Roma puellas.

Propertius.

Non non bumani ſuni partus talia dona:
Iſta Deum menſes non peperere bona,

Horat.

O juvenis, flammà quem torret turgida mamma,

Nec

Notæ.

Horat. de Art. Poet.

Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata, dulcia ſunto,
Et quocumque volent animum auditoris agunto.

Et tandem Auſon. in Idyl. 2.

Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Verum ex his paucis Stigliani judicium minimè probandum cenſeo, imò potius caſui, vel Poetæ joco id tribuendum ex eo deduco, quod nullibi præceptum, memoratumque tale genus carminis legerim; Conjecturam tamen non excludo, qua ex his modicis exemplis rudiora ſæcula ſibi imitandum propoſuerint, quod, quia rarum, fortè elegans judicavere. Quicquid tamen ſit, hi verſus 12., & 13. ſæculis in frequentem praxim deducti, & Leonini appellati; quorum inventor dictus Leo quidam Poeta Ludovico, vel Philippo Francorum Regibus coævus, ut ſcribit Stephanus Paſchaſius lib. 7. diſquiſ. Francic. cap. 2., & ex eo Dù Cange in Gloſſar. Certè ferreorum ſæculorum barbariem ſapiunt, plurimique circa veteres icones, quæ in antiquis Romæ Templis venerantur, ſic elaborati leguntur; Hos mitto, nam, præterquamquod omnibus obvii, eos reddidere plures Authores, & præcipuè Ciampinus in Veterum Monum. par. 1. paſſim. Ad Sectanum redeo, qui cum Latinè ſcriberet, & tamen barbariem Poetarum hujuſcemodi (parcant Muſæ, ſi Poetarum nomine hos helluones dignatus ſum) ſibi propoſuerit, ea infelicia tempora adiit, quibus Linguæ Latinæ lepos, & elegantia ab hominum conſortio exul in abortivum quoddam, & informe monſtrum ſe converſam oſtendit. Præſtat cantantem Philodemum audire. Ità igitur verſiculos ſuos orditur: Dii te felicitent ò Piſtor, Caupo, ſeu quicumque alius, ac fortunent, tantumque ſortis tribuant, ut nuptias contrahas cum pulchra puella, quia *ſi turpem duxeris, habebis pœnam*, inquit Bion apud Diog. Laert. lib. 4., unde rectè Euripides ait: *Res duas potiſſimum uxorem ducturo conſiderandas: nempè, ut facies blanda, & boni mores; hæc enim alunt benevolentiam mutuam.*

369. *O Juvenis &c.* Ac eam quidem ducas, quam maximè

270. *Nec poſſint vitam diſrumpere fata maritam;*
Utque tibi ingrati ſubſint cum tempore Nati,
Sub diſciplinà laxos moderare caninà,
Illà nec lentà, dum fervet prima juventa.
Euge Bion. Sapiunt cantus, moduliqne canori,
Ac

Notæ.

diligis, quæve turgeſcentium mammarum viſu te cæpit, ac in ſui deſiderium allexit: Mammarum pulchritudinem, & proportionem plurimi faciunt mulieres, eaſque ad amorem aucupandum ſolent oſtentare.

270. *Nec poſſit &c.* Vivatiſque diù ſimul felices; quippe cum alter altero privatur, privatur vita, teſte Euripid. in An., maximè ſi concordes vixerint, quia, ut advertit Homer. Odyſs. 3. *Concordia thalami nihil dulcius.*

270. *Maritam &c.* Ideſt coniugalem: Ità Ovid. in Epiſt. Parid. ad Helen.

Metuis Venerem temerare maritam.

271. *Utque &c.* Hæc ad educationem filiorum pertinent, monens, quod ad hoc, ut ſibi ſubſint, & obſequentes ſint filii, qui ex eo connubio naſcituri ſint, quique parentibus ingrati quandoque eſſe ſolent, moderandi, regendique ſunt ſummo diſciplinæ rigore, ac ſeveritate, nec ab ea recedendum, uſque quo primam tranſierint juventam; quia cum *petulans vigor ætatis*, ut inquit Plut. lib. de educ. liber., *non facilè à voluptatum obſervetur incurſu; vicinaque ſit lapſibus*, teſte S. Ambroſ. de Vid. lib. 1., *adoleſcentia; quia variarum æſtus cupiditatum fervore calentis inflammatur ætatis*, hinc à parentibus enixè curandum, ut bonis moribus imbuantur filii, errantesſque ſevera animadverſione, & cenſura plectendi ſunt.

272. *Sub diſciplina &c.* Ideſt, ſub diſciplina ſevera, & rigida, qualem erga canes adhibemus, quos pane, aqua, & baculo caſtigamus, & obedientes noſtris nutibus reddimus.

274. *Euge Bion &c.* Euge, gratulantis interjectio, ad ſenſum Plauti in Mercat.

Euge, mi Demipho, ſalve.

Ideſt

275. *Ac gratæ capior tantà dulcedine vocis,*
Ut videar propius redivivo adſtare Petrarchæ.

Cer-

Notæ.

Ideſt, *bene*, *vivat*, aut aliud ſimile. Mos plaudendi rei benè geſtæ, ac pronunciatæ antiquiſſimus fuit. Vetus Roma id frequenter vidit, atque audivit, præſertim in theatris; id actum compoſito plauſu, & aſſurgendo, cum è contrà, malè re geſta, ſibilo, & paſtoricia fiſtula (ludens ità Cicero appellat) reiicerentur. Ità Virgilio adſurrectum, Fabius, ſeu qui alius in libello de cauſis corr. eloquen. teſtantur: *Populus*, inquit, *auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, et forte præſentem, ſpectantemque Virgilium ſic veneratus eſt, quaſi Auguſtum.* Voces etiam noſtris acclamationibus ſimiles habuiſſe minimè dubitandum, ideſt *vivat &c.*, quas etſi de poetis minimè legamus, attamen id ſic ſe habuiſſe certo comprobatur argumento ex iis, quæ in acclamationibus Imperatorum, aut Principum pronunciabantur, de quibus latè Lipſius elect. lib. 2. cap. 10.. Sic igitur & acclamatum Bioni in Triviis, poſtquam tam bellè, eleganterque cecinit; atque huic acclamationi favet Sectanus, qui eam repetit, atque iteratur.

274. *Bion &c.* Bion idem, ac Philodemus, quod & alibi dixi.

274. *Sapiunt cantus &c.* Poſt plauſum, & acclamationem tanto Poetæ, in ejus laudes effunditur Satyricus noſter, ſcopticè tamen, ſatyriceque; ac ſi dixerit; quam lepidi, ſapidi, jucundique ſunt hi verſus, atque hic tuus cantus, non enim amplius tinnis, ut ahænum, quod alibi dixerat.

275. *Ac gratæ &c.* Imò tanta tuæ vocis dulcedine rapi fatetur, ut Petrarcam ſe audire canentem putet.

276. *Ut videar &c.* Hic ex propria ſententia loquitur Sectanus, nam Italicæ poeſeos Principem Petrarcam procul dubio depredicat; quod minimè ex præcedenter dictis arridet Philodemo, cui fortè etiam nunc comparatio hæc diſplicere poteſt.

 277. *Cer-*

Cerne, procul graditur Rullus. Salvere jubeto
Rullum; ecquis votiva negabit carmina Rullo?
O Rulle, ò latà qui diceris arte Poeta

Cui

NOTÆ.

277. *Certe &c.* Verba ſunt Sectani, ut puto, ad Philodemum canentem: ex quibus novam occaſionem arripere videtur iterum illum audiendi; Senſus, & vis igitur ſermonis eſt: Cerne novum, ac dignum objectum, cui honos hic tribuatur.

277. *Procul graditur &c.* Rullus eſt, qui non procul ambulando divertitur; Rullus inquam, quo nullus Philodemo charior, ac nemo ex ejus diſcipulis doctior, ac magiſtro ſimilior.

277. *Salvere &c.* Fauſtum, felixque aliquod precare Amico prætereunti.

278. *Ecquis &c.* Dignus enim eſt, qui votivis carminibus proſequatur.

278. *Votiva &c.* Quæ ex voto ad ejus felicitatem, ſeu ex ſummo ejus boni deſiderio pronuncientur; quandoquidem vota in maximis periculis, & in adverſa valetudine fieri ſolent, & adimpleri. Fortè infirmam valetudinem Rulli conſiderat, qui amentem non uno in loco dixit; unde ejus ſalutis deſiderium potuit oſtendiſſe, ut tantus vir omninò reſipiſceret.

279. *O Rulle &c.* Ne quidem expectata Domini juſſione incipit amico Rullo carmen canere Philodemus. Initium non vocando, ſed plaudendo eſt; idemque ſonat, ac O felix Rulle, ò beate Rulle.

279. *O læta &c.* Cauſa beatitatis, & felicitatis in Rullo eſt, quia dicatur ſcurra inter Poetas, & mimica excellat arte in pangendis carminibus cum ſeriis vatibus, tanquam ebrius inter ſobrios. Vivat igitur, æternumque vivat, quandoquidem etiam ex præſcripto Legum ſi reus eſſet capitalis criminis, illud ſancitum legimus, quod excellens in arte non debet mori.

280. *Cui*

280. *Cui tanquam Stellæ rident in rupe capellæ,*
Diſcinctum collo plectrum tibi cedat Apollo,
Ut

NOTÆ.

280. *Cui tanquam &c.* Cui loco, & vice aſtrorum in Cœlo, favorabiles arrident in rupibus tuæ capellæ, quas toties carminibus laudaviſti, Cœloque donaſti; Hæc igitur coinutorum Syderum veneranda facies te fortunet, ò Rulle, ſuiſque influxibus benignis propitiet.

281. *Diſcinctum &c.* Ipſe quoque Apollo tibi faveat; nec faveat tantum; ſed primas in arte poetica tibi cedat, & proprii plectri honore decoret, quo dignior ſis, quam ipſe ſit.

281. *Plectrum &c.* Plectrum propriè inſtrumentum citharedi, quo fides pulſantur, *ἀπὸ τοῦ πλήττειν percutere.* Id docent Cicer.2. de Nat. Deor. *Plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum dentes,* & Màrtial. lib.14.

Exornent docilem garrula plectra lyram.

Alio nomine pecten etiam nuncupatum Virgil. Æneid.6.

Jam pectine pulſat eburno.

Sunt qui diſcriminant pectinem, quo pulſantur chordæ, à plectro, qui ſit arcus ille, quo nunc lyrici feriunt muſicum inſtrumentum. Parum moror inutilem diſquiſitionem. Cum autem de Apollinis plectro dicatur, primum adverto partem pro toto poſitam, plectrum ſcilicet, ſeu pecten pro ipſa lyra, aut cythara: Addo ſecundo, plectrum, de quo hic agitur, tantum ad pulſationem referendum eſſe, nam lyra, & cithara, quæ Apollinis erant, pulſabantur, non arcu feriebantur; Id aſtruit Virgil loco ſuprà cit., agit enim de Orpheo, cui lyra, & cithara tributæ fuere. Favet Philoſtratus in Iconibus, ubi utramque manum diſcriminat, loquens de eodem Orpheo, dicitque rectis digitis ſiniſtram chordas percutere, dextram vero plectro. Verba ſignata ſunt: *αἱ χεῖρες δὲ, ἡ δεξιὰ ξυνέχουσα τὸ πλῆκτρον, manus autem, dextra quidem conſtringens plectrum,* & poſt pauca; *λαιὰ δὲ ὀρθοῖς πλήττει τοῖς δακτύλοις τοὺς μίτους, ſiniſtra vero pulſat rectis digitis chordas.* Ex his docuit Turneb. lib. 28. cap. 46.

Ut valeas crebris medicinam ferre cerebris.
Ob bene! non melius (ſi fas dixiſſe) Planella
Cantaret, totà quamvis plaudente Suburrâ.
Nectite ventriculis Philodemi tempora Lippi,
Su-

NOTÆ.

digitos referendos ad ſiniſtram manum, quæ dicitur intus canere, nam tum ſibi ſoli artifex canit; pectinem, ſeu plectrum ad dextram, quæ foris dicitur canere, nam tunc alii audiunt.

282. *Ut valeas &c.* Ideſt, ut dulci armonia tuorum carminum poſſis medicinam aliquam, atque lenimen afferre plurimis, multiſque cerebris, quæ eodem ſtultitię morbo, quo tù laboras, tenentur. Poſſunt hęc referri ad illud Satyrę 6. verſ.130. de Rullo:

> *Rullus erat medicus, mimus, cantator, aliptes,*
> *Amens præſertim.*

282. *Crebris &c.* Pro multis: ni malimus intelligere potius denſis, ſpiſſiſque, videlicet obtuſis, & quadam caligine dementię obrutis; unde curari à Rullo debeantur.

282. *Medicinam &c.* Ex imitat. Cic. in Catilin., cui, licet metaphoricè, ait: *Singulis medicinam conſiliis afferam*; ideſt adhibebo; qua voce frequenter uſi veteres Scriptores, ipſe in primis Cic. relatus 2. de Orat. *Medico diligenti, prius quam conetur ægro adhibere medicinam, natura corporis cognoſcenda eſt.*

283. *Ob bene &c.* Iterum plaudit, & gratulatur cantanti Philodemo.

283. *Non melius &c.* Paulo Planellæ penè comparat; optimo quidem Poetæ, dignoque, cui Petrarcha primas cedat. Scoptice.

284. *Totà quamvis &c.* Ideſt, plaudentibus viliſſimis homuncionibus, qui hodiernis temporibus Suburram Romæ incolunt.

285. *Nectite &c.* Cum igitur tanto Poetæ debitus honos tribuendus ſit, ſuadere nititur Satyricus noſter, ut coronà, quæ tantum virum deceat, redimatur.

285. *Veno*

Sutores, Figuli, Ciniſlones, & Paraſiti,
Rhedarum Artifices, Fabri, Laniique, Popæque,
Veſtraque cum miſeræ redeunt ad feſta tabellæ,
Idibus ære dato, tales conducite vates,

Plu-

NOTÆ.

285. *Ventriculis &c.* Non tamen myrteà, nec laureà, ſed è putidis ventriculis textà juxtà vulgare adagium, quo dicimus obolares poetaſtros digno eſſe, qui coronentur *d' una trippa*.

285. *Lippi &c.* Hi ſunt, qui Philodemo cantanti arridant; nam eorum feſta ſuis carminibus condecorat; igitur ad eos etiam tam digna corona circumdare illius caput pertinet: Sic illos hortatur Sectanus, ut dignitati Poetæ mirificè conſulant.

286. *Veſtraque &c.* Suadet ulteriùs, ne ab ejus electione, conductioneque deficiant, cum feſtus dies redibit.

288. *Miſeræ tabellæ &c.* Ideſt peſſimè pictæ, nimio uſu contritæ, & decoloratæ, ſeu potiùs miſeræ, quia contra fas coguntur ſtare ante Tabernas, ac Umbricii ructus, Marullique crepitus audire.

288. *Redeunt &c.* Iterum aſportantur ab hujuſcemodi plebeja gente.

289. *Idibus &c.* Videtur innuere feſta hæc celebrari, ac imagunculas has circumferri ſolitas Idibus cujuſcumque menſis, ideſt circà dimidium ejuſdem.

289. *Ære dato &c.* Pretio convento ſoluto: Æs ſignatum intelligit, nempe nummum æreum, unde probabilis oritur conjectura idcircò æs poſuiſſe, non argentum, aut aurum, quia de modica mercede ageretur. Æs porrò pro nummo poſitum non eſt inſolens dictio, quippe Varro derivavit ab aſſe, monuitque primum maximo in pretio fuiſſe, adeout pecuniam quoque jacente auro, ex eo ſignarent; unde pro ære pecunia ipſa accepta fuerit. Confirmat Servius, qui ait, Regem primum poſt Urbem conditam ſignare æs cœpiſſe, cujus in altera parte fuit Janus geminus, in altera Roſtrum navis. Ità etiam Plin. lib. 33.

Pau-

290. *Plurimus ut patulo ſubſultet Julius Orbe,*
Et lætum Siculâ reſonet Meretrice lupanar.

FINIS.

NOTÆ.

paulò aliter Macrob. Saturnal. lib. 1., qui primum æs à Jano ipſo ſignatum fuiſſe tradidit, eo tempore, quo Saturnus filium fugiens, primum in Italiam venit. *Cum primus quoque* (inquit) *æra ſignaret, ſervavit, & in hoc, Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex unâ quidem parte ſui capitis effigies, ex altera verò navis exprimerentur, quæ Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret.* Favet Ovid. in Faſtis:

Æra dabant olim; melius nunc omen in auro eſt.

289. *Tales &c.* Qualis eſt Philodemus.

289. *Conducite &c.* Pretio utendos accipite, prout de domo dixit Cic. pro Cel. *Domum conduxit in Palatio.* Sic *conductitia opera, mercenaria, quæ conducta ſunt* teſte Varrone: Conductorque dicitur, qui precio opus aliquod faciendum ſuſcipit, ut diſcimus ex Cic. ad Q. Frat. lib. 3. *Mihi reſpondit ſe ipſum ejus operis H. S. 16. conductorem fuiſſe*, & à conductore conductitius, qui conduci ſolet: Unde Plaut. in Epid.

Fidicinam aliquam conductitiam.

290. *Plurimus &c.* Quia ſi Poetas tantâ preditos excellentia conducetis, vobis etiam lucrum accreſcet. Reſpicit conſuetudinem, qua hujuſmodi viles quæſtores præ manibus gerentes argenteum lancem, ſuper eum ſuſcipiunt, dilatant, extenduntque ſtipem, quam colligunt, ut ab omnibus videatur.

290. *Julius &c* Ideſt major Juliorum numerus: Julius notiſſima monera argentea, quæ æquivalet decem æreis obolis, ac decimæ parti argentei coronati reſpondet. Sic nuncupatus, quia primum cudi cœptus à Julio Pont. Max.

290. *Subſultet &c* Ab effectu ſubſultare dicitur Julius, cum enim ſuper orbem jacitur, ut eſt omnium parvarum monetarum proprium, paululum ſalit.

291. *Et lætum Siculâ &c.* Detur hoc Satyri genio, quis

enim

enim credat pecunias ad pium uſum traditas tam turpiter diſſipari; licet non neſciam plurimum timendum ab hominibus libidini, & ebrietati deditis, & tantùm rudibus, plebeiſque moribus inſtructis.

291. *Siculâ &c* Ideſt miſerabili, & quæ plebi proſtituitur. Peſtem hanc è Sicilia Romam profugam, monſtra, non tam libidinis, quam turpitudinis quis non potius dixerit?

291. *Lupanar &c.* Quod eſt poſtribulum, in quo Lupæ, hoc eſt Meretrices proſtant; ità nuncupatæ, quod ut Lupæ cibi, ſic hæ, vel libidinis, vel quæſtus appetentes ſint. Indè cenſent Hiſtorici ortam fabulam, quod Romulus, & Remus à Lupa lacte nutriti fuerint; quia ſcilicet Laurentiæ Fauſtuli Paſtoris uxori educandi traditi, quæ, quod vulgato corpore quæſtum faceret, Lupa inter Paſtores vocabatur. Facit Cic. pro Milon. inquiens: *Ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat.*

FINIS.



VA1
1552225